2009 Ministerio de Cultura

Observatorio de San Fernando

Observatorio de Marina
BIBLIOTECA
Núm. 96

INSC

Estante... Tabla...

Tomo...

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

2009 Ministerio de Cultura

BIBLIOTECA
DEL
SEMINARIO DE S. FERNANDO

2009 Ministerio de Cultura

VNIVERSÆ GEOMETRIÆ, MIXTÆQVE MATHEMATICÆ SYNOPSIS, ET BINI REFRACTIONVM DEMONSTRATARVM TRACTATVS.

Studio & Operâ F. M. MERSENNI *M.*

Tom. II.

Godin 17

OBSERVATORIO DE MARINA
DE
SAN FERNANDO.

PARISIIS,
Apud ANTONIVM BERTIER, viâ Iacobæâ,
ſub ſigno Fortunæ.

M. DC. XLIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

2009 Ministerio de Cultura

GEOMETRIÆ,
MIXTÆQUE
MATHEMATICÆ
SYNOPSIS,
ET BINI REFRACTIONUM
DEMONSTRANDARUM TRACTATUS.

PARISIIS,
Apud ANTONIUM BERTIER, viâ Jacobæâ,
sub Ligno Florum.

M. DCC. XLIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

2009 Ministerio de Cultura

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

LVDOVICO VALESIO ALENSI COMITI.

LEVIORIS EQVITATVS PER GALLIAS MAGISTRO, ET GALLO-PROVINCIÆ PROREGI.

F. M. MERSENNVS ETPPATTEIN.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS,

Magnorum Virorum, quos ſæcula vetera prodidere, opera nobiliſſima, quæ in omnium commodum in Synopſim contracta vnico ſtudioſorum obtutui repræſentanda ſuſcipio, pluribus de cauſis Tuo nomini nuncupata volui, præſertim verò quòd illis Te ſcientijs plurimùm delectari nouerim, quæ nihil fucatum, nil in vtramque partem mobile, nil præter veritatem proferant, & ſummopere mendacium oderint.

Cenſeas igitur, MAGNE PRINCEPS, hocce Volumine præclara Græcia, Italia, & Gallia ingenia mutuo conſenſu Te ſalutatum ire: præiréque ducem Archimedem Regis Syracuſanorum ſanguine nobilem, qui nunquam ſatis laudatum Opus de Sphæra, cylindróque Tibi offerat, caterósque Græcos Theodoſium, Apollonium, Pappum & alios comites habeat. Commandinum, & Valerium Italos; Snellium, Ste-

2009 Ministerio de Cultura

uinum Batauos; Vietam Gallum, & alios, huius operis decus & ornamentum, Prouinciam adire, eique congratulari quòd Ludouicum Valesium Litteratorum Mecenatem Proregem habeat.

Anglia velut ægrè ferens quòd illi Te veneraturi praierint, binis Operibus, firmissimis exquisitissimisque demonstrationibus euincit sibi locum vltimum inter Primates illos minimè deberi; quapropter lucis candidissimæ radijs armata Refractiones suas ad pedes tuos procumbens deponit. Faxit Deus Opt. Max. vt quemadmodum hæc veritas solet à paralogismis Geometras eruere, ita nos ab omnibus erroribus tam practicis, quàm speculatiuis aeterna liberet Veritas, quam impensè diligis, donec solutis anigmatibus qua nostræ mentis aciem perstringunt, illius plenâ luce perfundaris, illáque verba Regia, Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt; & iustitiâ tuâ exultabunt, *raptus in æternam gloriam perpetuò contempleris.*

2009 Ministerio de Cultura

PRÆFATIO
VTILIS
IN SYNOPSIM
MATHEMATICAM.

ANTE sequentium Tractatuum lectionem primò notandum venit operæpretium esse, si quisquis vtiliter hosce tractatus secum ruri circumferre velit ad refricandam omnium Mathematicæ partium memoriam, & ad citandas, reperiendasque veterum & recentiorum propositiones, margini, vel chartæ quibuslibet foliis impressis interiectæ diagrammata, quæ iudicarit necessaria propositionibus intelligendis, adhibeat: quod typis fieri non potuit absque maximis impensis: sufficiet autem illas figuras addere propositionibus quas absque figura non intellexeris.

Secundò cruces Euclidis, Archimedis, Theodosij & Sphæricorum quibusdam propositionibus adhibitæ significant illas esse præcipuas, magisque addiscendas. Sed cùm cæterorum tractatuum fœcundiores propositiones debuissent etiam crucibus interdistingui, illas Typographi omisere: quas ex nostro codice quispiam in suum transferre poterit.

III. Geometricum studium seriò amplectentibus, ab Euclideis elementis, quæ via regia vocantur, incipiendum; quæ vel sola sufficiunt ad ea facilè capienda quæ de rebus Mathematicis Plato, Aristoteles, & alij Philosophi hucusque editi suis scriptis interseruêre; imò & ad alios Geometras intelligendos qui sequuntur. Constat autem ex omnibus artibus, & scientiis, quantus & quam vtilis, ac præclarus sit illorum vsus; de quo Blancanus, Bettinus, Proclus, & alij consulantur, si quæ diximus in Genesim, & de Harmonicis minimè sufficiant.

IV. Rami Geometriam Euclidi subiecimus ob summam illius breuitatem: quódque termini, & ordo quibus vtitur, nonnunquam

2009 Ministerio de Cultura

Euclideis propoſitionibus lucem afferãt : ſed & ipſe in ſcholis Mathematicis habet de illarum vſu non contemnenda, quæque lectione digna ſunt.

V. Sequitur Archimedes, cui vix quiſpiam auſit ſe comparare ſi præſertim ea quæ tradit, vi ſolâ ingenij, abſque Analyticæ artis, vel Specioſæ auxilio repererit & demonſtrarit : quâ quidem arte ſreti Geometræ credunt ſe omnia, & alia plura inuenire poſſe, quæ prodidit Syracuſanus ille : quapropter Vietæ debent plurimum, vtpote Specioſæ inuentori, vel reſtauratori ; quem etiam Diophantus inuit.

Florentij Riualti verſionem habes, quòd non omnia Archimedis opera Commandinus verterit : cuius tamen verſione in Euclidis elementis vſus ſum. Cùm autem primo notando monuerim de ſchematibus addendis, ea ſaltem adhibeantur propoſitionibus quæ à litteris Capitalibus pendent, quales ſunt ferè omnes de Quadratura parabolæ, & quæ ſecundum conicorum librum C. Mydorgij componunt. Vnico ſchemate Arenarium explicatum volui ; idem in aliis facturus tractatibus, ſi pauca ſchemata ſufficere potuiſſent : quod etiam factum eſt l. 4. Opticæ Prop. 59. in explicandis parallaxibus.

Archimedi verò ſuccedunt nonnulla ſupplementa quæ viris doctis Snellio, Keplero, Lucæque Valerio debentur : quibus addi poſſint acutiſſimæ propoſitiones clariſſimi Tauricelli ; qualis eſt ea quæ nuper tantopere nobis placuit, qua demonſtratur ſolidum hyperbolicum infinitæ longitudinis æquale cylindro finito ; quod etiam Geometra nuper reperit in ſpatio ex curua per ſummitates omnium rectarum proportionalium, & rectâ, cui ſunt illæ perpendiculares, compoſito : ſi tamen ſpatium dici poteſt, quod non vndequaq ; clauditur niſi forſan in infinitum : debent autem illæ perpendiculares ſpatiis æqualibus diſtare : quas quidem propoſitiones breui publicas faciet. Omitto varia quæ noſtri Geometræ circa grauitatis centra nuper inuenêre, quæ præfatione in noſtra mechanica phænomena protuli, & alia quæ ad trochoidem attinent, cuius ſpatium triplum eſt circuli lineam rectam motu ſuo circumferentiæ ſuæ æqualem ſuper plano recto deſcribentis : ſolidum autem ex trochoidis circa ſuam diametrum, vel ſuum axem conuerſionibus genitum Geometra noſter reperit eſſe ad ſuum cylindrum vt 5. ad 8. quem vrgere & precibus flectere debeas ad opus admirabile quod paratũ habet de trochoide tam æquali, quàm producta, vel contracta edendum : varios omitto modos quadrandi parabolam à priori : quibus fortè breui quadratura

2009 Ministerio de Cultura

hyperboles & circuli; & inuentio rectæ lineæ parabolæ æqualis accedet.

VI. Sequuntur sphærica, de quibus agunt Theodosius, Menelaüs & Maurolycus; quibus tamen Trigonometriam antepositimus, quæ tam rectilinea, quam sphærica & mixtilinea triangula meritur. Quibus iam addere possis aream ipsam triangulorum sphæricorum 3 maximis circulis constantium, quæ videlicet est ad maximum sphæræ circulum, vt differentia trium illius trianguli angulorum ad duos rectos angulos; verbi gratia, si differentia sit vnius recti, area trianguli erit subdupla maximi circuli, vt Geometra noster demonstrauit.

Maurolyci verò sphærica sequuntur Autolycus de sphæra mobili: Theodosius de habitationibus, Euclidis phænomena, & Cosmographia Astronomica, cum habitationum collatione, quæ sphæricis coronidem imponit: quibus theoriam planetarum addere poterimus, vbi Samius Aristarchus de mundi systemate ad manus nostras peruenerit, vt huic volumini portatili nil omnino desit.

VII. Sequitur Apollonius, cuius libris quattuor alij 4 eiusdem materiæ Clarissimi viri Claudij Mydorgij de sectionibus Conicis subijciuntur, qui Pergæanos vlteriùs promoueant; qui cum 4 posteriores, quos animo paratos habet, in lucem ediderit, non est quòd 4 non extantes Apollonij perquiras, aut quidpiam Opticæ, Catoptricæ, vel Dioptricæ perfectioni accessurum desideres, vix enim quidpiam de reflexionibus, refractionibus, & Dioptrarum vsu legitimo, cæterisque ad visionem pertinentibus dici potest, quod non possis ab eo expectare; vt iam monueram paginâ 193 Hydraulicorum.

VIII. Contractam Pappi Collectionem leges postea, qui libro 7 multos tractatus à veteribus editos enumerat, qui partim temporis tractu periere, partim etiam extant, vel nuper à viris eruditissimis restituti sunt. Sunt autem data Euclidis, quæ Alcalmus hac ratione in compendium & tabellam redegit.

2009 Ministerio de Cultura

SYNOPSIS LIBRI DATORVM EVCLIDIS.

- Datur Magnitudine
  - Magnitudo in genere. — Quibus æqualia possumus exhibere. — 2.3.4.7. Propos. 52. 92. 93.94. 95.
  - Area. — Quibus æqualia possumus exhibere. — 2.3.4.7. Propos. 52. 92. 93.94. 95.
  - Linea recta. — Quibus æqualia possumus exhibere. — 32. 55. 57. 58.59. 60. 84. 85. 86. 87.88.33.39.
  - Angulus. — Quibus æqualia possumus exhibere. — 32. 55. 57. 58.59. 60. 84. 85. 86. 87.88.33.39.
  - Circulus, cuius quæ ex centro magnitudine datur.
  - Segmentum circuli, in quo angulus datus est & basis magnitudine.
  - Rectæ ad rectam 1.5.6.8.9.22.23. 24.34.53.54. 56.68.69.76.77.81.94.
- Datur Ratione, cui æqualẽ possumus exhibere
  - Rectilinei ad Rectilineam.
    - Similis
      - vtcumque 51. — Trianguli ad Triangulũ 41. 71 72.
      - Modo quodam particulari. — Quadrati ad Triangulũ 63. Rectilinei ad Triangulũ 64. 65. 66.67. Parallelogrãmi ad parallelogrãmũ 70.73
    - Dissimilis 50.
  - Specie rectilineũ cuius anguli dati sunt ad vnum & laterum rationes ad inuicem datæ sunt autem.
    - Triangula 34.40.41.42.43.44.45.46.47.80.
    - Parallelogramma
      - quæcumque 61.62.
      - Rectangula 78.
- Datur Positione dantur quæ
  - Punctum 25.27. 90.96.
  - Linea 28.29.30.31.35.36.37.38.
- Datur eũdem semper locũ occupant.
  - Angulus.
  - Circulus cuius centrum positione datur, eaque quæ ex centro magnitudine.
- Datur positione & magnitudine.
  - Segmentum circuli in quo angulus datus est magnitudine, & basis positione & magnitudine.
  - Linea recta 26.91.

Magni-

2009 Ministerio de Cultura

IN SYNOPSIM.

Magnitudo magnitudine dato maior est quando ablato dato reliquum eidem æquum fuerit 12.

Magnitudo magnitudine dato maior est quam in ratione quando ablato dato reliquum ad idem rationem datam habuerit 10.11.13.14.15.16.17.18.19.20.21.

Quanquam propositiones 48, 49, 74, 75, 79, 82, 83 & 89, minimè cõplexus fuerit vt optimè vir eruditus, amicusq; charissimus animaduertit. Itaque data illa dedimus; déque Spatij Sectione; determinata Sectione, Tactionibus tam planis quàm sphæricis; locis planis, & inclinationibus protulimus ea quæ hactenus restituta sunt, ex quibus supersunt restituenda Euclidis Porismata. Quod enim ad locum ad tres, quatuórue lineas attinet, iam iam Geometra noster illum demonstrauit.

Cùm autem maxima pars propositionum Pappi schemata supponat, eas duntaxat attuli, quæ posse videntur absque figuris intelligi: quæ alia forsan editione dabuntur figuris ad libri marginem appositis.

Porrò qui Pappi textum Græcum videre voluerit, apud Dominum Lescuyer Senatorem eximium esse nouerit, cuius Bibliotheca nulli alteri cedit. Iuuabit autem hîc monere problema illud quod ad calcem Præfationis in Conica Cl. Mydorgij protuli, nunc vniuersaliùs à G. Desargues doctis soluendum ita proponi.

Dato itaque solido, de quo ibidem; plani secantis illud in figura dati generis, cuius figuræ axes sunt in ratione data, positionem inuenire; vel cuius maxima diametrorum coniugatarum inclinatio sit æqualis inclinationi datæ.

Quod vt soluat, mediantibus binis lineis per puncta quotlibet descriptis, plani positionem reperit solidum secantis in elliptica figura, à cuius centro recta ad solidi verticem ducta plano perpendicularis est. Hac enim elliptica mediante figurâ plani positio solidum in circulo secantis inuenietur: Hocque iuuante circulo, plani positio solidum secantis in figura dati generis suos axes habentis in ratione data reperietur; vel cuius axes coniugati maximæ inclinationis, datæ inclinationi æqualis est. Sed absque hisce mediis forsan eadem inuenientur ex data prima basi prædicti solidi.

Sequitur verò illius generaliissima propositio, quam soluat Geometra. Datis coni basi & vertice, datáque intersectione plani basicos cum plano secante conum, & binorum istorum planorum inclinatione, inuenire, absque figuræ descriptione, plana conicas secantia diametros sub angulo dato generantia, tangentes, ordinatas,

2009 Ministerio de Cultura

paramctros, cæteraſque præcipuas figuræ lineas.

Superſunt aliquæ propoſitiones ad anguli ſolidi contemplationem attinentes, quas integro tractatu demonſtrandas habet, quaſque in anteceſſum accipe.

In angulo ſolido tribus rectis conterminato bina ſunt ternaria, tres ſcilicet anguli qui ſolidum illum angulum inter ſe conſtituunt, & tres inclinationes planorum ipſorum angulorum. Vnde videntur quatuor oriri problemata, nempe,

1. Datis tribus angulis tres inclinationes inuenire.
2. Datis duobus angulis & vna inclinatione, reliquum angulum cum duabus aliis inclinationibus inuenire.
3. Dato vno angulo cum duabus inclinationibus, duos alios angulos & vnam inclinationem inuenire.
4. Datis tribus inclinationibus tres angulos inuenire.

Ex hac autem ſolidi contemplatione duo tantùm exorientur problemata: hic autem modus eſt.

In quocunque angulo ſolido tribus rectis conterminato plana inclinationum illius ita ſumi poſſunt vt ad inuicem alium angulum ſolidum tribus itidem rectis conterminatum conſtituant; cuius vertex intra primum contineatur, & in alterutro ipſorum angulorum ſolidorum quilibet angulus ſit reciprocè ſupplementum vnius inclinationum alterius.

Quibus demonſtratis problema tertium ad ſecundum, quartumque quod difficilius videbatur, reducitur ad primum, eſtque facillimum.

IX. Sequuntur Mechanicorum Libri, quorum primo fuſiſſimè de centro ſolidorum, déque aliis agitur, partéque ſecunda & tertia quæ Commandinus & Lucas Valerius ea de re docuerunt, referuntur. Quibus iam addi poſſent multa præclara, præter ea quæ notando 3 & 4 præfationis in mechanica phænomena diximus, quæ nouiter à noſtris ſummis Geometris inuenta ſunt. Quarta pars libri 1 mechanic. agit de linea directionis, & cæteris ad grauitatis centrum attinentibus.

Liber ſecundus fusè de quinque potentiis; cuius prima pars de iis quæ vectem atque libram, & centri grauitatis inueniendi modum ſpectant: Secunda de ponderibus obliquis, iterúmque de Vecte & Libra, reliquiſue machinis ad illud principium reuocandis: deque nauigatione, & aliis quæſtionibus Mechanicis ab Ariſtotele propoſitis. Tertia pars de circuli vtilitatibus, & mirabilibus in mechanicis. Quarta pars de Trochleis. Quinta de Scytalis, Ergatis, axe in

2009 Ministerio de Cultura

peritrochio, tollenone, pancratio, &c. Quæ omnia iuuabunt, iuuabunturque ex noſtrorum Phænomenon Mechanicorum comparatione, vt iam præfationis puncto 2 in illa phænomena monui.

X. Iam ſupereſt Optica quæ 7 libris huic Synopſi colophonem imponit: quorum primus agit de luce, vmbra, coloribus, oculi fabrica, viſione, communibus obiectis & aſpectus fallaciis. Secundus de Catoptrica, vel ſpeculis tam planis, quàm ſphæricis, cylindricis, & conicis. Tertius de Dioptricis, & tubis Batauicis. Quartus de parallaxibus, ſeu diuerſitatibus aſpectus. Quintus de arte Perſpectiuæ. Sextus & ſeptimus refractionis naturam variis demonſtrationibus explicant, quorum ſeptimus ex hypotheſibus Phyſicis præclara concludit.

Iuuabit autem legiſſe Sanctorij obſeruationem, qui pag. 322 in artem medicinalem Galeni, ait nigrum colorem fieri dum lumen in ſuperficiebus innumeris refrangitur, ſeu ex ſphæris diaphanis plenis illuminatis, quòd hæ tenebras & vmbras generent ex quibus nigredo; quod ex lagena vitrea aqua plena lumen in cuſpidem projiciatur, vmbra verò in partes reliquas.

Album ait ſe producere ex 40 plus minus ſphærulis vitreis vacuis & perforatis, quæ ſint nucleis ceraſorum magnitudine æquales, in cyathum aquâ plenum miſſis, quæ ſimul vnitæ & vacuæ colorem album efficiunt: quæ cùm aquâ replentur, fit nigrum: ab aliis corporibus non ſphæricis viridem, puniceum & purpureum deducit. Alios medios colores facit, pallidum inter album & flauum, quem dicere poſſis giluum, & χλῶρὸν, qualis eſt albi vini antiquati: flauum ξανθὸν, qualis eſt in flaua bile: rufum, ſeu rutilum; qualis in arido croci flore: fuluum, qualis eſt in orichalco, dorſoque vulpis, quem paulo obſcuriorem rauum, appellant: rubrum, phæniceum, vel puniceum, qualis in granis mali punici, & in ſuperiore iride: qui ſimiliter purpureus in labiis, ſanguineus, chermeſinus, oſtrum, &c. Glaucum, vel cæſium in oculis, cæruleum in cœlis, lapide lazuli, ſaphyro, &c. Cætera penes autorem.

Quanto ſubtiliùs colorum naturam Vir illuſtris R. Carteſius octauo de Iride diſcurſu explicarit, quiſquis ibidem colorum ortum ex variis ſphærularum motibus legerit, cum admiratione fatebitur. Ad quod breui ſperamus acceſſurum peculiarem de coloribus tractatum ſubtiliſſimi Philoſophi Honorati Fabry, de quo iam alibi, qui tot rationibus & obſeruationibus probat colores nil eſſe aliud præter lumen vario modo reflexum, aut refractum: album eſſe continuam radiorum ſeriem ab obiectis reflexorum, vel manantium, nigrum vel

2009 Ministerio de Cultura

omnimodam radiorum abſentiam, ſi fuerit perfectè nigrum, vel illorum paucitatem, & interruptionem ferè continuam; rubeum inter album & nigrum medium, alternam radiorum interruptionem, &c. vt eum nequeas animo diſcendi perlegere, quin eas libenter in illius ſententiam.

Porrò quam initio libri 7 Opticæ reperies hypotheſim fuſiùs, explicatam habes 24 Prop. Balliſticæ, quæ illi iuncta libro pauca ſuperunt in ea materia quæ deſideres: quanquam notandum illam ſolis tumeſcentiam non ita neceſſariam videri, quin aliquo corporis ſolaris motu trepidationis, cribrationis, &c. Phænomena lucida poſſint explicari: dummodo enim ita moueatur circumfuſus aër, aut quoduis aliud corpus ſolem circumſtans, vt lucem eodem modo percipere, ſentiréque videamur, nec quidpiam contra mechanicæ leges afferatur, quid vlteriùs cupias? niſi fortè nunquam tibi ſatisfieri dixeris, donec clarè innoteſcat non ſolùm quot modis fieri poſſit illuminatio, ſed etiam quomodo reuera fiat: quod vix peregrinus ſperare, potiúſque in patria expectare debeas.

Eſt tamen quòd plurimi faciamus viros ſummos qui pro viribus nituntur ex hypotheſibus ſiue Democriti & aliorum veterum, ſiue propriis, omnia naturæ phænomena explicare, quos inter eminet Vir illuſtris, cuius Phyſicam indies expectamus; & Decanus Dinienſis, cuius Philoſophia tam ſtili pulchritudine, quàm nouarum obſeruationum multitudine, rationúmque ſubtilitate philomuſos in tanti viri raptura ſit admirationem, vix vt vnus ſuperſit, qui deinceps atomos reijciat.

Quod attinet ad artem Perſpectiuæ, non eſt quòd aliam deſideres eâ perfectiorem quam ab A. Boſſe expectamus, qui cælaturis, & inciſionibus ſuis, quibus varios de ſectione lapidum, de horologiis, &c. tractatus à G. Deſargues compoſitos tam admirabiliter exornauit, vt ars cælaturæ manum vltimam inueniſſe videatur.

Adde Curioſam R. P. Niceronis Perſpectiuam, quam edidit de Speculis cylindricis figuras incognitas, ob varias proiectiones aperientibus; & de Diaphanis, ob diuerſa plana triangularia, ſiue omphaloptra, ex certis diſtantiæ punctis obiecta diffita colligentibus (quæ collecta diſſipant ex aliis punctis) déque aliis mirandis phænomenis, quibus propediem plura ſit additurus.

XI. Quaſdam verò huic Synopſi Mathematicæ partes deeſſe noui; verbi cauſâ Horologiographiam, vel Sciotericam, de qua fusè ſatis nuper prædictus A. Boſſe: Theoriam Planetarum, de qua conſulatur Epitome Kepleri, Blancani ſphæra, & Ariſtarchus in ſyſte-

Mnisterio de Cultura

matē, quem fortè breui faciemus iuris publici. Quid opus illud ingens eximij Astronomi I.Boullialdi, quod iam prælum exercet, reticeam? quod facilè superabit quidquid hactenus Astronomicum editum est, quódque nihil aliunde supponet, vt qui volumen illud habuerit, omnia generis istius obtineat. Omitto etiam Analysim, seu Algebram, quam ex Vieta, nuperáque illustris V. Geometria, Diophanto adhibito repetas; nisi malis eam industriâ Geometræ D. Chauueau adornatam, & maiori claritate, facilitatéque donatam expectare.

Non commemoro quæcunque ad obsidiones, & defensiones attinent, hoc est Architecturam militarem, quam plurimi cum Itali, & Germani, tum etiam Galli, vt eques à Villa, &c. prope colophonem perduxisse videntur, quòd hæc pars ad Ingenioſos pertineat, è quibus maximè cupiam virum laudatissimum Dominum de Mets pulcherrimum & limatissimum opus suum de Munitione, seu fortificatione in lucem edere, cui deinceps quidquam aliud addi minimè necessarium; & cui etiam exteri gratias habere debeant de incredibili hac in re diligentia.

Sed neque Arithmeticam interserui, cuius fundamenta l. 5, 7, 8, & 9, Elementorum Euclidis habentur; vt Algebræ libro 10. quòd tantus extet Arithmeticarum numerus vt frustra multiplicetur: quum tamen si his in rebus vir incomparabilis D. Freniclus suis nouis repertis augere velit, omnium possit animos rapere in admirationem.

Non desunt autem egregij viri apprimè tam in Geometricis puris quàm mixtis versati, qui scientias istas maximè promoueant, quos inter Pellium Anglum, præter eos quos hoc Opere laudaui, ad ea quæ parauit in lucem edenda vrgere, iuuaréque oporteat.

XII. Non solùm verò Geometras admiror qui vel ipsum Archimedem breui fortè superaturi sint, verùm etiam alios, qui noua reperiunt, aut vetera multis accessionibus adornant; quos inter R. P. Petauius eminet, qui tribus Positiuæ Theologiæ voluminibus satis ostendit, post 4 aut quinque reliqua, quæ in dies expectamus, nullam deinceps aliam Theologiam desiderandam esse, siue rerum soliditatem, siue elegantiam, & expositionem quæsieris, vt iam rerum Theologicarum Osores barbariem non possint ampliùs obijcere, & exprobrare.

Sed & admirandi viri, veréque Theodidacti, & Theotimi Marandei Theologicā Paraphrasim in sancti Doctoris summā mirâ eruditione,

2009 Ministerio de Cultura

raráque pietate illustrantem commemorare lubet, quâ nostram Galliam adornat, & idioma nostrum ad summam dignitatem hoc opere incomparabili euectum, atque sanctificatum perducit; Hispanosque, Germanos, Belgas, Batauos, Polonos, & alios totius orbis, Christiani præsertim, incolas beatos duxero, si opus adeo pulchrum, & vtile in idiomata sua transferri curent, vt æmulatione sanctâ prouocati & incensi scientiâ beatorum perfruantur.

XIII. Verbi diuini præcones monitos velim, qui nouis exordiis suas conciones, aut alias partes inauditis, pulchris tamen & vtilibus tropologiis, & comparationibus, atque parallelis exornare voluerint, habere plurima tam hoc quàm præcedente volumine quæ possint ad mores traducere. Quid enim, verbi causâ, facilius quàm ex 29 lucis theorematibus, aut 30 vmbræ sequentibus, quæ leguntur Optices libro primo, multa cum ad fidem tum ad virtutes commendandas elicere?

Vixque propositionem vllam ex ingenti numero theorematum, quibus Opticorum libri septem constant, possis intelligere, quæ peculiarem de moribus cogitationem non ingeneret, & exornandæ concioni seruiat.

Idémque de propositionibus Méchanicis dicendum, illis præsertim quæ 1 & 4 partel. 1. & toto l. 2 continentur. Sunt enim secunda, tertiáque libri pars magis arduæ. Tertius liber facillimè transferetur ad pietatem ab omnibus, modo voluerint; cuius rei sexcenta proferrem exempla, si contrariæ Synopsis leges permitterent.

Adde quod cuique magè sapiant quæ proprio studio reperit, quòd ab alio suggesta, & edita fiant omnibus communia, vel à pluribus negligantur: vel si quis vtatur, timet ne forsan alius eadem in vsus suos conuerterit, ex quo postmodum hausisse, vel cum quo concurrisse dicatur. Solent enim homines eâ gloriæ cupiditate titillari vt quæ primi dixerint, abs se inuenta credant auditores, apud quos propterea maiori valeant auctoritate, vtpote ingenio præstantiores, vel pietate præcipui; quod gloriæ, famæque desiderium sola valet extinguere, vel sedare Dei charitas: quam diuini verbi præco ita debet apud seipsum statuere & ordinare, nil, vt Dei gloriam & auditorum salutem æternam quærere debeat.

XIV. Huic Præfationi finem impono vbi monuerim viros illos eruditos qui peculiares ad nostræ fidei confirmationem rationes meditati sunt, & inuenerunt, magnam laudem consecuturos, maioremque carpturos vtilitatem, si tractatus suos rationibus adeo solidis fulciant, vt impij veritati cedere cogantur. Quapropter ob-

Ministerio de Cultura

fecrandi sunt R.P. Dinetus, qui breui, sed neruoso tractatu Dei existentiam, & animorum nostrorum immortalitatem probat: Montarsius subtilissimus, qui ex primis naturæ, vel scientiarum principiis idem aggressus est, & R. P. I. Lacombeus noster, qui Philosophiam & Theologiam nouam adeo fœliciter condidisse mihi videtur, ex idearum diuinarum contemplatione, & variis participationis gradibus, quibus ad Deum creaturæ referuntur, vt qui systema illius Theologico-Philosophicum perfectè hauserint, nil illis superst quàm vt in profundissimam ecstasim rapti cum beatis æternum Deo canant, *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitiâ tuâ exultabunt*: Obsecrandi sunt, inquam, illiviri præstantissimi, vel si qui præterea, ne suos illos tractatus, si fieri commodè potest, diutiùs luci denegent, tantósque thesauros diu nimis recondant.

ERRATA TYPORVM EMENDANDA.

PAginâ 58 l.14. quintupartiente. p.86 l.27. homogenea. p.87. l.28. solidus, p.313. l.1. SERENI. p.365. l.9. COLLECTIO. p.583 in figura sinistra pro i scribe κ & dele g & h, & pro ↄ inuerso scribe S. p.588. in figura adde B in centro. p.589. in figura pro D scribe B, & in angulis inferioris acumine addatur D.

Omitto reliquos errores quos Lector facilè poterit emendare, vt in superioribus marginibus Collectionis Pappi, semper apponi debuit Pappi Collectiones.

Deinde aliquando in numeris paginarum aberratum, vt post 71 & 72, iterum repetitur 71 & 72.

Cæterùm Index qui folium istud sequitur, instar erit Dictionarij Mathematici, quo ferè omnes termini vulgo non ita noti explicabuntur.

2009 Ministerio de Cultura

INDEX LIBRORVM HOC VOLVMINE COMPREHENSORVM.

I. EVclidis Elementorum Libri XV, cum 3 Candallæ, à prima pagina ad 64.

II. Rami Geometriæ Libri XXVII. à pag. 65. ad 91.

III. Archimedis opera, seu de sphæra & cylindro, Libri duo, à pag. 92. ad 109. De dimensione circuli à 109. ad 110. De Conoidibus, & Sphæroidibus, à pag. 110 ad 124. De Quadratura paraboles, à pag. 124. ad 130. De Spiralibus, à 130 ad 134. De Centrobaricis Libri duo, à pag 142. ad 148. De insidentibus humido, à 149 ad 114. Arenarius à 154 ad 165.

IV. Supplementum Archimedis, cuius Cyclometricus Snellij, à pag. 165 ad 169. Stereometria Keplerj, à 169 ad 177. Lucæ falsum simplex quadrans parabolam, à 177 ad 178.

V. Theodosij sphæricorum Libri tres, à pag. 119 ad 205. Menelai sphæricorum libri tres, à 205 ad 230. Maurolyci tres, à 205. ad 243. Antolycus de sphæra, à pag. 243 ad 246. Hinc Theodosius de Habitationibus ad 249 : hincque Euclidis phænomena ad vsque 255. Cosmographia vsque ad 272.

Apollonij libri 4 de sectionibus Conicis, à 276 ad 312.

Sereni libri duo de sectione cylindri, à 313 ad 328.

C. Mydorgij libri 4 de sectionibus conicis, à 332 ad 365.

Pappi Collectionum octo libri abbreuiati, à 365 ad 393 : Vbi habentur data Euclidis, Vietæ Sectiones angulares, & alij plurimi Tractatus restituti.

Mechanicorum libri duo, à 395 ad 472. vbi Commandinus & Lucas Valerius de centro grauitatis solidorum. De linea directionis, & de quinque Potentijs, seu viribus Mechanicis.

Opticorum libri septem, à 471 & deinceps; vbi Catoptrica, Dioptrica, Parallaxes. & refractiones explicantur.

© Ministerio de Cultura

DICTIONARIVM MATHEMATICVM.

Hoc est Syllabus omnium vocabulorum, & rerum præcipuarum quæ isto secundo volumine continentur.

A

ABen Nedin Arabs, 275
Actionis definitio, 567
Adscriptio circuli, 80
Adscriptio trianguli 80, & triangulati, 81
Adumbrandum & vmbra, 543
Æqualium & inæqualium comparationes, 3
Æquatoris officia, 261
Æquilibriorum & æquilibrantium leges, 439
Æquilibrium super planis obliquis, 445
Æquinoctialis quid, 249, 259, 260, & 261
Æquinoctialis incolæ, 246, & 247
Æquinoctialis gradus 20 leucarum, 260
Æquiponderantium proprietates à 142 ad 148
Æquipondii proportio 453
Aër densior æthere, 529
Agens & patiens, quid 567
Albus, niger, viridis, rubeus, cæruleus, 486
Almicantarath, vel circuli progressionum, 266
Altitudo figuræ, 18
Amphiscii, & Amphiumbræ, 261, & 271
Anaclasticæ elementa, 589
Analogia, 14
Analogia ordinata perturbata, 14
Analogiæ decem, 365
Analogismus visionis refractæ, 549
Analysis Vietea, 330
Analytici libri 3. numeri 372
Angularium sectionum doctrina 389, vsque ad 392
Anguli homogenei, cruribus congrui, 66
Anguli in centro, & in peripheria, 79
Anguli mensura, 181
Anguli sinus, 231. proportionales 232
Anguli solidi contemplatio problematica, præf. punct. VIII.
Anguli sphærales comparati, 205
Angulorum valor, 142
Angulorum leges, 66
Angulorum in plano passiones, 68
Angulorum æqualitas in sphæricis, 211
Angulorum diuisiones & proprietates, 182
Angulus in portione, 8
Angulus solidus, 41
Angulus contactus, 78
Angulus in sectione, 79
Angulus in semicirculo, 80
Angulus planus, 1, & 66
Angulus inclinationis, 190
Angulus obtusus & acutus, 1, & 67
Angulus sphæralis, quis, 204. triplex.
Angulus refractus, & refractionis 515, incidentiæ, 514
Angulus maior inclinationis habet maiorem angulum refractum, 585

✠✠✠

Angulus refractionis radii ingredientis eſt æqualis refractioni radii exeuntis, 580
Annulare corpus, 171
Annulus ſectionis circularis, 172
Anſa eſt pendula diameter, 442
Antenna cauſa motus nauis, 451
Antitycho Scipionis, 519
Antichthones, vel Antipodes, 270
Antoeci, & illorum in ſphæra oppoſitiones, ibid.
Apollonii liber 5, 6, & 7, apud Golium 274
Apollonius Gallus, 383
Apollonius Arabs, 274, eius propoſitiones.
Apotomæ ſex definitæ, 38, & illarum paſſiones, 39
Apotomarum paſſiones, 37
Apotomen ſequentes lineæ tredecim, 40
Apum induſtria, 368
Aquæ plus continetur in vaſe ad pedem, quam in vertice montis, 399
Aqueus humor & alii, 487
Archimedis dictum audax, 395
Architectura militaris, præfat. puncto XP.
Arcus minores ſemicirculo, 215
Arcus cum baſi contermini, 217
Arcus circulorum ſphæralium comparati 206, & deinceps.
Arcus motus veri, & viſi, 531
Area triangulorum ſphæricorum comparata maximo ſpæræ circulo, præfat. puncto VI.
Arenarum numerus in toto mundo in arenam conuerſo, 164
Arenæ granum quantum, 159
Aries, primum ſignum, 263
Ariſtarchus Samius 154, eius ſyſtema cœleſte, 154
Arithmetica medietas, 366
Artes Sculptoriæ, Architectnræ partes, 541
Ars Manganorum, 392
Aſcenſio recta vera, viſa, 531
Aſpectus fallaciæ. 495
Aſſymptoti 290, & 341
Aſſymptoton proprietates, 291, & deinceps.
Aſteriſcus Pancratii, 471
Aſtra quæ oriantur, quæ non 250, & deinceps.
Aſtronomia Boullialdi, præf. puncto XI.
Aſtronomicus locus, 370
Aſtronomicus dies, 265. horizon, ibid.
Aſtronomicus horizon, ſeu verus, 265
Attalus, 274. & 305
Auroræ colores, 529
Autolycus de ſphæra mobili, 243. & deinceps.
Axes coniugati, 278
Axes optici, vbi, 491
Axiomata, vel communes notiones, 3
Axiomata 4 magnitudinum, 31
Axiomata ſex pro ſolutione triangulorum rectilineorum, 186
Axiomata 4 pro triang. ſphæric. ſolutione, 186
Axis coni & cylindri, 42
Axis ſolidi, 85
Axis extrema, poli, 189
Axis, & baſis cylindri.
Axis ſectionis coni, 333. vertex.
Axis priſmatis, cylindri, pyramidis, 400
Axis in peritrochio leges, 468
Axis communis immutabilis, 491
Axis opticus qualis, 488

B

BAculus digito ſuſtentatus, 455
Baldi opinio de antenna, 451
Baſis trianguli potentia, 75
Baſis, altitudo, vertex ſectionum, 129
Bilancis, ſeu trutinæ vſus, 127
Binomium, ſeu bina nomina, 34
Bononiæ Gariſenda, 436
Buccoſitas in doliis, 177

C

CAleſieri quid, 567
Cathetus incidentiæ, & reflexionis, 501

Cancri & Capricorni tropicus, 266
Canouis triangulorum constructio, 186
Cauæ superficies, 93
Celonij, seu tollenonis descriptio, 469
Centra grauitatum, 143. & deinceps.
Centra grauitatis sphæroidis, 426. 2. parabolarum, 427
Centra diuersarum magnitudinum, 417
Centri grauitatis definitio, 393. & 396
Centrobarica solidorum, 444
Centrum, 1. & 67
Centrum semiparabolæ, 178
Centrum grauitatis, ibid.
Centrum grauitatis 2. pyramidum, 410. & 416
Centrum grauitatis cuiuslibet portionis parabolæ, 148
Centrum grauitatis frusti pyramidis, 411. coni 412. cylindri.
Centrum sectionis, quid, 282
Centrum sectionis coni, 335
Centrum terræ 2. modis reperitur, 399
Centrum omnis figuræ rectilineæ, ellipsis, prismatis, cylindri, 401
Centrum portionis sphæræ, & sphæroidis, 402
Centrum terræ leucis 1145 distans, 398
Centrum magnitudinis, 397
Centrum figuræ 397. vniuersi.
Centrum polyedri, 406
Centrum grauitatis trianguli, parallelogrammi, 409
Centrum grauitatis trapezii, 410. polygoni.
Centrum hemisphærli, 418. & 429
Centrum portionis sphæræ, vbi, 418. & deinceps.
Centrum sectionis, 314
Centrum grauitatis cuiuscunque corporis, quomodo reperiatur, 443
Centrum grauitatis nunquam ascendit, 436
Centrum portionis conoidis, 404
Cerebri in videndo reactio, 569
Charistii & Pancratii miranda vis, 471
Chordæ arcus, 223
Chordæ comparantur arcubus, 240
Chordæ tres pro velis, 451
Choroides & sclerodes, 488
Christallinum esse lentem, 522
Circuli diuisio in 360 partes, 259
Circuli maiores sphæræ, & illorum proprietates, 192
Circuli maioris motus densitati, minoris raritati comparatur, 460
Circuli passiones, 10, & 11
Circuli dimensio, 83
Circulus maioris sphæræ officia, 244. & deinceps.
Circuli, & peripheriæ variæ comparationes. 167
Circuli multæ proprietates. 134
Circuli diuisio in 360 gradus, 182
Circuli segmenta, 79
Circuli area ad diametri quadratum, vt 11. ad 14. 169
Circuli vtilitates in mechanicis, 456
Circuli centrum, 9
Circuli progressionum, 266
Circuli declinationum, 265
Circuli polus, 190
Circuli æquidistantes in sphæra, 202
Circuli adscriptio. 80
Circuli multæ figuræ inscriptæ, & earum mensura, 167
Circulorum in sphæra contactus, & occursus, 201
Circulorum maiorum contactus, & aliæ proprietates, 202, &c.
Circulorum inscriptiones, & circumscriptiones, 13
Circulorum in sphæra inclinationes, 208
Circulorum sectio in sphæra, 202
Circulorum comparatio, 46
Circulorum & sphærarum comparationes, & mensuræ, 125
Circulus minimus maximo æqualis, 459. quare motum æqualem describat.
Circulus infinitis angulis constans, 457
Circulus sectio, 315
Circulus sphæræ quis maior, 191
Circulus comparatur triangulo, & qua-

drato, 109
Circulus cui triangulo æqualis, 167
Circulus seu figura rotunda, 1.& 68.& 77
Circulus comparatus coni & cylindri superficiei, 97
Circumferentia ex sectione coni nata, 334
Circumferentia plusquam diametri tripla 157
Circumferentiæ similes, 9
Circumferentiæ diametris comparatæ, 469
Circumferentiæ circulorum vt diametri, 394
Circumferentiæ ratio ad diametrum, 110
Circumscriptio & inscriptio figurarum circulo, 13
Cissoidis ope ducans medias inuenire, 104
Citrii corpus quantum, 172
Climata tribus parallelis inclusa, 267
Climatum nomina, & loca, 267
Climatum latitudines, & poli eleuatio, ib.
Climatum numerus & magnitudo, 268
Cochlea vectis continuatus, 469
Cochlea infinita, quid, 470
Collopum maiorum effectus, 467
Color quid, 485
Color albus & niger quomodo fiant, præf. puncto X.
Color giluus, rauus, &c. & quinam, præf. puncto X.
Colores auroræ, 529
Colores prismatis & iridis vnde, 589
Colores ad 3 reuocati, 486
Colores idem ac lumen, & quot radiis quisque color fiat, præf. puncto X.
Columnarum centra grauitatis, 442 pondera, 443
Colurorum officia, 264
Commandini liber de centro solidorum à 400 ad 405
Commensurabiles magnitudines, 30
Communes notiones quatuor, 31
Comparatio triangulorum, 71
Complementum, 73
Compositio rationis, 14
Compositus numerus 21, & 25
Concauarum & conuexarum lentium vsus, 526
Concentricus orbis solis quid, 569
Conchois lineæ, 104
Conoishyperbolica, 118
Concionatorum tropologiæ, præf. puncto XIII.
Concursus, & lineæ concurrentes, 543
Coni scalieni sectio per axem, 322. & deinceps.
Coni rectanguli sectiones, 12, & deinceps.
Coni & cylindri axis, & bases, 42
Coni acutianguli sectio, 115
Coni recti, qui, 277. scaleni, & 333
Coni variæ sectiones, 172
Coni similes sectiones, 350, & 360
Coni eædem sectiones, 350
Coni similes, qui, 350. dissimiles.
Coni sectionis superpositio alteri coni sectioni, quid, 350
Coni & cylindri geodæsia, 117
Coni rectanguli portio, 110
Coni isosceles superficies circulo comparata, 97
Coni inter se comparati, 98
Coni per axem sectiones, 279, & 333
Coni generatio, 279
Coni definitio, vertex, basis, axis, 332
Conica linea, 333
Conica superficies, quæ, 277, vertex ipsius & axis.
Conicæ superficiei definitio 332. vertex axis.
Conicarum sectionum circumstantiæ, 173
Conicorum 8 libri Mydorgii, & eorum breuiarium, 329
Conicum, 84
Coniugationum trunci quanti, 176
Conoides parabolicum comparatum cylindro, 415
Conoidis segmentum, & portio, 121
Conoidis rectangulæ in aquam immersio, 151.& deinceps.

Conoidis parabolici centrum 421. item hyperbolici.
Conois amblygonia, 111
Conoides rectangulum 111. axis, vertex.
Conoideon, & sphæroideon sectiones, 122
Conon, 92, & 104, & 124, & 130. & 306
Conorum mensuræ & comparatio, 46
Conorum passiones. 321
Conorum æquealtorum proportio, 327
Contactus punctum quid, 78
Contactus parabolarum, & aliarum sectionum, 310
Continuum, 65
Conuersio rationis, 14
Conuexarum superficiarum mensuræ, 170
Conus sectus plano per verticem. 324, & deinceps.
Conus æqualis segmento sphæræ, 170
Conus æqualis sphærę, ibid.
Conus & eius proprietates, 90, & 42
Corneæ tunicæ diameter, 488
Corporum regularium eidem sphæræ inscriptorum comparatio, 53
Corpus oliuæ, pruni, citrii quantum, 172
Corpus quid, 84
Corollarium vtilissimum pro refractione, 587
Cratista, 365
Crepusculum cum sol 18 gradus sub horizonte, 262
Cubi comparatio cum aliis cubis, 414
Cubus an figura stabilissima, 458
Cubus, pyramis, octaedrum, &c. comparantur, 56, & 58
Cubus numerus 22, & 26, & 27
Cubus circumscriptus sphæræ ad sphæram vt 21 ad 11. 170
Cubus 87. eius propietates, 42
Cunei valida impressio, 468
Cunei naturam sequuntur enses, limæ. 467
Cuneorum duæ species, 469
Cuneus vectis multiplicatus, ibid.
Cuneus linearis, & superficialis. ibid.
Curuæ diameter & vertex. 314
Cyclometricus Villebrordi. 165
Cylinder collatus cum hemisphæroidibus 425, & deinceps.
Cylinder & trunci coniungati, 174
Cylinder subcontrarius, 175
Cylinder æqualis trunco. ibid.
Cylindraceum. 84
Cylindræ superficiei generatio. 314
Cylindri frusta. 114
Cylindri inter se comparati. 98
Cylindri recti & scaleni. 314
Cylindri sectio, ellipsis 318. & deinceps.
Cylindri sectio per axem quid generet. 316
cylindri superficies comparata circulo. 97
cylindri definitio, basis & circuli. 314
cylindricorum frustorum varie sectorum centra. 428
cylindricum speculum. 506
cylindrorum mensura & comparatio, 46
cylindrorum mensuræ & sectiones, 174
cylindrus sphæræ comparatus. 101
cylindrus & conus eadem ellipsi secti. 317
cylindrus sphæræ sesquialter quis, 369
cylindrus quis capacissimus, 174
cylindrus & eius dimensiones, 90. & 42
cyrus, 313. & 320

D

D'Apodogrammaphe quid, 545
Dari specie, petitione, positione, magnitudine, 373
Data Euclidis à 376 ad 381. vide punctum 8. præfationis.
Data Euclidis in tabellam contracta: præf. puncto VIII.
Data magnitudine, 375
Data Euclidis referuntur, ibid.
Datæ magnitudines multifariam expositæ à 374 ad 381
Datum hypothesis, ordinatum, porimon, porisston, effabile cognitum 373. quid sint.
Decangulum, 82

Decem medietates explicatæ 366
Definitiones duæ ſecundæ 334
Definitiones tertiæ tredecim 336
Definitiones 4 commandini 400
Definitiones quinque 18
Definitiones quinque conicæ 35
Definitiones 6 ſpeculares 504
Definitiones ſeptem Archimedis 93
Definitiones ſeptem Valerii 406
Definitiones 10 opticę 477
Definitiones ſeptem 12
Definitiones 14 dioptricæ 514
Definitiones 14 catoptricæ 500
Definitiones 15 ſereni 314
Definitiones perſpectiuæ ſexdecim 543
Definitiones 18 parallaxium 530
Definitiones 19 mydorgii 332. & 333
Definitiones 19 Apollonii 278. deinde 4 aliæ 282
Definitiones 23 Euclidis, 21
Definitiones trigintaquinque Euclidis 1
Demetrius 368
Dextta ſiniſtra apparent 505
Diagonale 73
Diagonius cubi 87
Diagonius octaëdri 88
Diagonius icoſaëdri 89
Diameter 1 & 67
Diameter ſecunda 335
Diameter principalis ſectionis coni, ibid.
Diameter tranſuerſa quid ibid.
Diameter viſualis ſemper ſibi conſtans 550
Diameter mundi collata cum diametro terræ 159
Diameter lineæ curuæ 314
Diameter coni ſectionis 333
Diameter recta, quid 278
Diameter ſecunda 282
Diameter ſecunda 314
Diameter lateri incommenſurabilis 40
Diameter grauitatis 397. plannm diametrale.
Diameter & ſemidiameter ſphæræ comparatur lateribus corporum regularium 50
Diameter ſectionis 291, 293, &c.
Diametri aſſumptæ ſectionum coni 335
Diametri coniugatæ 314
Diametri coniugatæ 335
Diametri trium ſectionum quæ, 288
Diametrorum ſimiles portiones 360
Diaphana multiplicantia 519
Diaphanum, & opacum 477
Dieppæ longitudo 270
Dies 24 horarum, vbi 248
Dies maxima cuiuſlibet climatis 269
Dineti tractatus egregius de Deo, præf. puncto XIV.
Dioptrica 472
Dioptricorum inſtrumentorum explicatio 518
Directionis lineæ definitio 433. motus.
Diſtantia perfectæ viſionis quanta. 546
Diſtantia quomodo nota 493
Diuiſio rationis 14
Dodecaedrum & eius diagonius 89, & 42
Doliorum menſurę 176
Doſitheus, 92
Doſitheus 92, & 104. & 124. & 130
Duæ proportionales medię 101
Duodecim Archimedis petitiones 142

E

Ecliptica ſyderum locus 263
Eclipticæ officia ibid.
Ellipſes ſimiles 314
Ellipſis & parabolæ area quanta 170
Ellipſis generatio 281. definitio 334
Elliptica ſpecula 513
Eratoſthenis meſolabium 365
Euclidis phænomena 249
Eudemus 274. & 276. Pergamus 305
Eudoxi inuenta 92
Eudoxus quid in Geometria repererit, ibid.
Eudoxus facit ſolem lunæ noncuplum. 155
Eutocii ratio improbata 330
Exoctaëdron 59. vſque ad 63

Ministerio de Cultura

F

FIgura quid 1 & 67
Figura rectilinea 12
Figura prima, rationalis, isoperimetra 67
Figura explicans refractiones 539
Figura explicans systema Aristarchi 157
Figurarum leges 67
Figuratus parallelepipedi 87
Figuræ similes 18, reciprocæ
Figuræ solidæ inscriptiones 43
Figuræ reciprocæ 67
Figuræ altitudo quæ 67
Figuræ proprierates 67. & deinceps
Figuræ similes 67. & 68
Figuræ complentes locum 68
Figuræ in sphęra inscriptæ 99
Figuræ circa sphæram circumscriptæ 100
Figuræ solidæ sub conicis superficiebus 102
Figuræ solidæ in sphæræ portione 102
Figuræ conscriptæ circa spirales 139
Figuræ hyperbolarum & cilipsium, 335
Figuræ locum replentes 368
Finis contingentiæ 505
Firmamenti ambitus quantus 158
Firmamentum, speculum 509
Flumina varia referuntur 272
Foci speculorum lucem cylindricam proiicientes, 508
Focorum vires & proportiones 509
Forcipum helices habentium vis 470
Frusti conoidis parab. & hyperb. centrum 421
Frusti pyramidis mensuræ, 423
Frustum coni, eius mensura 424
Frustorum pyramidis & coni centra, 416
Frustum solidum, quid Archimedi 93
Frustum cylindri & coni cylindro & cono comparatum 121
Frustum pyramidis, coni conoidis 400
Fulcimentum duplex stateræ 452
Fundamentum Trigonometriæ 183
Fusa hyperbolica, reliquis corporibus comparata, 173

G

GElon rex, 154. & 164. & 165
Gellibrandi trigonometria 255
Geodæsia rectarum 71 & 72
Geometria quid 65
Geometrica medietas 366
Germanica milliaria quot in ambitu terræ, 260
Gethaldi opus 388
Gibbum 83
Gnomo 73
Grauitantium super planis obliquis leges, 445 & deinceps.
Grauitas corporum maior vnde 399
Grauitates corporum simul comparatæ 438 & deinceps.
Gtauitatis descriptio 396
Grauitatis propietates 398
Grauitatis diameter 442
Grauitaris centra. 143

H

HAbitationes terræ Theodosii 246
Harmonica medietas 306. Harmonicæ contraria
Hedræ pyramidis 85. prismatis 86
Helicis cochleæ 470
Helicis prima & secunda reuolutio 132
Helix 66
Hemispherii comparatio cum cono & cylindro, 414
Hemisphæroideon centra grauitatis, 429 & deinceps
Hemisphæroideon mensuræ. 424 & deinceps
Hercules Geometra 131
Hermodorus Pappi filius 392
Hexaedrum prisma 86
Hexagoni faui 368
Hominis caput pedibus quanto celerius moueatur 398
Homo quomodo stare possit. 435

Homologæ magnitudines 14
Horizon quid 249
Horizon astronomicus & sensibilis 265. quantus.
Horizontis officia 266
Horopter, vbi 492
Horopteris planum 490
Humeri difficultas in oneribus ferendis 455
Humidorum proprietates 144
Hyperbolarum & Ellipsium vmbilici 335
Hyperbolæ cum aliis lineis comparatio 432
Hyperboles generatio 281. definitio 334
Hyperbolica fusa, & parabolica. 173
Hyperbolici conoidis cum aliis coporibus comparation 432 & 433
Hyperbolicum solidum infinitum finito cylindro æquale, præfationis puncto V.
Hypotheses Archimedis 93
Hypotheses physicæ luminis & visionis 567

I

Ichnographia, quid 543
Icosaedrum 88. & 43
Icosidodecaedron 59. eius cum cubo, & aliis corporibus comparatio 61
Ignis per lumen transfusus 510
Imaginis locus 501
Imaginis visio, locus 475
Imaginis locus in speculis, vbi 503
Imaginis per lentem conuexam erectæ proprietas 523
Imago refracta, & eius locus 515
Imago in medio ratiore & densiore 516
Incidentiæ diameter, centrum, 550
Incidentiæ linea, punctum 500. cathetus, angulus 501
Inclinatio conoidis in humido natantis, quando 152
Inclinatio superficiei super superficiem, 190.
Inclinatio quid 190 & eius angulus
Inclinationes restitutæ 388
Index & transuersarium 71
infinita quattuor 457
Infinitum spatium planum æquale finito, prefationis puncto V.
Inscriptæ lineæ 77
Inscriptæ corporum regularium reciprocæ 53
Instrumentum ad solis magnitudinem capiendam, 156
Instrumentum idem catoptricum & dioptricum 518
Irrationales magnitudines 30
Irris felium 487
Isosceles 2
Isoperimetrarum quæ maxima 369

L

LAcombei Theologia qualis, præf. puncto XIV.
Laconica scytala 467
Latera pyramidis, cubi, & icosaëdri comparata 55
Latitudinum circuli, qui, 263
Latitudo cœlestis vnde sumpta, ibid.
Latitudo in meridiano 264. & 265
Lemma habens 18 modos 24
Lentes cauæ, & conuexæ, quomodo ad visionem concurrant, à 510 ad 524.
Lentis concauæ, & conuexæ effectus 527 & deinceps.
Lentium conuexarum in repræsentando proprietates 523
Leuca Gallica, 2500. sexpedarum. 259
Leuitatis descriptio 396
Leuitatis centrum 197
Librarum fraudes, 448
Librarum tria genera, quod nam melius, 449
Libræ brachia ponderibus proportionalia 439
Libræ maiores cur exactiores, 448
Libræ diuersæ, & earum leges 441
Libræ centrum quomodo inueniendum ibidem

Libri

Libri octo Pappi quid contineant à 365, ad 394
Librile eò celeriùs mouetur quo magis ab agina distat 448
Ligna gestata ad vectem reducta, 454
Linea extrema & media ratione secta, eiusque proprietates 47, & 48, & 50
Linea & lineatum 1, & 65, & 66
Linea recta ibid.
Linea caua quid 93
Linea iuxta quam 115
Linea circulum tangens 134
Linea spiralem tangens 136
Linea recta proximè æqualis circumferentiæ 168
Linea excentro sectionis 282
Linea à tactu ad vmbilicum 342
Linea mirabilis Menelai 368
Linea directionis 397
Linea directionis ad standum necessaria 399
Linea directionis, 433. causa stationis 434
Linea directionis transit per centrum grauitatis, 435
Linea nutus, 458. & renixus.
Linea incidentiæ, & reflexionis, 500
Linea loci veri, visi 530
Linea terræ, horizontalis 542
Linea imaginaria 555
Linea interradiosa, 551, & 555
Linea lucis, quid 571
Linea Mathematica, quis radius 573
Lineæ 4 proportionales 19
Lineæ circuli 77
Lineæ in solido 84
Lineæ spiralis descriptio 132
Lineæ ellipticæ mensura 169
Lineæ rectæ transitus per sphæræ polos, 119, & deinceps.
Lineæ refractæ in perspiciliis, 473
Linearum rectarum & planorum comparationes à 43 ad 45
Linearum in plano proprietates 68
Linearum proportionalium proprietas, 125
Linearum multæ comparationes 135
Linearum sectarum, & tangentium variæ proportiones 422
Lineas proportionales inuenire 19
Loci plani, solidi, lineares, &c. 385
Loci ad medietates Eratosthenis 385
Locus resolutus 371
Locus imaginis triplex 507
Locus imaginis in speculis sphæricis, 505
Logarithmi, Neperi & Briggii 255
Londini longitudo, & latitudo 270
Longitudo cœlestis, vnde numeretur, 263
Longitudo Lutetiæ, & latitudo 264
Longitudo terræ vnde sumatur 260
Lucæ Valerii libri de centro grauitatis, à 405 ad 433
Lucidi diastole & systole, 568
Lucidi actio in oculum ibid.
Lucidum segmentum 481
Lucidum ab omnibus visum 567
Lucis & luminis proprietates 478, & deinceps.
Lumen est motus 569
Luminis figura 479
Luminis natura & generatio 568, & deinceps,
Luminosæ sphæræ passiones 480, & deinceps.
Lutetiæ polus fere 49 gradus altus 261
Lux prima, minima 477
Lux condensata, & rarefacta ibid.

M

MAgnitudo quid 65
Magnitudo speculorum sphæricorum, cylindricorum, &c. 505
Magnitudine quænam data 373, & positione, 374
Magnitudines incommensurabiles 30
Magnitudines quomodo maiores sint & minores 570
Magnitudines plurifariam comparatæ 15, & deinceps.
Magnitudines proportionales 13
Magnitudines congruæ, assymmetræ,

✠✠✠✠

2009 Ministerio de Cultura

adſcriptæ 65
Magnitudines apparentes, & veræ 493
Magnitudines 2, 3, & octo ſimul comparatæ, 413
Magnitudinum commenſ. & incommenſurabilium paſſiones & comparationes, à 31 ad 40
Mali partes 451
Marandei Theologia Gallica laudata, præf. puncto XII.
Mathematicæ propoſitiones mirabiles, 395
Mathematicæ partes totâ Præfatione explicatæ.
Mechanicæ Artis definitio 395
Mechanicæ potentia 471
Mechanicæ principium ex circulo, 457
Mechanicum problema difficile 448
Media, quid 33
Media maior 34
Media commenſurabilis 33
Media apotome prima 37
Medietas triplex 365
Medium rarius, quid 567. denſius.
Medium vniforme, quid 571
Menechmi methodus duarum mediarum 105
Menelaus, ſeu Mileus Geometra, 204
Meridiani diuerſæ inuentiones 265
Meridiani eiuſdem incolæ 247
Meridianus quid, 249. eius officia 264
Meridianus primus vbi incipiat ibid.
Milliare Helueticum & Germanicum, 260
Minimi numeri 24, & 25, & 29
Mirabilia 5 circuli explicata, impugnata 456
Mons non eſt valle, vel plano capacior 398
Montarſii ſubtilitas, præf. puncto XIV.
Monte regio, & Purbachius 205, & 230
Motuum vires quantæ 447
Motus duorum punctorum helicis parens 133
Motus ſextuplex rotundorum 460
Motus varij lumen explicantes, præf. puncto X.
Motus quomodo motum generet, 567
Motus quando vocandum ſit lumen, 569
Multangulum ordinatum 83
Multiplex quid 21
Munitio, ſeu fortificatio D. de Mets, præf. puncto XI.
Muſculi vectibus comparati, 449
Myrias myriadum 159

N

NAdir 204
Nauis temo ad vectem reductus, 450, eius vires.
Nicomedis Conchois 367
Nicoteles, 306
Niger color quomodo fiat, præf. puncto X.
Nix hexagona 369. vide Meteora D. Carteſii.
Notiones communes tredecim 22
Notiones communes, ſiue axiomata 3
Nouem Archimedis hypotheſes 94
Nomen minus & maius 39
Nouem viſibilia in duo reſtricta 486
Nouemdecim Apollonii definitiones 277
Nox inſtans eſt 248
Nucifrangibulum vecti obligatum 454
Numerandi modus in infinitum 159, & deinceps.
Numeri ab Archimede ordinati 159
Numerorum paſſiones à 22 ad 30
Numerus 21
Numerus par, impar, pariter par, impariter impar, primus compoſitus, quadratus, cubus proportionalis, ſimilis planus & ſolidus, perfectus, 21, & 22

O

OBiectorum repræſentatio 542. delineatio.
Oblongum & eius paſſiones 75
Obſeruationes faciendæ 271
Obtuſangulum & obliquangulũ 2, & 72

Ministerio de Cultura

Octaëdrum 88. & 42
Octo librorum conicorum Apollonii synopsis 276
Octo libri Pappi, à 365. ad 394
Oculi 3 humores, 7 tunicæ 487
Oculi nerui septem & eorum officia, ibid.
Oculi acies 489
Oculus Perspectiuæ, quid 543
Oculus presbytro, & myopis quomodo videat 523
Oculus vbi non appareat 507
Oculus in centro speculi se solum videt ibidem.
Oculus quomodo profunditate circulum, rei locum, situm, continuum, motum, velocitatem, tarditatem, transparentiam, & alia obiecta cognoscat, 494, & deinceps. 20
Opterocathetus, & opterometros 543
Optica pyramis 490. eius axis.
Optici nerui, vbi. 491. illorum motus.
Ordinata 333
Ordinatim ad diametrum applicatæ proprietates 337
Ortographia 543

P

PAncratii ope terram tollere 471
Papaueris granum quantum Archimedi 159
Pappi collectiones 365
Pappi error in mechanicis 393
Pappi liber septimus quid contineat 392
Par & impar numerus 21
Parabola qua sectione generetur 280. definitio 334
Parabolæ quadratura, 124. & deinceps.
Parabolæ & triangulorum inscriptorum proportio 129
Parabolæ & circuli conuenientia, 169
Parabolæ & conoideon natatio 151
Parabolæ centrum grauitatis 147
Parabolæ proprietates 178
Parabolæ vmbilicus 335
Parabolæ generatio 336
Parabolæ, ellipsis & hyperbolæ proprietates, à 283 ad 312
Parabolici, & hyperb. conoidis centrum 431
Parabolicis comburentibus lentes comparantur 525
Parabolicorum speculorum proprietates 511. & deinceps.
Parabolicum spatium quadratum, 130
Parabolicus annulus vrens 513
Parallaxes rerum visarum repertæ, 532
Parallaxes deprimunt, refractiones eleuant 529
Parallaxium doctrina 530
Parallaxium verticalium, & latitudinis differentia 531
Parallaxi vna data reperire aliam 534
Parallaxis verticalis, declinationis, ascensionis, distantia motus 531
Parallelæ lineæ 2 & 66
Parallelepipedi mensuræ 409
Parallelepipedum 87 & 43
Paralleli circuli 267
Paralleli eiusdem incolæ 247
Parallelogrammorum proprietates 20
Parallelogrammorum passiones 5
Parallelogrammum & eius proprietates 72 & 74, & 6
Parallelogrammum qualis sectio 314
Parallelorum magnitudo 270. Lutetiæ.
Parameter contigua 335
Parameter coni sectionis 333
Parameter, seu rectum latus 330
Parium & imparium numerorum proprietates 29
Pars quid 13
Pars, & partes 21
Passio, quid 567
Pauimentum, quid 543
Pedem facere quid Aristoteli 451
Pendulorum leges 442

2009 Ministerio de Cultura

Percussionis vires ex motus celeritate 447
Perfectus numerus 22
Pericæci quinam 270
Peripheria 66
Peripheria sectionis 79
Perilcii qui 262
Perpendicularis trianguli 72
Perpendiculum refractionis 574, & deinceps.
Perspectiuæ fundamentum 2 propositionibus concluſum 547
Perspectiuæ definitio 542
Perspicilia Batauica explicata 474
Perspicilia visionem iuuantia 423
Pes Regius Galliæ quantus 260
Petauii Theologia laudata, præf. puncto XII.
Petitio Theodosii 190
Petitiones 12 Archimedis 141, & 142
Phænomena Euclidis 249, & deinceps.
Phænomeni distantia vera, visa, 531, & deinceps.
Phalanx 455
Phantasma à lucido est lumen 569
Phidias 155
Philo Tyaceus 368
Pictura quomodo fiat, 546
Pisida iambographus 395
Plana tangentia conoideas & sphæroideas 120
Plana similia 70. rectilinea, ibid.
Plani problematis solutio legitima, 368
Plani numeri 22, & 24
Plani loci restituti, à 386 ad 388
Planorum proprietates 41
Planum sub acutianguli sectione 115
Planus quadrati 74
Platonicus numerus 257
Poli altitudo Lutetiana 261
Polorum incolæ 248
Polorum sphæræ proprietates 191
Polyedra mista ordinata 88
Polygona maiora, quæ 369
Polygonum circulo inscriptum 99
Pondera, longitudines, celeritates reciprocæ 439
Pondera humidorum cum duris composita 150
Pondera obliqua quæ, & quanta, 444
Ponderandi omnia modus in humidis 150 & deinceps.
Ponderis ad potentiam ratio explicata, 465
Ponderum proprietates 142, & deinceps.
Pondus super circulo motum variè ponderat 446
Porismata Euclidis, 385
Poristicon, quid 373
Portio circuli 8
Portiones similes, quid 9
Portionis angulus 8
Positio corporum quid 500
Postulata duo 400
Postulata quinque 2
Postulata 6. Lucæ 407
Postulata optica 477
Postulatum lucidum 574
Potens bina media 35
Potentia rectæ quid 74
Potentia ponderi collata 439. motus vtriusque
Potentia & pondus in trochleis & comparatio spatiorum 463
Prima ex binis mediis 34
Primus numerus 21, & 25
Prisma 86, & 42
Prisma qualem visionem terminet 520
Prismatis centrum, vbi 411
Prismatis colores ex refractione qui & cur 589
Prismatis centrum grauitatis 415
Prismatis axis 406
Prismatum mensuræ 403
Problema mirabile 379
Problema Dioptricum 549
Problema pulchrum 275

009 Ministerio de Cultura

Problematis definitio 395
Problematum tria genera 365
Proiectorum leges 446
Proportio sectionis 382
Proportio, vel ratio 13
Proportio tripla in recto cono, & triangulo per axem, 328
Proportio composita 18
Proportionales magnitudines 13
Proportionales numeri 22. & 26. & 29
Proportionalium proprietates 105
Protarchus 49
Ptolomæus sumpsit ex Menesio 204
Pugni vis quomodo inuenta 454
Puncta 3 lineæ horizontalis 542
Punctum lucis in orbem radians, 477
Punctum euersionis 523
Punctum 1. & 65
Punctum incidentiæ 500
Purpurariorum fraus 448
Pupillæ motus 487
Pyramidatum 86
Pyramidis latus comparatum cum illius perpendiculari 50
Pyramidis proprietates & mensuræ 408
Pyramidis centrum, vbi 411

Q

QVadratum ex binis nominibus 35
Quadratum rationalis 40
Quadratura parabolæ 124, & deinceps.
Quadratus numerus 21. & 27
Quattuor lineæ proportionales 19
Quatuor species conicarum sectionum, 173.
Quinquangulum 77
Quinque corpora ordinata 90
Quinque corpora sphæra includere 48 & 49
Quinque lineæ in oculo spectandæ 490
Quinque vires 392. & deinceps

R

RAdii definitio 570
Radii diuergẽtes effecti paralleli 519
Radii refractio est vertigo 589
Radii optici & visorii 491
Radii paralleli incidentes in lentem chrystallinam 520
Radii diuersi tabularum, 187
Radii 2 & 4 puncta in eodem plano 502
Radii directi & refracti via 572
Radiorum passiones 478
Radiorum parallelorum post lentem concursus 521
Radiorum directorum causa physica 571
Radiositatis dilatatio 552 & 554
Radius 67
Radius triplex 479
Radius est spatium solidum 571
Radius directus & refractus quid 571
Radius, & radiosa linea, & pyramis 477
Radius à perpendiculo recedit in medio rariore, 575
Radius incidens in medium diuersum curuum quam habeat refractionem 588
Rarefractionis vires 472
Raritas tarditati comparata 460
Ratio 7 ad 12 in spiralium spatiis 140
Ratio permutata, conuersa, æqua 14
Rationale, & medium potens 34
Rationales magnitudines 65
Rationalis quadratum 40
Rationem dari, quid 373
Ratione adplicatum 33
Rationum octodecim compositiones 224.
Reactio cerebri in visione 569
Recta proportionaliter secta & eius proprietates 76
Rectangulorum proprietates 183
Rectangulum 74
Rectarum Geodæsia 71. & 72
Reflectio quomodo fiat 502
Reflectionis superficies 501. angulus
Refractio ad perpendicularem 515
Refractio crystalli quanta 519
Refractio eadem radii ingredientis & egredientis ibid.
Refractio; illius punctum, linea, superfi-

2009 Ministerio de Cultura

cies, &c. 514
Refractionis causa 572
Refractionis planum oculare 551
Refractionis superficies 4 continet 515
Refractionis interradiosæ planum 552
Refractiones & emblæ 525
Refractionum proprietates 517 & deinceps.
Refractus angulus, quando minor semirecto 578
Refringentis superficiei proprietates 516
Remi partes & leges 451
Remigum triplex ordo,& nouem, 450
Repræsentandarum imaginum modi 545.
Repræsentatio confusa, vnde, 523
Retinæ officium 488
Resolutio & compositio 371
Retentionis puncta, 442
Reuolutiones spiralis 132
Reuolutionum spiralis mensuræ 137
Rhetici radius
Rhombus solidus, quid 93
Rhombus ex isoscelibus compositus 98
Rhombus, & rhomboides 2.& 76

S

SAcoma 448
Sanctorii demonstratio de coloribus, præfat. puncto x
Scalenum 2
Scapi & ponderum proportio 452
Sciagraphiæ discriptio, 543
Scintillatio, systole & diastole 568
Scytalarum,& Ergatarum rationes & leges, 467
Secans & tangens definitæ, 187
Sectio quid 79
Sectio subcontraria 315
Sectio, triangulum, 278
Sectio spatii 382 determinata
Sectio coni quot in punctis sectionem aliam contingere queat, 310
Sectiones oppositæ,quæ 281.& 334
Sectiones conoideon&sphęroideon,122 & 123
Sectionum nomina,vnde 330
Sectionum conicarum proprietates 280 deinceps.
Sectionum trium multifariæ per puncta descriptiones à 343. ad 349
Sector sphęræ 91
Sector & eius proprietas 79
Securiculæ grauitatis centrum 444
Segmenta Citrii, oliuæ, &c. 174
Segmenta sphæræ, & sphæroidis quanta 171
Segmenta sphæræ, & illorum mensuræ 131.
Segmentum maius & minus 76
Segmentum circuli 79
Semicirculus 2.& 79
Septentrionales incolæ, 246
Sereni sectio cylindri 313
Sexangula tria complent locum 82
Sex definitiones secundæ 35
Sex definitiones tertiæ 38
Sex definitiones Maurolyci, 231
Sex species motus in rotundis, 460
Signorum cœlestium diuisiones 263
Signorum præcedentia, & consequentia 263
Similes numeri 22. &27
Similitudo triangulorum 19
Similitudo conoideon & sphæroideon 123
Sinuum proprietates à 231. ad 237
Sinus recti, & secundarii 188
Sinus arcuum 223
Sinus rectus, & versus,& illorum proprietates 187
Sinus rectus: quadrantis; secundus; versus 231
Sinus anguli inclinationis ad sinum anguli refracti in qua ratione 583
Sol vniuersi centrum 398
Sol quanto maior terra 267
Sol cur ellipticus apparet 517
Solis magnitudo quomodo inuenta, 156
Solis radii vbi comburant vt foci specularum 509
Solis & lunæ diametri 371

2009 Ministerio de Cultura

Solis eleuatio super horizontem inuenta, 265
Solida, seu dura humidis, quoad pondus, comparata 149
Solidæ figuræ multifariam spectatæ 103
Solidi numeri 22 & 27
Solidi axis 85
Solidum, quid 41
Solidum varium' 90
Solidus angulus 41
Species intentionales vbi visibiles, & inuisibiles 486
Specula columnaria 506
Specula irregularia 513
Speculum sphæricum est sphæræ segmentum 471
Speculum maius quodnam 471
Sphæræ contactus à plana superficie 191
Sphærę centrum diameter, axis definiuntur 189
Sphæræ centrum & diameter 42
Sphærois oblonga 119
Sphæropoeiæ liber Archimedis 393
Sphæricum 83
Spiralis descriptio 132
Sporimodus duarum mediarum 104
Stadium quantum 260
Stateræ partes 452
Stateræ, seu trutinæ ad libram reductæ leges 452
Statio animalium, auium, arborum ob lineam directionis 435
Stellæ loca 263
Stellarum æquinoctialium velocitas quanta 258
Stellarum à terra distantiæ 267
Stereometria Kepleri 169
Subcontraria positio, & coni sectio quid 334
Succularum vsus 468
Superficies gibba 83
Superficies in solido 84
Supecficies plana 1, curua 66 & 68
Superficies corporum regularium comparantur 51
Synopsi nostra quæ compræhendantur præf. punctis primis 10 habes: & quæ illi desint, puncto XI.
Synopsis datorum Euclidis, præf. puncto VIII.
Systole & diastole lucidi 568

T

TAbula, vitrum, sectio 492
Tactiones sphæricæ 384
Tactiones 383. seu Apollonius Gallus.
Tactus sphæroidearum figurarum 120
Tangens & secans quid 187
Tangens quid 78
Tangentes sectionum 284, & deinceps.
Tangentes spiralem cuiuslibet reuolutionis 137, & deinceps.
Tangentium proprietates, & cum aliis lineis proportiones 285, & deinceps.
Terminus 65 & 1
Terra quomodo mobilis 399
Terra circa solem mota 14
Terræ ambitus quantus 155
Terræ ambitus diameter, superficies, soliditas 259
Terræ & siderum proportiones 267
Terræ centrum quomodo inuentum 399
Terræ, & mundi diametri mensura 159
Terræ, aquæ, & aëris proportio 267
Tetraëdrum 86, eiusque proprietates, & 42
Thalamites, Thranites, Zygites 450
Theodosius de habitationibus 247
Theologiæ Positiuæ præstantia, præf. puncto XII.
Theoremata pulchra Archimedis 91
Transuersarium 71
Trapeziorum centra grauitatis 144, & 145
Trapezium 2, & 76
Tredecim axiomata 22
Tres petitiones ibid.
Tres definitiones 129
Tres Archimedis hypotheses 149
Tres magni viri laudantur, præf. puncto XIV.
Tres anguli trianguli sphærici semper minores sex rectis, & maiores duobus 209

2009 Ministerio de Cultura

Triangulati adſcriptio 81
Triangulatum & eius paſſiones 72
Trianguli adſcriptio 80. 81
Triangulum 2. & 70
Triangulum rectangulum 2, & 72
Triangulum ſphærale 204
Triangulum ſubſeſquitertium parabolę 129
Triangulum qualis ſectio 334
Triangulus habens tres angulos rectos 200
Trigonometria Gillebrandi optima 255
Trigonometriæ definitiones & leges 119, & deinceps.
Triplex viſionis genus modos pingendi refert 546
Trium ſectionum generatio 511
Trochleæ deſcriptio 461. ad quem vectem reducitur.
Trochleæ duæ 461, tres & quatuor 362
Trochleæ minores an celeriùs & faciliùs moueantur 466
Trochleæ ſuperiores & inferiores conſiderandæ 464
orbiculi trochlearum, & illorum in trahendo proportiones 462
Trochoidis ſolidum ad ſuum cylindrum vt 8 ad 5. puncto V.
Trochus motus 449
Tropici, & illorum officia 266
Tropologiæ vnde ſumendæ, prçfat. puncto XIII.
Trunci coniugationum quanti 176
Trutina dans quadraturam parabolæ 125
Tubi optici deſcriptio 525
Tubus opticus explicatus 475
Tympana dentata 393

V

VArium 84, & 90
Vectes conſiderati in rebus ſciſſis, & fiſſis 469
Vectis diuerſæ ſpecies 449
Vectis definitio & partes ibid.
Vectis datus potentia data mouet pondus, 440
Vectis, & potentiæ leges ibid.
Vela & malus ad vectem reducuntur 451
Velorum genera 451
Ventorum vſus in mari ibid.
Vértex, axis, baſis, coni 277
Verticales circuli, Azimuth 265
Verticalis parallaxis 535
Vertigo quò maior cò maior refractio 589
Viginti corporum regularium inſcriptiones 54
Viginti & vna definitiones 21
Viginti viſibilia Vitellionis 486
Virga doliorum, *iauge* 177
Viri docti huius ſæculi laudantur, præf. puncto X, & XI.
Viſio quid 567
Viſio quomodo fiat 488
Viſio refracta 564
Viſio ſingularis 556
Viſio ſingularis, & coniugata 549
Viſio directa, & obliqua 515
Viſio diſtincta, clara, obſcura 522
Viſio coniugata 551. recta, obliqua 552
Viſionis coniugatæ tam rectæ quàm obliquæ paſſiones 556, & deinceps.
Viſualis diameter, viſuale centrum 550
Viſus & eius proprietates & proportiones in dimetiendo 71
Viſus obiectum 485, ſecundarium noncuplex 486
Viſus quando maximè decipiatur 495, vſque ad 499
Vitri & aëris comparatio 578
Vitri ſectio prima, & ſecunda 543
Vitri conuexi figura & diſtantiæ in perſpiciliis 472
Vitrum & eius baſis 543
Vmbra quomodo fiat 477
Vmbra lunę ſolari longior 485
Vmbra triplex 483
Vmbra recta & verſa 483
Vmbra proiecta in circulum, parabolam, hyperbolam & ellipſim ab horologii ſtilo 485
Vmbra cuiuſlibet rei quî exprimatur 544, & deinceps.
Vmbræ contra ſolem proiectæ 520
Vmbræ paſſiones 482, & deinceps.
Vmbræ ope metiri altitudines 484
Vndecim definitiones magnitudinum 30
Vnitas quid 21

Z

ZEnith & nadir 264
Zeuxippus 154, & 159
Zodiaci officia 262, & deinceps.
Zona mali, quid 172
Zona citrii truncati 172
Zona ſphæræ & ſphæroidis quanta 171
Zonæ frigidæ initium 263

FINIS.

Ministerio de Cultura

EVCLIDIS
ELEMENTORVM
LIBER PRIMVS.

DEFINITIONES.

1. PVNCTVM eſt, cuius nulla eſt pars, vel quod magnitudinem non habet.

2. Linea verò eſt longitudo latitudinis expers.

3. Lineæ fines ſunt puncta.

4. Recta linea eſt quæ ex æquali ſuis interijcitur punctis.

5. Superficies eſt id, quod longitudinem & latitudinem tantùm habet.

6. Superficiei fines ſunt lineæ.

7. Plana ſuperficies eſt, quæ ex æquali ſuis interijcitur lineis.

8. Planus angulus eſt duabus lineis in plano ſeſe contingentibus, & non in directum iacentibus, alterius ad alteram inclinatio.

9. Quando autem quæ angulum continent rectæ lineæ fuerint, rectilineus angulus appellatur.

10. Cùm verò recta linea ſuper rectam lineam inſiſtens eos, qui deinceps ſunt, angulos æquales inter ſe fecerit, rectus eſt vtérque æqualium angulorum: & quæ inſiſtit recta linea, perpendicularis vocatur ad eam, cui inſiſtit.

11. Obtuſus angulus eſt, qui maior eſt recto.

12. Acutus autem, qui recto eſt minor.

13. Terminus eſt, qui alicuius eſt finis.

14. Figura eſt, quæ aliquo, vel aliquibus terminis continetur.

15. Circulus eſt figura plana vnâ lineâ contenta, quæ circumferentia appellatur: ád quam ab vno puncto intra figuram exiſtente omnes rectæ lineæ pertinentes ſunt æquales.

16. Hoc autem punctum centrum circuli nuncupatur.

17. Diameter circuli eſt recta quædam linea per centrum ducta,

& ex vtraque parte à circumferentia circuli terminata, quæ quidem & circulum bifariam secat.

18. Semicirculus est figura, quæ continetur diametro, & eâ quæ ex ipsa circuli circumferentia intercipitur.

19. Portio circuli est figura, quæ rectâ lineâ, & circuli circumferentiâ continetur.

20. Rectilineæ figuræ sunt, quæ rectis continentur lineis.

21. Trilateræ quidem, quæ tribus.

22. Quadrilateræ, quæ quatuor.

23. Multilateræ verò, quæ pluribus quàm quatuor rectis lineis comprehenduntur.

24. Trilaterarum figurarum æquilaterum est triangulum, quod tria latera habet æqualia.

25. Isosceles, siue æquicrure, quod duo tantùm æqualia latera habet.

26. Scalenum verò, quod tria inæqualia habet latera.

27. Ad hæc, trilaterarum figurarum, rectangulum quidem est triangulum, quod rectum angulum habet.

28. Obtusiangulum est, quod obtusum habet angulum.

29. Acutiangulum verò, quod tres acutos angulos habet.

30. Quadrilaterarum figurarum quadratum est quod & æquilaterum est, & rectangulum.

31. Altera parte longior figura est, quæ rectangula quidem, æquilatera verò non est.

32. Rhombus, quæ æquilatera quidem, sed rectangula non est.

33. Rhomboides, quæ & opposita latera, & oppositos angulos inter se æquales habet, neque æquilatera est, neque rectangula.

34. Præter has autem reliquæ quadrilateræ figuræ trapezia vocentur.

35. Parallelæ, seu æquidistantes rectæ lineæ sunt, quæ cum in eodem sint plano, & ex vtraque parte in infinitum producantur, in neutram partem inter se conuenient.

Postulata quinque.

1. Postuletur à quouis puncto ad quoduis punctum rectam lineam ducere.

2. Rectam lineam terminatam in continuum, & directum producere.

3. Quouis centro, & interuallo circulum describere.

4. Omnes angulos rectos inter se æquales esse.

5. Et si in duas rectas lineas recta linea incidens interiores, & ex eadem parte angulos duobus rectis minores fecerit, rectas lineas illas in infinitum productas, inter se conuenire ex ea parte, in qua sunt anguli acuti duobus rectis minores.

Axiomata, seu communes notiones decem.

✝ 1. Quæ eidem æqualia, & inter se sunt æqualia.
2. Et si æqualibus æqualia adiiciantur, tota sunt æqualia.
3. Et si ab æqualibus æqualia auferantur, reliqua sunt æqualia.
4. Et si inæqualibus æqualia adiiciantur, tota sunt inæqualia.
5. Et si ab inæqualibus æqualia auferantur, reliqua sunt inæqualia.
6. Et quæ eiusdem dupla, inter se sunt æqualia.
7. Et quæ eiusdem dimidia, inter se sunt æqualia.
8. Et quæ sibiipsis congruunt, inter se sunt inæqualia.
9. Totum est sua parte maius.
10. Duæ rectæ lineæ spatium non comprehendunt.

PROPOSITIONES XLVIII.

1. IN data recta linea terminata, triangulum æquilaterum constituere.

2. Ad datum punctum datæ rectæ lineæ æqualem rectam lineam ponere.

3. Duabus datis rectis lineis inæqualibus, à maiori, minori æqualem abscindere.

✝ 4. Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia habeant, alterum alteri: habeant autem & angulum angulo æqualẽ, qui æqualibus rectis lineis continetur: & basim basi æqualẽ habebunt: & triangulum triangulo æquale erit: & reliqui anguli reliquis angulis æquales, alter alteri: quibus æqualia latera subtenduntur.

✝ 5. Æquicrurium triangulorum qui ad basim anguli inter se sunt æquales: & productis æqualibus rectis lineis anguli qui sunt sub basi inter se æquales erunt.

✝ 6. Si trianguli duo anguli inter se sint æquales, & æquales angulos subtendentia latera inter se æqualia erunt.

7. In eadem recta linea, duabus eisdem rectis lineis aliæ duæ rectæ lineæ æquales, altera alteri non constituentur ad aliud, atque aliud punctum, ad easdem partes, eosdem, quos primæ lineæ terminos habentes.

✠ 8. Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia habeant, alterum alteri: habeant autem & basim basi æqualem: angulum quoque, qui æqualibus lateribus continetur, angulo æqualem habebunt.

✠ 9. Datum angulum rectilineum bifariam secare.

✠ 10. Datam rectam lineam terminatam bifariam secare.

11. Datæ rectæ lineæ à puncto in ipsa dato ad rectos angulos rectam lineam ducere.

12. Super datam rectam lineam infinitam dato puncto, quod in ea non est, perpendicularem rectam lineam ducere.

✠ 13. Cùm recta linea super rectam consistens lineam angulos fecerit; vel duos rectos, vel duobus rectis æquales efficiet.

✠ 14. Si ad aliquam rectam lineam, atque ad punctum in ea duæ rectæ lineæ non ad easdem partes positæ, angulos qui deinceps sunt duobus rectis æquales fecerint: ipsæ rectæ lineæ in directum sibi inuicem erunt.

✠ 15. Si duæ rectæ lineæ se inuicem secuerint, angulos qui ad verticem sunt, inter se æquales efficient.

✠ 16. Omnis trianguli vno latere producto exterior angulus vtroque interiore, & opposito est maior.

✠ 17. Omnis trianguli acuti duo anguli duobus rectis minores sunt, quomodocumque sumpti.

✠ 18. Omnis trianguli maius latus maiorem angulum subtendit.

✠ 19. Omnis trianguli maiorem angulum maius latus subtendit.

✠ 20. Omnis trianguli duo latera reliquo maiora sunt, quomodocumque sumpta.

✠ 21. Si à terminis vnius lateris trianguli duæ rectæ lineæ intra constituantur, hæ reliquis duobus trianguli lateribus minores quidem erunt, maiorem verò angulum continebunt.

✠ 22. Ex tribus rectis lineis, quæ tribus rectis lineis datis æquales sint, triangulum constituere. Oportet autem duas reliquâ maiores esse, quomodocumque sumptas: quoniam omnis trianguli duo latera reliquo maiora sunt, quomodocumque sumpta.

23. Ad datam rectam lineam, & ad datum in ea punctum, dato angulo rectilineo æqualem angulum rectilineum constituere.

✠ 24. Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia ha-

beant, alterum alteri, angulum autem angulo maiorem, qui æqualibus rectis lineis continetur: & basim basi maiorem habebunt.

25. Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia habeant, alterum alteri, basim verò basi maiorem: & angulum angulo, qui æqualibus lateribus continetur, maiorem habebunt.

26. Si duo triangula duos angulos duobus angulis æquales habeant, alterum alteri, vnumque latus vni lateri æquale, vel quod æqualibus adiacet angulis, vel quod vni æqualium angulorum subtenditur: & reliqua latera reliquis lateribus æqualia, alterum alteri, & reliquum angulum reliquo angulo æqualem habebunt.

✠ 27. Si in duas rectas lineas recta linea incidens alternos angulos inter se æquales fecerit, parallelæ erunt rectæ lineæ.

28. Si in duas rectas lineas recta linea incidens exteriorem angulum interiori, & opposito, & ad easdem partes æqualem fecerit, vel interiores, & ad easdem partes duobus rectis æquales: parallelæ erunt inter se rectæ lineæ.

✠ 29. In parallelas rectas lineas recta linea incidens, & alternos angulos inter se æquales, & exteriorem interiori & opposito, & ad easdem partes æqualem, & interiores, & ad easdem partes duobus rectis æquales efficiet.

✠ 30. Quæ eidem rectæ lineæ sunt parallelæ, & inter se parallelæ erunt.

31. Per datum punctum datæ rectæ lineæ parallelam rectam lineam ducere.

32. Omnis trianguli vno latere producto exterior angulus duobus interioribus, & oppositis est æqualis: & trianguli tres interiores anguli duobus rectis æquales sunt.

✠ 33. Quæ æquales, & parallelas ad easdem partes coniungunt rectæ lineæ, & ipsæ æquales, & parallelæ sunt.

34. Parallelogrammorum spatiorum latera, quæ ex opposito, & anguli, inter se æqualia sunt: & diameter ea bifariam secat.

✠ 35. Parallelogramma in eadem basi, & in eisdem parallelis constituta, inter se æqualia sunt.

✠ 36. Parallelogramma in æqualibus basibus, & in eisdem parallelis constituta inter se sunt æqualia.

✠ 37. Triangula in eadem basi, & in eisdem parallelis constituta inter se æqualia sunt.

✠ 38. Triangula in basibus æqualibus, & in eisdem parallelis constituta, inter se sunt æqualia.

✠ 39. Triangula æqualia in eadem basi, & ad easdem partes

constituta, in eisdem quoque sunt parallelis.

40. Triangula æqualia in basibus æqualibus, & ad easdem partes constituta, in eisdem quoque sunt parallelis.

✠ 41. Si parallelogrammum & triangulum eandem basim habeant, in eisdémque sint parallelis: parallelogrammum ipsius trianguli duplum erit.

42. Dato triangulo æquale parallelogrammum constituere in dato angulo rectilineo.

✠ 43. Omnis parallelogrammi spatij eorum, quæ circa diametrum sunt, parallelogrammorum supplementa inter se sunt æqualia.

44. Ad datam rectam lineam dato triangulo æquale parallelogrammum applicare in dato angulo rectilineo.

45. Rectilineo dato æquale parallelogrammum constituere in dato angulo rectilineo.

46. A data recta linea quadratum describere.

✠ 47. In rectangulis triangulis, quod à latere rectum angulum subtendente describitur quadratum æquale est quadratis, quæ à lateribus rectum angulum continentibus describuntur.

✠ 48. Si quadratum, quod describitur ab vno laterum trianguli æquale sit quadratis, quæ à reliquis trianguli lateribus describuntur: angulus reliquis duobus trianguli lateribus contentus rectus erit.

LIBER SECVNDVS.

Definitiones duæ.

1. OMne parallelogrammum rectangulum contineri dicitur duabus rectis lineis, quæ rectum angulum constituunt.

2. Omnis parallelogrammi spatij vnumquódque eorum, quæ circa diametrum ipsius sunt, parallelogrammorum, cum duobus supplementis *gnomon* vocetur. *Vide Scholium.*

Theoremata & Propositiones quatuordecim.

✠ 1. Si sint duæ rectæ lineæ, altera autem ipsarum secta fuerit in quotcúmque partes: rectangulum duabus rectis lineis contentum æquale est eis rectangulis, quæ rectâ lineâ insectâ, & singulis partibus continentur. *Videantur duo theoremata Commandini.*

✠ 2. Si recta linea secta fuerit vtcúmque: rectangula quæ totâ, & singulis partibus continentur, æqualia sunt ei, quod à tota fit, quadrato.

✠ 3. Si recta linea vtcúmque secta fuerit: rectangulum sub tota, & vna eius parte contentum æquale est & rectangulo, quod partibus continetur, & ei quod à prædicta parte fit quadrato.

✠ 4. Si recta linea secta fuerit vtcúmque, quadratum quod fit à tota æquale erit, & quadratis, quæ à partibus fiunt, & ei, quod bis partibus continetur rectangulo. *Vide Corollarium.*

✠ 5. Si recta linea secta fuerit in partes æquales, & in partes inæquales, rectangulum inæqualibus totius partibus contentum vnà cum quadrato lineæ, quæ inter sectiones interijcitur, æquale est ei, quod à dimidia fit quadrato.

✠ 6. Si recta linea bifariam secetur, atque ipsi in rectum adijciatur quædam recta linea: rectangulum sub totâ cum adiecta, & adiectâ contentum, vnà cum quadrato dimidiæ, æquale est quadrato, quod ab ea, quæ ex dimidia, & adiecta constat, tanquam ab vna linea describitur. *Vide Scholium.*

✠ 7. Si recta linea vtcumque secta fuerit, quæ à tota, & vna parte fiunt vtraque quadrata æqualia sunt, & rectangulo, quod bis tota, ac dicta parte continetur, & ei, quod à reliqua parte fit quadrato.

✠ 8. Si recta linea vtcumque secta fuerit; & quod quater tota, & vna parte continetur rectangulum vnà cum quadrato reliquæ partis, æquale est quadrato, quod ex tota, & dicta parte tanquam ex vna linea describitur.

✠ 9. Si recta linea in partes æquales, & in partes inæquales secta fuerit, quadrata, quæ ab inæqualibus totius partibus describuntur, dupla sunt & quadrati dimidiæ, & quadrati lineæ eius, quæ inter sectiones interiicitur.

✠ 10. Si recta linea secetur bifariam, & ipsi in rectum quædam recta linea adiiciatur: quæ à tota cum adiecta, & adiecta fiunt vtraque quadrata dupla sunt, & quadrati dimidiæ, & quadrati, quod ab ea quæ ex dimidia, & adiecta constat, tanquam ab vna linea describitur.

11. Datam rectam lineam secare, ita vt quod sub tota, & altera parte continetur rectangulum æquale sit ei, quod à reliqua parte fit, quadrato *Vide Scholium.*

✠ 12. In obtusiangulis triangulis, quod à latere obtusum angulum subtendente fit quadratum maius fit quàm quadrata, quæ fiunt à lateribus obtusum angulum continentibus, rectangulo contento bis vno laterum, quæ sunt circa obtusum angulum, in quod scilicet pro-

tractum perpendicularis cadit,& linea assumpta exteriùs à perpendiculari ad angulum obtusum.

✝ 13. In acutiangulis triangulis, quod à latere acutum angulum subtendente fit quadratum, minus est quàm quadrata quæ fiunt à lateribus acutum angulum continentibus,rectangulo contento bis vno laterum,quæ sunt circa acutum angulum,in quod perpendicularis cadit,& lineâ perpendiculari intus assumptâ ad angulum acutum. *Vide Scholium.*

14. Dato rectilineo æquale quadratum constituere. *Vide prop.*25. *lib.*6.

LIBER TERTIVS

Definitiones duodecim.

1. ÆQuales circuli sunt, quorum diametri sunt æquales, vel quorum quæ ex centris sunt æquales.

2. Recta linea circulum contingere dicitur, quæ contingens circulum,& producta non secat.

3. Circuli contingere se se dicuntur,qui contingentes seipsos non secant.

4. In circulo æqualiter distare à centro rectæ lineæ dicuntur,quando à centro ad ipsas perpendiculares ductæ sunt æquales.

5. Magis autem distare à centro dicuntur ea, ad quam maior perpendicularis cadit.

6. Portio circuli est figura,quæ recta lincâ, & circuli circumferentia continetur.

7. Portionis autem angulus est,qui recta linea, & circuli circumferentiâ comprehenditur.

8. In portione angulus est, quando in circumferentia portionis sumptum fuerit aliquod punctum, atque ab ipso ad terminos lineæ eius, quæ basis est portionis,rectæ lineæ ductæ fuerint, angulus verò dictis lineis sit contentus.

9. Quando autem continentes angulum rectæ lineæ assumunt circumferentiam,in illa consistere angulus dicitur.

10. Sector circuli est, quando angulus ad centrum constiterit, figura contenta rectis lineis angulum comprehendentibus, & circumferentiâ ab ipsis assumptâ.

11. Similes

11. Similes circulorum portiones sunt, quæ angulos suscipiunt æquales, vel in quibus anguli æquales consistunt: quibus additur à Commandino.

12. Similes circumferentiæ circulorum sunt, in quibus anguli consistunt.

PROPOSITIONES XXXVII.

1. DAti circuli centrum inuenire. *Videatur Corollarium & Scholium.*

2. Si in circumferentia circuli duo quæuis puncta sumantur, quæ ipsa coniungit recta linea intra circulum cadet.

✠ 3. Si in circulo recta linea per centrum ducta rectam lineam quandam non ductam per centrum bifariam secet, & ad angulos rectos ipsam secabit: quod si ad angulos rectos ipsam secet, & bifariam secabit.

✠ 4. Si in circulo duæ rectæ lineæ se inuicem secent non ductæ per centrum, sese bifariam non secabunt. *Vide Scholium.*

5. Si duo circuli se inuicem secent, non erit ipsorum idem centrum.

6. Si duo circuli sese intra contingant, ipsorum idem centrum non erit.

✠ 7. Si in circuli diametro aliquod punctum sumatur, quod non sit centrum circuli: & ab eo in circulum cadant quædam rectæ lineæ: maxima quidem erit, in qua centrum, minima verò reliqua: aliarum autem propinquior ei, quæ per centrum transit, semper remotiore maior est: at duæ tantùm æquales ab eodem puncto in circulum cadent ad vtrasque partes minimæ. *Vide Scholium.*

✠ 8. Si extra circulum aliquod punctum sumatur, atque ab eo ad circulum ducantur quædam rectæ lineæ, quarum vna per centrum transeat, aliæ verò vtcumque: earum quidem, quæ in concauam circumferentiam cadunt, maxima est, quæ per centrum transit: aliarum autem propinquior ei, quæ per centrum, semper remotiore maior est: at earum, quæ in curuam circumferentiam cadunt, minima est, quæ inter punctum, & diametrum interijcitur: aliarum verò quæ propinquior minimæ semper remotiore est minor: duæ autem tantùm æquales à puncto in circulum cadunt ad vtrasque partes minimæ.

✠ 9. Si intra circulum sumatur aliquod punctum, atque ab eo in circulum cadant plures quàm duæ rectæ lineæ æquales: punctum

quod ſumitur, circuli centrum erit.

10. Circulus circulum in pluribus quàm duobus punctis non ſecat.

11. Si duo circuli ſeſe intus contingant, & ſumantur centra ipſorum; recta linea ipſorum centrum coniungens, & producta in circulorum contactum cadet.

✠ 12. Si duo circuli ſeſe extra contingant, recta linea ipſorum centra coniungens per contactum tranſibit.

13. Circulus circulum non contingit in pluribus punctis quàm vno, ſiue intus, ſiue extra contingat.

14. In circulo æquales rectæ lineæ æqualiter à centro diſtant; & quæ æqualiter à centro diſtant, inter ſe ſunt æquales.

15. In circulo maxima quidem eſt diameter: aliarum verò ſemper propinquior ei, quæ per centrum tranſit, remotiore maior eſt.

✠ 16. Quæ diametro circuli ad rectos angulos ab extremitate ducitur, cadit extra circulum: & in locum qui inter rectam lineam, & circumferentiam interijcitur altera recta linea non cadet: & ſemicirculi angulus omni angulo acuto rectilineo maior eſt: reliquus autem minor. *Vide Corollarium.*

17. A dato puncto rectam lineam ducere, quæ datum circulum contingat.

✠ 18. Si circulum contingat quædam recta linea, à centro autem in contactum recta linea ducatur, ea ad contingentem perpendicularis erit.

✠ 19. Si circulum contingat quædam recta linea, à contactu autem ad rectos angulos contingenti recta linea ducatur, in ea circuli centrum erit. *Vide Scholium.*

✠ 20. In circulo angulus, qui ad centrum, duplus eſt eius qui ad circumferentiam, quando circumferentiam eandem pro baſi habent. *Vide Commentarium.*

✠ 21. In circulo qui in eadem portione ſunt anguli, inter ſe æquales ſunt.

22. Quadrilaterorum, quæ in circulis deſcribuntur, anguli oppoſiti duobus rectis æquales ſunt.

23. In eadem recta linea duæ circulorum portiones ſimiles & inæquales ex eadem parte non conſtituentur.

24. In æqualibus rectis lineis ſimiles circulorum portiones inter ſe æquales ſunt.

25. Circuli portione data deſcribere circulum, cuius ea portio eſt.

✠ 26. In æqualibus circulis æquales anguli æqualibus inſiſtunt

circumferentiis, siue ad centra, siue ad circumferentias insistant.

✠ 27. In æqualibus circulis anguli, qui æqualibus insistunt circumferentijs, inter se æquales sunt; siue ad centra, siue ad circumferentias insistant.

✠ 28. In æqualibus circulis æquales rectæ lineæ circumferentias æquales auferunt, maiorem quidem maiori, minorem verò minori.

✠ 29. In æqualibus circulis, æquales circumferentias æquales rectæ lineæ subtendunt. *Videantur quatuor aliæ propositiones.*

30. Datam circumferentiam bifariam secare.

✠ 31. In circulo angulus, qui in semicirculo, rectus est; qui verò in maiori portione, minor est recto; & qui in minori maior recto: & insuper maioris quidem portionis angulus recto maior est, minoris verò portionis angulus recto minor. *Vide Corollar. & Scholium.*

✠ 32. Si circulum contingat quædam recta linea, à contactu autem in circulum ducatur recta linea ipsum secans; anguli quos ad contingentem facit, æquales erunt ijs, qui in alternis circuli portionibus consistunt.

33. In data recta linea describere portionem circuli, quæ suscipiat angulum dato angulo rectilineo æqualem.

34. A dato circulo portionem abscindere, quæ suscipiat angulum dato angulo rectilineo æqualem.

✠ 35. Si in circulo duæ rectæ lineæ sese mutuò secent, rectangulum portionibus vnius contentum æquale est ei, quod alterius portionibus continetur.

✠ 36. Si extra circulum aliquod punctum sumatur, & ab eo in circulum cadant duæ rectæ lineæ, quarum altera quidem circulum secet, altera verò contingat: rectangulum, quod totâ secante, & exteriùs assumptâ inter punctum, & curuam circumferentiam continetur, æquale erit ei, quod à contingente fit quadrato. *Vide* 2. *Corollar. Campani.*

37. Si extra circulum sumatur aliquod punctum, atque ab eo in circulum cadant duæ rectæ lineæ, quarum altera quidem circulum secet, altera verò incidat: sit autem quod totâ secante, & exteriùs assumptâ inter punctum, & curuam circumferentiam continetur, æquale ei, quod ab incidente fit quadrato; incidens linea circulum continget.

LIBER QVARTVS.

Definitiones septem.

1. FIgura rectilinea in figura rectilinea describi dicitur, quando vnusquisque figuræ descriptæ angulus vnumquodque latus eius, in qua describitur, contingit.

2. Figura similiter circa figuram describi dicitur, quando vnumquodque latus descriptæ vnumquemque angulum eius, circa quam describitur, contingit.

3. Figura rectilinea in circulo describi dicitur, quando vnusquisque descriptæ figuræ angulus circuli circumferentiam contingit.

4. Figura rectilinea circa circulum describi dicitur, quando vnumquodque latus descriptæ circuli circumferentiam contingit.

5. Circulus similiter in figura rectilinea describi dicitur, quando circuli circumferentia vnumquodque latus eius, in qua describitur, contingit.

6. Circulus circa figuram rectilineam describi dicitur, quando circumferentia vnumquemque angulum eius, circa quam describitur, contingit.

7. Recta linea in circulo aptari dicitur, quando eius extrema ad circuli circumferentiam se applicant.

Propositiones & Problemata sexdecim.

1. IN dato circulo datæ rectæ lineæ, quæ diametro eius maior non sit, æqualem rectam lineam aptare. *Vide Scholium.*

2. In circulo dato, dato triangulo æquiangulum triangulum describere.

3. Circa datum circulum triangulo dato æquiangulum triangulum describere.

4. In dato triangulo circulum describere.

5. Circa datum triangulum circulum describere. *Vide Corollarium.*

6. In dato circulo quadratum describere.

7. Circa datum circulum quadratum describere.

8. In dato quadrato circulum describere.

9. Circa datum quadratum circulum describere.

10. Æquicrure triangulum constituere, habens vtrumque angulorum, qui sunt ad basim, duplum reliqui.

11. In dato circulo pentagonum æquilaterum, æquiangulum describere.

12. Circa datum circulum pentagonum æquilaterum, & æquiangulum describere.

13. In dato pentagono, quod æquilaterum, & æquiangulum sit, circulum describere.

14. Circa datum pentagonum, quod æquilaterum, & æquiangulum sit, circulum describere.

15. In dato circulo hexagonum æquilaterum, & æquiangulum describere. *Vide Corollarium.*

16. In dato circulo quindecagonum æquilaterum, & æquiangulum describere.

LIBER QVINTVS.

Definitiones viginti.

1. PArs est magnitudo magnitudinis, minor maioris, quando minor maiorem metitur. *Vide Scholium.*

2. Multiplex est maior minoris, quando maiorem minor metitur.

3. Proportio est duarum magnitudinum eiusdem generis, quatenus ad quantitatem pertinet, mutua quædam habitudo. *Vide Scholium.*

4. Proportionem inter se habere magnitudines dicuntur, quæ multiplicatæ se inuicem superare possunt.

5. In eadem proportione magnitudines esse dicuntur prima ad secundam, & tertia ad quartam, quando primæ, & tertiæ æquemultiplices, secundæ & quartæ æquemultiplices iuxta quamuis multiplicationem vtraque vtramque vel vnà superant, vel vnà æquales sunt, vel vnà deficiunt inter se comparatæ.

6. Magnitudines, quæ eandem proportionem habent, proportionales vocentur.

7. Quando autem æquemultiplicium multiplex quidem primæ superauerit multiplicem secundæ, multiplex verò tertiæ non superauerit multiplicem quartæ: tunc prima ad secundam maiorem proportionem habere dicitur, quàm tertia ad quartam.

8. Analogia eſt proportionum ſimilitudo.

9. Analogia verò in tribus minimùm terminis conſiſtit.

✠ 10. Quando tres magnitudines proportionales ſunt, prima ad tertiam duplam proportionem habere dicitur eius, quam habet ad ſecundam. *Vide Scholium.*

✠ 11. Quando autem quatuor magnitudines ſunt proportionales, prima ad quartam triplam habere proportionem dicetur eius, quam habet ad ſecundam: & ſemper deinceps vnâ plus, quoad analogia proceſſerit.

12. Homologæ, vel ſimilis rationis magnitudines dicuntur antecedentes quidem antecedentibus, conſequentes verò conſequentibus.

✠ 13. Permutata ratio eſt ſumptio antecedentis ad antecedentem, & conſequentis ad conſequentem.

✠ 14. Conuerſa ratio eſt ſumptio conſequentis, vt antecedentis ad antecedentem, velut ad ipſum conſequentem.

✠ 15. Compoſitio rationis eſt ſumptio antecedentis vnà cum conſequente tanquam vnius ad ipſam conſequentem. *Vide Scholium.*

✠ 16. Diuiſio rationis eſt ſumptio exceſſus, quo antecedens ſuperat conſequentem, ad ipſam conſequentem.

✠ 17. Conuerſio rationis eſt ſumptio antecedentis ad exceſſum, quo antecedens ipſam conſequentem ſuperat.

18. Æqua ratio, ſiue ex æquali eſt, cum plures magnitudines extiterint, & aliæ ipſis numero æquales, quæ binæ ſumantur, & in eadem proportione, fueritque vt in primis magnitudinibus prima ad vltimam, ita in ſecundis magnitudinibus prima ad vltimam: *vel aliter*, Eſt ſumptio extremarum per ſubtractionem mediarum.

19. Ordinata analogia eſt quando fuerit vt antecedens ad conſequentem, ita antecedens ad conſequentem: vt autem conſequens ad aliam quampiam, ita conſequens ad aliam quampiam.

20. Perturbata verò analogia eſt, quando tribus exiſtentibus magnitudinibus, & alijs ipſis numero æqualibus fuerit: vt in primis magnitudinibus antecedens ad conſequentem, ita in ſecundis magnitudinibus antecedens ad conſequentem. Vt autem in primis magnitudinibus conſequens ad aliam quampiam, ita in ſecundis alia quæpiam ad antecedentem. *Vide duas communes notiones.*

Biblioteca Digital do Ministério da Cultura

Propoſitiones triginta tres.

1. SI fuerint quotcumque magnitudines quotcumque magnitudinum æqualium numero ſingulæ ſingularum æquemultiplices: quotuplex eſt vna magnitudo vnius, totuplices erunt & omnes omnium.

2. Si prima ſecundæ æquemultiplex fuerit, ac tertia quartæ: fuerit autem & quinta ſecundæ æquemultiplex, ac ſexta quartæ: erit etiam compoſita prima, & quinta ſecundæ æquemultiplex, ac tertia, & ſexta quartæ.

3. Si prima ſecundæ æquemultiplex fuerit, ac tertia quartæ: ſumantur autem æquemultiplices primæ, & tertiæ: erit & ex æquali ſumptarum vtraque vtriuſque æquemultiplex, altera quidem ſecundæ, altera verò quartæ.

4. Si prima ad ſecundam eandem habeat proportionem, quam tertia ad quartam, & æquemultiplices primæ, & tertiæ ad æquemultiplices ſecundæ, & quartæ, iuxta quamuis multiplicationem, eandem proportionem habebunt, inter ſe comparatæ. *Vide Corollarium & Scholium.*

5. Si magnitudo magnitudinis æquemultiplex ſit, atque ablata ablatæ: & reliqua reliquæ æquemultiplex erit, atque tota totius.

6. Si duæ magnitudines duarum magnitudinum æquemultiplices ſint, & ablatæ ſint quædam earumdem multiplices: erunt & reliquæ vel eiſdem æquales, vel ipſarum æquemultiplices. *Vide Scholium.*

✠ 7. Æquales ad eandem, eandem habent proportionem, & eadem ad æquales.

✠ 8. Inæqualium magnitudinum maior ad eandem maiorem habet proportionem, quàm minor: & eadem ad minorem maiorem proportionem habet, quàm ad maiorem.

✠ 9. Quæ ad eandem eandem proportionem habent, inter ſe æquales ſunt: & ad quas eadem eandem habet proportionem, ipſæ inter ſe ſunt æquales.

✠ 10. Ad eandem proportionem habentium quæ maiorem proportionem habet, illa maior eſt: ad quam verò eadem maiorem habet proportionem, illa minor eſt.

✠ 11. Quæ eidem eædem ſunt proportiones, & inter ſe eædem ſunt.

✠ 12. Si quotcumque magnitudines proportionales fuerint, vt vna antecedentium ad vnam consequentium, ita erunt antecedentes omnes ad omnes consequentes.

✠ 13. Si prima ad secundam eandem habeat proportionem, quam tertia ad quartam: tertia autem ad quartam maiorem proportionem habeat, quàm quinta ad sextam: & prima ad secundam maiorem habebit proportionem, quàm quinta ad sextam. *Videantur Corollaria.*

✠ 14. Si prima ad secundam eandem habeat proportionem, quam tertiá ad quartam: prima autem maior sit, quàm tertia: & secunda quàm quarta maior erit: & si æqualis, æqualis: & si minor, minor. *Vide Scholium.*

✠ 15. Partes eodem modo multiplicium inter se comparatæ eandem habent proportionem.

✠ 16. Si quatuor magnitudines proportionales fuerint, & permutatæ proportionales erunt. *Vide Corollarium.*

✠ 17. Si compositæ magnitudines sint proportionales, & diuisæ proportionales erunt.

✠ 18. Si diuisæ magnitudines sint proportionales, & compositæ proportionales erunt.

19. Si fuerit vt tota ad totam, ita ablata ad ablatam: & reliqua ad reliquam erit, vt tota ad totam. *Vide Corollarium.*

✠ 20. Si sint tres magnitudines, & aliæ ipsis numero æquales, quæ binæ sumantur, & in eadem proportione: ex æquali autem prima maior sit quàm tertia: & quarta quàm sexta maior erit: & si æqualis, æqualis: & si minor, minor.

21. Si sint tres magnitudines, & aliæ ipsis numero æquales, quæ binæ sumantur, & in eadem proportione: sit autem perturbata earum analogia, & ex æquali prima maior sit quàm tertia: & quarta quàm sexta maior erit: & si æqualis, æqualis: & si minor, minor.

✠ 22. Si sint quotcúmque magnitudines, & aliæ ipsis numero æquales, quæ binæ sumantur in eadem proportione: & ex æquali in eadem proportione erunt. *Vide Scholium.*

✠ 23. Si sint tres magnitudines, & aliæ ipsis numero æquales, quæ binæ sumantur in eadem proportione, sit autem perturbata earum analogia: & ex æquali in eadem proportione erunt.

24. Si prima ad secundam eandem habeat proportionem, quam tertia ad quartam: habeat autem & quinta ad secundam proportionem eandem, quam sexta ad quartam: & composita prima & quinta ad secundam eandem proportionem habebit, quam tertia, & sexta ad quartam.

✠ 25. Si

✠ 25. Si quatuor magnitudines fuerint proportionales, maxima ipſarum, & minima duabus reliquis maiores erunt. *Sequentes prop. addidit Commandinus ex Pappo.*

✠ 26. Si prima ad ſecundam maiorem habeat proportionem, quàm tertia ad quartam, & conuertendo ſecunda ad primam minorem proportionem habebit, quàm quarta ad tertiam. *Vide Coroll.*

✠ 27. Si prima ad ſecundã maiorem proportionem habeat, quàm tertia ad quartam: & permutando prima ad tertiam maiorem habebit proportionem, quàm ſecunda ad quartam.

✠ 28. Si prima ad ſecundam maiorem proportionem habeat, quàm tertia ad quartam: etiam componendo prima & ſecunda ad ſecundam maiorem proportionem habebit, quàm tertia & quarta ad quartam.

✠ 29. Si prima & ſecunda ad ſecundam maiorem habeat proportionem, quàm tertia, & quarta ad quartam: & diuidendo prima ad ſecundam maiorem proportionem habebit, quàm tertia ad quartam.

✠ 30. Si prima & ſecunda ad ſecundam maiorem proportionem habeat, quàm tertia, & quarta ad quartam: per conuerſionem rationis prima & ſecunda ad primam minorem habebit proportionem, quàm tertia & quarta ad tertiam.

✠ 31. Si prima ad tertiam maiorem proportionem habeat, quàm ſecunda ad quartam, etiam prima ad tertiam habebit maiorem proportionem, quàm prima & ſecunda ad tertiam & quartam.

✠ 32. Si tota ad totam maiorem habeat proportionem, quàm ablata ad ablatam, & reliqua ad reliquam maiorem proportionem habebit, quàm tota ad totam.

33. Si ſint tres magnitudines, & aliæ ipſis numero æquales, habeatque prima priorum ad ſecundam maiorem proportionem, quàm prima poſteriorum ad ſecundam: ſecunda verò priorum ad tertiam maiorem proportionem habeat, quàm ſecunda poſteriorum ad tertiam: etiam ex æquali prima priorum ad tertiam maiorem habebit proportionem, quàm prima poſteriorum ad tertiam.

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

LIBER SEXTVS.

Definitiones quinque.

1. SImiles figuræ rectilineæ sunt, quæ & singulos angulos æquales habent, & circa angulos æquales latera proportionalia.

2. Reciprocæ figuræ sunt, quando in vtraque figura antecedentes, & consequentes rationes fuerint.

3. Extrema ac media ratione secari recta linea dicitur, cùm vt tota ad maiorem portionem, ita maior portio ad minorem se habuerit.

4. Altitudo cuiuscumque figuræ est linea perpendicularis, quæ à vertice ad basim ducitur.

5. Proportio ex proportionibus componi dicitur, quando proportionum quantitates inter se multiplicatæ aliquam efficiunt proportionem. *Vide Scholium.*

Propositiones triginta tres.

✠ 1. TRiangula & parallelogramma, quæ eandem habent altitudinem, inter se sunt vt bases.

✠ 11. Si vni laterum trianguli parallela quædam recta linea ducta fuerit, proportionaliter secabit ipsius trianguli latera: & si trianguli latera proportionaliter secta fuerint, quæ sectiones coniungit recta linea reliquo trianguli lateri parallela erit.

✠ 3. Si trianguli angulus bifariam secetur, secans autem angulum recta linea, secet etiam basim: basis partes eandem proportionem habebunt, quam reliqua trianguli latera: quæ à vertice ad sectionem ducitur recta linea, trianguli angulum bifariam secabit.

✠ 4. Æquiangulorum triangulorum latera, quæ circum æquales angulos proportionalia sunt: & homologa siue eiusdem rationis sunt latera, quæ æqualibus angulis subtenduntur.

✠ 5. Si duo triangula, latera proportionalia habeant, æquiangula erunt triangula, & æquales habebunt angulos, quibus homologa latera subtenduntur.

✠ 6. Si duo triangula vnum angulum vni angulo æqualem habeant, circa æquales autem angulos latera proportionalia: æquian-

gula erunt triangula, & æquales habebunt angulos, quibus homologa latera subtenduntur.

✠ 7. Si duo triangula vnum angulum vni angulo æqualem habeant, circa alios autem angulos latera proportionalia, & reliquorum vtrumque simul, vel minorem, vel non minorem recto: æquiangula erunt triangula: & æquales habebunt angulos, circa quos latera sunt proportionalia.

✠ 8. Si in triangulo rectangulo ab angulo recto ad basim perpendicularis ducatur: quæ ad perpendicularem sunt triangula & tota & inter se similia sunt.

9. A data recta linea partem imperatam abscindere.

10. Datam rectam lineam insectam, datæ rectæ lineæ sectæ similiter secare. *Videantur Corollaria.*

11. Duabus datis rectis lineis tertiam proportionalem inuenire.

12. Tribus datis rectis lineis quartam proportionalem inuenire.

13. Duabus datis rectis lineis mediam proportionalem inuenire.

✠ 15. Æqualium & vnum vni æqualem habentium angulum parallelogrammorum latera, quæ circum æquales angulos, ex contraria parte sibiipsis respondent; siue reciprocè proportionalia sunt: & quorum triangulorum vnum vni æqualem habentium angulum latera, quæ circum æquales angulos, ex contraria parte sibiipsis respondent: ea inter se sunt æqualia.

✠ 16. Si quatuor rectæ lineæ proportionales fuerint, rectangulum extremis contentum æquale est ei rectangulo, quod mediis continetur: & si rectangulum extremis contentum æquale fuerit ei, quod mediis continetur, quatuor rectæ lineæ proportionales erunt.

✠ 17. Si tres rectæ lineæ proportionales fuerint, rectangulum extremis contentum æquale est ei, quod à media fit, quadrato: & si rectangulum extremis contentum æquale fuerit ei, quod à media fit, quadrato: tres rectæ lineæ proportionales erunt.

18. A data recta linea dato rectilineo simile, & similiter positum rectilineum describere.

✠ 19. Similia triangula inter se sunt in dupla proportione laterum homologorum. *Vide Corollarium.*

✠ 20. Similia polygona in similia triangula diuiduntur, & numero æqualia, & homologa totis: & polygonum ad polygonum duplam proportionem habet eius, quam latus homologum habet ad homologum latus. *Vide duo Corollaria.*

21. Quæ eidem rectilineo sunt similia, & inter se similia sunt.

✠ 22. Si quatuor rectæ lineæ proportionales fuerint, & rectilinea,

quæ ab ipsis fiunt, similia & similiter descripta proportionalia erunt. Et si rectilinea, quæ ab ipsis fiunt, similia & similiter descripta proportionalia fuerint, & ipsæ rectæ lineæ proportionales erunt. *Vide Lemma.*

✠ 23. Æquiangula parallelogramma inter se proportionem habent ex lateribus compositam. *Vide Corollarium, & duo theoremata.*

✠ 24. Omnis parallelogrammi, quæ circa diametrum sunt parallelogramma, & toti & inter se similia sunt.

25. Dato rectilineo simile, & alteri dato æquale idem constituere.

26. Si à parallelogrammo parallelogrammum auferatur simile toti, & similiter positum, communem ipsi angulum habens, circa diametrum est toti.

✠ 27. Omnium parallelogrammorum ad eandem rectam lineam applicatorum, & deficientium figuris parallelogrammis similibus, & similiter positis ei quæ à dimidia describitur, maximum est quod ad dimidiam est applicatum, simile existens defectui.

28. Ad datam rectam lineam dato rectilineo æquale parallelogrammum applicare, deficiens figurâ parallelogrammâ, quæ similis sit alteri datæ. Oportet autem datum rectilineum, cui æquale applicandum est, non maius esse eo, quod ad dimidiam applicatur, similibus existentibus defectibus, & eo quod à dimidiâ, & eo, cui oportet simile deficere. *Videatur Problema.*

29. Ad datam rectam lineam dato rectilineo æquale parallelogrammum applicare, excedens figurâ parallelogrammâ, quæ similis sit alteri datæ.

30. Datam rectam lineam terminatam extremâ ac mediâ ratione secare.

✠ 31. In rectangulis triangulis figura, quæ fit à latere rectum angulum subtendente, æqualis est eis, quæ à lateribus rectum angulum continentibus fiunt, similibus, & similiter descriptis. *Videatur theorema Pappi.*

✠ 32. Si duo triangula componantur ad vnum angulum, quæ duo latera duobus lateribus proportionalia habeant, ita vt homologa latera ipsorum etiam sint parallela, reliqua triangulorum latera in directum sibi constituta erunt.

✠ 33. In circulis æqualibus anguli eandem habent proportionem, quam circumferentiæ, quibus insistunt, siue ad centra, siue ad circumferentias insistant. Adhuc autem & sectores, quippe qui ad centra sunt constituti. *Hinc vt sector ad sectorem, ita angulus ad angulum.*

LIBER SEPTIMVS.

Definitiones viginti tres.

1. VNitas est, quâ vnumquodque eorum, quæ sunt, vnum dicitur.

2. Numerus autem ex vnitatibus constans multitudo.

3. Pars est numerus numeri, minor maioris, quando maiorem metitur.

4. Partes autem, quando non metitur.

5. Multiplex est maior minoris, quando minor eum metitur.

6. Par numerus est, qui bifariam diuiditur.

7. Impar verò, qui bifariam non diuiditur; vel qui à pari numero vnitate differt.

8. Pariter par numerus est, quem par numerus per parem numerum metitur. *Vide Scholium.*

9. Pariter verò impar est, quem par numerus per numerum imparem metitur. *Vide Commentarium.*

10. Impariter verò impar numerus est, quem impar numerus per numerum imparem metitur.

11. Primus numerus est, quem vnitas sola metitur.

12. Primi inter se numeri sunt, quos sola vnitas communis mensura metitur.

13. Compositus numerus est, quem numerus aliquis metitur.

14. Compositi inter se numeri sunt, quos numerus aliquis communis mensura metitur.

15. Numerus numerum multiplicare dicitur, quando quot vnitates sunt in ipso, toties componitur multiplicatus, & aliquis gignitur.

16. Quando duo numeri sese multiplicantes aliquem fecerint, qui factus est planus appellatur: latera verò ipsius se se multiplicantes numeri.

17. Quando autem tres numeri se se multiplicantes aliquem fecerint, factus solidus appellatur: latera verò ipsius se se multiplicantes numeri.

18. Quadratus numerus est qui æqualiter est æqualis, vel qui duobus æqualibus numeris continetur.

19. Cubus verò, qui æqualiter est æqualis æqualiter, vel qui tribus æqualibus numeris continetur.

20. Numeri proportionales sunt, quando primus secundi, & tertius quarti æquemultiplex fuerit, vel eædem partes.

21. Similes plani, & solidi numeri sunt, qui latera habent proportionalia.

22. Perfectus numerus est, qui suis ipsius partibus est æqualis.

23. Cùm fuerint quotcumque numeri deinceps proportionales, primus ad tertium duplam proportionem habere dicitur eius, quam habet ad secundum: & primus ad quartum triplam, & eodem modo in alijs.

Petitiones tres.

1. CVilibet numero quotlibet sumi posse æquales, vel multiplices.

2. Quolibet numero sumi posse maiorem.

3. Numerus infinitè augetur, sed non infinitè minuitur.

Communes Notiones tredecim.

1. QVicumque eiusdem, vel æqualium æquemultiplices fuerint, & ipsi inter se sunt æquales.

2. Quorum idem numerus æquemultiplex fuerit, vel quorum æquemultiplices fuerint æquales, & ipsi inter se æquales sunt.

3. Quicumque eiusdem numeri, vel æqualium eadem pars, vel eædem partes fuerint, & ipsi inter se sunt æquales.

4. Quorum idem, vel æquales numeri eadem pars, vel eædem partes fuerint, & ipsi inter se sunt æquales.

5. Omnis numeri pars est vnitas ab eo denominata, binarij enim numeri vnitas pars est ab ipso binario denominata, quæ dimidia dicitur, ternarij verò vnitas est pars, quæ à ternario denominata tertia dicitur: quaternarij quarta, & ita in alijs.

6. Vnitas omnem numerum metitur per vnitates quæ in ipso sunt.

7. Omnis numerus seipsum metitur.

8. Si numerus metiatur numerum, & ille, per quem metitur, eundem metietur per eas, quæ sunt in metiente, vnitates.

9. Quicumque numerus alium metitur, multiplicans eum, vel multiplicatus ab eo, per quem metitur, illum ipsum producit.

10. Si numerus numerum alium multiplicans, aliquem produxerit, multiplicans quidem productum metitur per vnitates quæ sunt in multiplicato: multiplicatus verò metitur eumdem per vnitates quæ sunt in multiplicante.

11. Quicumque numerus metitur duos, vel plures, metietur quoque eum, qui ex illis componitur.

12. Quicumque numerus metitur aliquem, metietur quoque eum, quem ille ipse metitur.

13. Quicumque numerus metitur totum & ablatum, etiam reliquum metietur.

Propositiones 41.

✠ 1. SI duobus numeris inæqualibus expositis, detracto semper minore de maiore, reliquus minimè metiatur præcedentem, quoad assumpta fuerit vnitas: numeri à principio positi primi inter se erunt.

2. Duobus numeris datis non primis inter se, maximam eorum communem mensuram inuenire. *Vide Corollarium.*

3. Tribus numeris datis non primis inter se, maximam ipsorum communem mensuram inuenire. *Vide Corollarium.*

4. Omnis numerus omnis numeri minor maioris, vel pars est, vel partes.

✠ 5. Si numerus numeri pars fuerit; & alter alterius eadem pars: & vterque vtriusque eadem pars erit, quæ vnus vnius.

6. Si numerus numeri partes fuerit, & alter alterius eædem partes: & vterque vtriusque eædem partes erit, quæ vnus vnius.

✠ 7. Si numerus numeri pars fuerit, quæ ablatus ablati: & reliquus reliqui eadem pars erit, quæ totus totius.

8. Si numerus numeri partes fuerit, quæ ablatus ablati: & reliquus reliqui eædem partes erit, quæ totus totius.

✠ 9. Si numerus numeri pars fuerit, & alter alterius eadem pars: & permutando quæ pars est, vel partes primus tertij, eadem erit pars, vel eædem partes, & secundus quarti.

✠ 10. Si numerus numeri partes fuerit, & alter alterius eædem partes: & permutando quæ partes est primus tertij, vel pars, eædem partes erit, & secundus quarti, vel eadem pars.

✠ 11. Si fuerit vt totus ad totum, ita ablatus ad ablatum, & reliquus ad reliquum erit, vt totus ad totum.

✠ 12. Si quotcumque numeri proportionales fuerint, vt vnus antecedentium ad vnum consequentium, ita erunt omnes antecedentes ad omnes consequentes. *Vide Scholium.*

✠ 13. Si quatuor numeri proportionales fuerint, & permutando proportionales erunt.

✠ 14. Si fuerint quotcumque numeri, & alij ipsis multitudine æquales, qui bini sumantur, & in eâdem proportione: etiam ex æquali in eâdem proportione erunt. *Videantur quinque propositiones Commandini.*

✠ 15. Si vnitas numerum aliquem metiatur, alter autem numerus æqualiter metiatur alium aliquem: & permutando vnitas tertium numerum æqualiter metietur, atque secundus quartum.

✠ 16. Si duo numeri se se multiplicantes fecerint aliquos, facti ex ipsis inter se æquales erunt.

17. Si numerus duos numeros multiplicans fecerit aliquos, facti ex ipsis eandem proportionem habebunt, quam multiplicati.

18. Si duo numeri numerum aliquem multiplicantes fecerint aliquos, facti ex ipsis eamdem proportionem habebunt, quam multiplicantes.

19. ✠ Si quatuor numeri proportionales fuerint, qui ex primo, & quarto fit numerus, æqualis erit ei, qui fit ex secundo, & tertio: & si numerus, qui fit ex primo, & quarto, æqualis fuerit ei, qui ex secundo, & tertio, quatuor numeri proportionales erunt.

✠ 20. Si tres numeri proportionales fuerint, qui ab extremis fit numerus, æqualis erit ei, qui fit à medio. Si autem qui ab extremis fit, æqualis fuerit ei, qui à medio: tres numeri proportionales erunt.

✠ 21. Minimi numeri eamdem, quam ipsi proportionem habentium, eos, qui eamdem habent proportionem, æqualiter metiuntur, maior maiorem, & minor minorem.

✠ 22. Si sint tres numeri, & alij ipsis multitudine æquales, qui bini sumantur, & in eâdem proportione: sit autem perturbata eorum analogia: etiam ex æquali in eâdem proportione erunt.

23. Primi inter se numeri minimi sunt eorum, qui eamdem, quam ipsi proportionem habent.

✠ 24. Minimi numeri eorum, qui eamdem, quam ipsi proportionem habent, primi inter se sunt.

25. Si duo numeri primi inter se fuerint, qui vnum ipsorum metitur numerus ad reliquum primus erit.

✠ 26. Si

✠ 26. Si duo numeri ad aliquem numerum primi fuerint, & qui fit ex ipsis ad eum primus erit.

✠ 27. Si duo numeri primi inter se fuerint, qui fit ab vno ipsorum ad reliquum primus erit.

✠ 28. Si duo numeri ad duos numeros vterque ad vtrumque primi fuerint, & qui fiunt ex ipsis inter se primi erunt.

✠ 29. Si duo numeri primi inter se fuerint, & vterque seipsum multiplicans faciat aliquos: facti ex ipsis primi erunt inter se, & si numeri à principio positi eos, qui facti sunt, multiplicantes aliquos faciant, & ipsi inter se primi erunt: & semper circa extremos hoc continget.

✠ 30. Si duo numeri primi inter se fuerint, & vterque simul ad vtrumque ipsorum primus erit. Quod si vterque simul ad vnum aliquem ipsorum sit primus, & numeri à principio positi inter se primi erunt.

✠ 31. Omnis primus numerus ad omnem numerum, quem non metitur, primus est.

✠ 32. Si duo numeri se se multiplicantes aliquem faciant, eum verò qui ex ipsis fit, metiatur aliquis numerus primus: & vnum ipsorum, qui à principio positi sunt, metietur.

33. Omnem numerum compositum primus aliquis numerus metitur.

✠ 34. Omnis numerus vel primus est, vel eum primus aliquis numerus metitur.

35. Numeris quotcumque datis inuenire minimos eorum, qui eandem, quam ipsi, proportionem habeant. *Videatur Problema Commandini.*

36. Duobus numeris datis, inuenire quem minimum numerum metiantur. *Vide Scholium.*

✠ 37. Si duo numeri metiantur numerum aliquem, & minimus, quem illi metiuntur, eumdem metietur.

✠ 38. Tribus numeris datis inuenire quem minimum numerum metiantur.

39. Si numerum numerus aliquis metiatur, mensus partem habebit à metiente denominatam.

40. Si numerus partem quamcumque habeat, eum numerus à parte denominatus metietur.

41. Numerum inuenire, qui minimus existens datas partes habeat.

LIBER OCTAVVS.

Propositiones vigintiseptem.

1. SI sint quotcumque numeri deinceps proportionales, quorum extremi sunt inter se primi: minimi erunt omnium qui eandem, quam ipsi proportionem habent.

2. Numeros inuenire deinceps proportionales minimos, quotcumque quis imperauerit in data proportione. *Vide Corollarium.*

3. Si sint quotcumque numeri deinceps proportionales, minimi omnium, qui eamdem quam ipsi, proportionem habent, eorum extremi primi inter se erunt.

4. Proportionibus datis quotcumque in minimis numeris, numeros inuenire deinceps minimos in datis proportionibus.

✣ 5. Plani numeri inter se proportionem habent ex lateribus compositam.

6. Si fuerint quotcumque numeri deinceps proportionales, primus autem secundū non metiatur: neque alius aliquis vllum metietur.

7. Si fuerint quotcumque numeri deinceps proportionales, primus autem metiatur extremum; & secundum metietur.

8. Si inter duos numeros numeri deinceps proportionales ceciderint, quot inter eos cadunt, numeri deinceps proportionales, totidem & inter alios eamdem, quam ipsi, proportionem habentes cadent.

9. Si duo numeri inter se primi fuerint, & inter ipsos numeri deinceps proportionales ceciderint, quot inter ipsos cadunt numeri deinceps proportionales, totidem & inter vtrumque ipsorum, & vnitatem deinceps proportionales cadent.

10. Si inter duos numeros, & vnitatem deinceps proportionales numeri ceciderint, quot inter vtrumque ipsorum, & vnitatem cadunt numeri deinceps proportionales: totidem & inter ipsos numeri deinceps proportionales cadent.

✣ 11. Inter duos numeros quadratos vnus medius proportionalis cadit: & quadratus ad quadratum duplam proportionem habet eius, quam latus habet ad latus.

✣ 12. Inter duos numeros cubos duo medij proportionales cadunt, & cubus ad cubum triplam habet proportionem eius, quam latus habet ad latus.

2009 Ministerio de Cultura

13. Si sint quotcumque numeri deinceps proportionales, & vnusquisque se ipsum multiplicans faciat aliquos: facti ex ipsis proportionales erunt: & positi à principio numeri factos multiplicantes alios faciant, & ipsi proportionales erunt, & semper circa extremos hoc continget.

✠ 14. Si numerus quadratus metiatur quadratum numerum, & latus latus metietur: & si latus metiatur latus, & quadratus quadratum metietur.

✠ 15. Si numerus cubus metiatur cubum numerum, & latus latus metietur: & si latus metiatur latus, & cubus cubum metietur.

✠ 16. Si numerus quadratus non metiatur quadratum numerum, neque latus latus metietur: & si latus non metiatur latus, neque quadratus quadratum metietur.

✠ 17. Si numerus cubus non metiatur cubum numerum, neque latus latus metietur: & si latus non metiatur latus, neque cubus cubum metietur.

✠ 18. Inter duos similes planos numeros vnus medius proportionalis cadit: & planus ad planum duplam proportionem habet eius, quam latus homologum habet ad homologum latus.

✠ 19. Inter duos similes solidos numeros duo medij proportionales cadunt; & solidus ad solidum triplam proportionem habet eius, quam latus homologum habet ad homologum latus.

✠ 20. Si inter duos numeros vnus medius proportionalis cadat, numeri similes plani erunt.

✠ 21. Si inter duos numeros duo medij proportionales cadant, numeri similes solidi erunt.

✠ 22. Si tres numeri deinceps proportionales fuerint, primus autem sit quadratus, & tertius quadratus erit.

✠ 23. Si quatuor numeri deinceps proportionales fuerint, primus autem sit cubus, & quartus cubus erit.

✠ 24. Si duo numeri inter se proportionem habeant, quam numerus quadratus ad quadratum numerum, primus autem sit quadratus; & secundus quadratus erit.

✠ 25. Si duo numeri inter se proportionem habeant, quam numerus cubus ad cubum numerum, primus autem sit cubus; & secundus cubus erit.

26. Similes plani numeri inter se proportionem habent, quam numerus quadratus ad quadratum numerum.

27. Similes solidi numeri inter se proportionem habent, quam numerus cubus ad cubum numerum.

LIBER NONVS.

Propositiones triginta sex.

✠ 1. SI duo similes plani numeri se se multiplicantes aliquem fecerint, factus quadratus erit.

✠ 2. Si duo numeri se multiplicantes quadratum numerum efficiant, similes plani erunt.

✠ 3. Si cubus numerus seipsum multiplicans faciat aliquem, factus cubus erit.

✠ 4. Si numerus cubus cubum numerum multiplicans faciat aliquem, factus cubus erit.

5. Si numerus cubus numerum aliquem multiplicans faciat cubum, multiplicatus cubus erit.

✠ 6. Si numerus seipsum multiplicans cubum faciat, & ipse cubus erit.

7. Si compositus numerus numerum aliquem multiplicans, quempiam faciat, factus solidus erit.

✠ 8. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales fuerint, tertius quidem ab vnitate quadratus est, & vnum intermittentes omnes: quartus autem est cubus, & duos intermittentes omnes: septimus verò cubus simul, & quadratus, & quinque intermittentes omnes.

9. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales fuerint, qui verò post vnitatem sit quadratus; & reliqui omnes quadrati erunt: at si qui post vnitatem sit cubus, & reliqui omnes cubi erunt.

10. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales fuerint, qui verò post vnitatem non sit quadratus; neque alius vllus quadratus erit, præter tertium ab vnitate, & vnum intermittentes omnes: at si qui post vnitatem non sit cubus; neque alius vllus cubus erit, præter quartum ab vnitate, & duos intermittentes omnes.

11. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales fuerint, minor maiorem metitur per aliquem eorum, qui sunt in numeris proportionalibus.

12. Si ab vnitate quotlibet numeri deinceps proportionales fuerint, quicumque primorum numerorum metiuntur vltimum ijdem

& eum, qui vnitati proximus eſt, metientur.

13. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales fuerint; qui verò poſt vnitatem primus ſit: maximum nullus alius metietur præter eos, qui ſunt in numeris proportionalibus.

14. Si minimum numerum primi numeri metiantur, nullus alius numerus metietur ipſum præter eos, qui à principio metiebantur.

15. Si tres numeri deinceps proportionales fuerint, minimi eorum qui eandem, quam ipſi proportionem habeant; duo quilibet compoſiti ad reliquum primi erunt. *Videantur* 10. *thëoremata.*

16. Si duo numeri primi inter ſe fuerint, non erit vt primus ad ſecundum, ita ſecundus ad alium vllum.

17. Si fuerint quotcumque numeri deinceps proportionales, extremi autem ipſorum primi inter ſe ſint, non erit vt primus ad ſecundum, ita vltimus ad alium vllum.

18. Duobus numeris datis conſiderare an tertius ipſis proportionalis inueniri poſſit.

19. Tribus numeris datis conſiderare an quartus ipſis proportionalis inueniri poſſit.

20. Primi numeri plures ſunt, omni propoſita multitudine primorum numerorum. *vide Scholium.*

21. Si pares numeri quotcumque componantur, totus par erit.

22. Si impares numeri quotcumque componantur, multitudo autem ipſorum ſit par, totus par erit.

23. Si impares numeri quotcumque componantur, & multitudo ipſorum ſit impar, & totus impar erit.

24. Si à pari numero par auferatur, & reliquus par erit.

25. Si à pari numero impar auferatur, & reliquus impar erit.

26. Si ab impari numero impar auferatur, & reliquus par erit.

27. Si ab impari numero par auferatur, reliquus impar erit.

28. Si impar numerus parem multiplicans faciat aliquem, factus par erit.

29. Si impar numerus imparem numerum multiplicans faciat aliquem, factus impar erit.

30. Si impar numerus parem numerum metiatur, & dimidium eius metietur.

31. Si impar numerus ad aliquem numerum ſit primus, & ad ipſius duplum primus erit.

32. Numerorum à binario duplatorum vnuſquiſque pariter par eſt tantùm.

34. Si par numerus neque ſit à binario duplatus, neque dimidium

imparem habeat: pariter par eſt, & pariter impar.

✠ 35. Si ſint quotcumque numeri deinceps proportionales: auferantur autem à ſecundo, & vltimo æquales primo: erit vt ſecundi exceſſus ad primum, ita vltimi exceſſus ad omnes ipſum antecedentes.

✠ 36. Si ab vnitate quotcumque numeri deinceps proportionales exponantur in dupla analogia, quoad totus compoſitus primus fiat, & totus in vltimum multiplicatus faciat aliquem: factus perfectus erit. *Videatur Scholium decimilibri, qui ſequitur.*

LIBER DECIMVS.

Definitiones vndecim.

1. COmmenſurabiles magnitudines dicuntur, quas eadem menſura metitur.

2. Incommenſurabiles autem, quarum nullam eſſe communem menſuram contingit.

3. Rectæ lineæ potentia commenſurabiles ſunt, cùm ea, quæ ab ipſis fiunt, quadrata idem ſpatium metitur.

4. Incommenſurabiles autem, cùm quadratis, quæ ab ipſis fiunt, nullum commune ſpatium eſſe contingit.

5. His poſitis oſtenditur, cuicumque rectæ lineæ propoſitæ rectas lineas multitudine infinitas, & commenſurabiles eſſe, & incommenſurabiles: alias quidem longitudine & potentia: alias verò potentia ſolùm. Vocetur autem propoſita recta linea, rationalis.

6. Et huic menſurabiles ſiue longitudine & potentia, ſiue potentia ſolùm, rationales.

7 Incommenſurabiles verò irrationales vocentur.

8. Et quadratum, quod è recta linea propoſita, dicatur rationale.

9 Et huic commenſurabilia quidem rationalia.

10. Incommenſurabilia verò, irrationalia dicantur.

11. Et rectæ lineæ, quæ incommenſurabilia poſſunt, vocentur irrationales: ſi quidem ea quadrata ſint, ipſorum latera: ſi verò alia quæpiam rectilinea, quæ ipſis æqualia quadrata deſcribunt.

© Ministerio de Cultura

Communes Notiones quatuor.

I. QVælibet magnitudo multiplicata potest omnem propositam magnitudinem eiusdem generis superare.

2. Quæcumque magnitudo metitur aliquam, metitur quoque eam quam illa ipsa metitur.

3. Quæcumque magnitudo metitur totam, & ablatam: etiam reliquam metietur.

4. Quæcumque magnitudo metitur duas, vel plures magnitudines, metitur quoque eam, quæ ex ipsis componitur.

Propositiones 117.

I. DVabus magnitudinibus inæqualibus expositis, si à maiori auferatur maius, quam dimidium: & ab eo, quod reliquum est, rursus auferatur maius quam dimidium, & hoc semper fiat: relinquetur tandem quædam magnitudo, quæ minori magnitudine expositâ minor erit.

II. Si duabus magnitudinibus inæqualibus expositis detracta semper minore de maiore, reliqua minimè præcedentem metiatur: magnitudines incommensurabiles erunt. *Vide duo Scholia.*

III. Duabus magnitudinibus commensurabilibus datis, maximam earum communem mensuram inuenire. *Vide Coroll. & Schol.*

IV. Tribus magnitudinibus commensurabilibus datis, maximam ipsarum communem mensuram inuenire. *Vide Coroll. & duo Scholia.*

✠ V. Commensurabiles magnitudines inter se proportionem habent, quam numerus ad numerum. *Vide Scholium.*

✠ VI. Si duæ magnitudines inter se proportionem habeant, quam numerus ad numerum, commensurabiles magnitudines erunt. *Vide Coroll. & Scholium.*

✠ VII. Incommensurabiles magnitudines inter se proportionem non habent, quam numerus ad numerum.

✠ VIII. Si duæ magnitudines inter se proportionem non habeant, quam numerus ad numerum, incommensurabiles erunt.

✠ IX Quæ à rectis lineis longitudine commensurabilibus fiũt quadrata inter se proportionem habent, quam quadratus numerus ad quadratum numerum: & quadrata inter se proportionem habentia,

2009 Ministerio de Cultura

quam quadratus numerus ad quadratum numerum, & latera habebunt longitudine commensurabilia: quadrata verò, quæ à longitudine incommensurabilibus rectis lineis fiunt, inter se proportionem non habent, quam quadratus numerus ad quadratum nemerum, neque latera habebunt longitudine commensurabilia. *Vide Corollarium, & Scholium.*

✠ 10. Si quatuor magnitudines proportionales fuerint, prima verò secundæ fuerit commensurabilis, & tertia commensurabilis erit: & si prima secundæ fuerit incommensurabilis, & tertia quartæ incommensurabilis erit. *Vide tria Lemmata.*

11. Propositæ rectæ lineæ inuenire duas rectas lineas incommensurabiles, alteram quidem longitudine tantùm, alteram verò etiam potentia.

✠ 12. Quæ eidem magnitudini sunt commensurabiles, & inter se commensurabiles sunt. *Vide Scholium.*

✠ 13. Si sint duæ magnitudines, & altera quidem eidem sit commensurabilis: magnitudines inter se incommensurabiles erunt.

✠ 14. Si duæ magnitudines commensurabiles sint, altera autem ipsarum alicui magnitudini sit incommensurabilis, & reliqua eidem incommensurabilis erit. *Vide Lemma.*

✠ 15. Si quatuor rectæ lineæ proportionales fuerint: prima verò tanto plus possit quàm secunda, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi commensurabilis longitudine: & tertia tanto plus poterit, quàm quarta, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine commensurabilis. Quòd si prima tanto plus possit, quàm secunda, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi incommensurabilis longitudine: & tertia, quàm quarta tanto plus poterit, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine incommensurabilis.

✠ 16. Si duæ magnitudines commensurabiles componantur, & tota magnitudo vtrique ipsarum commensurabilis erit: quod si tota magnitudo vni ipsarum sit commensurabilis, & quæ à principio magnitudines commensurabiles erunt.

✠ 17. Si duæ magnitudines incommensurabiles componantur, & tota magnitudo vtrique ipsarum incommensurabilis erit: quod si tota magnitudo vni ipsarum sit incommensurabilis, & quæ à principio magnitudines incommensurabiles erunt. *Vide tria Lemmata.*

✠ 18. Si duæ rectæ lineæ inæquales sint, quartæ autem parti quadrati, quod fit à minori æquale parallelogrammum ad maiorem applicetur, deficiens figurâ quadratâ, & in partes longitudine commensurabiles ipsam diuidat: maior tanto plus poterit quàm minor,

quantum

quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine commensurabilis. Quod si maior tanto plus possit, quàm minor, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine commensurabilis, quartæ autem parti quadrati, quod fit à minori æquale parallelogrammum ad maiorem applicetur, deficiens figurâ quadratâ: in partes longitudine commensurabiles ipsam diuidet.

✠ 19. Si duæ rectæ lineæ inæquales sint, quartæ autem parti quadrati, quod fit à minori æquale parallelogrammum ad maiorem applicetur, deficiens & figura quadrata, & in partes incommensurabiles longitudine ipsam diuidat: maior tanto plus poterit, quàm minor, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine incommensurabilis. Quod si maior tanto plus possit, quàm minor, quantum est quadratum rectæ lineæ sibi longitudine incommensurabilis, quartæ autem parti quadrati, quod fit à minori æquale parallelogrammum ad maiorem applicetur, deficiens quadrata figura: in partes longitudine incommensurabiles ipsam diuidet. *Vide Schol. & tria Lemmata.*

✠ 20. Quod rationalibus longitudine commensurabilibus rectis lineis secundùm aliquem prædictorum modorum continetur rectangulum rationale est. *Videantur quatuor theoremata.*

✠ 21. Si rationale ad rationalem applicetur, latitudinem efficit rationalem, & ei, ad quam applicatum est, longitudine commensurabilem. *Vide duo Lemmata.*

✠ 22. Quod rationalibus potentiâ solùm commensurabilibus rectis lineis continetur rectangulum irrationale est: & recta linea ipsum potens est irrationalis. Vocetur autem media. *Vide duo Scho. & Lemma.*

23. Quod fit à media ad rationalem applicatum, latitudinem efficit rationalem, & ei ad quam applicatum est, longitudine incommensurabilem.

24. Mediæ commensurabilis, media est. *Vide Coroll. & Schol.*

25. Quod mediis longitudine commensurabilibus rectis lineis continetur rectangulum medium est. *Vide quatuor theoremata.*

26. Quod sub mediis potentiâ solùm commensurabilibus rectis lineis continetur rectangulum, vel rationale est, vel medium. *Vide Scholium.*

27. Medium non superat medium rationali.

28. Medias inuenire potentiâ solùm commensurabiles, quæ rationale contineant.

29. Medias inuenire potentiâ solùm commensurabiles, quæ medium contineant. *Vide duo Lemmata, & Coroll.*

2009 Ministerio de Cultura

30. Inuenire duas rationales potentiâ ſolùm commenſurabiles, ita vt maior plus poſſit, quàm minor quadrato rectæ linæ ſibi longitudine commenſurabilis. *Vide Schol.*

31. Inuenire duas rationales potentiâ ſolùm commenſurabiles, ita vt maior plus poſſit, quàm minor, quadrato rectæ lineæ ſibi longitudine incommenſurabilis. *Vide Lemma.*

32. Inuenire duas medias potentiâ ſolùm commenſurabiles, quæ rationale contineant, ita vt maior plus poſſit, quàm minor quadrato rectæ lineæ ſibi longitudine commenſurabilis. *Vide Lemma.*

33. Inuenire duas medias potentiâ ſolùm commenſurabiles, quæ medium contineant, ita vt maior plus poſſit, quàm minor, quadrato rectæ lineæ ſibi longitudine cõmenſurabilis. *Vide tria Lemmata.*

34. Inuenire duas rectas lineas potentiâ incommenſurabiles, quæ faciant compoſitum quidem ex ipſarum quadratis rationale: rectangulum verò, quod ipſis continetur, medium. *Vide Schol. & quinque theoremata.*

35. Inuenire duas rectas lineas potentiâ incommenſurabiles, quæ faciant compoſitum quidem ex ipſarum quadratis medium, rectangulum verò quod ipſis continetur rationale.

36. Inuenire duas rectas lineas potentiâ incommenſurabiles, quæ faciant & compoſitum ex ipſarum quadratis medium, & rectangulum, quod ipſis continetur, medium, incommenſurabiléque compoſito ex ipſarum quadratis.

✝ 37. Si duæ rationales potentiâ ſolùm commenſurabiles componantur, tota irrationalis erit. Vocetur autem ex binis nominibus. *Vide Scholium.*

✝ 38. Si duæ mediæ potentiâ ſolùm commenſurabiles componantur, quæ rationale contineant, tota irrationalis erit. Vocetur autem ex binis mediis prima.

✝ 39. Si duæ mediæ potentiâ ſolùm commenſurabiles componantur, quæ medium contineant, tota irrationalis erit. Vocetur autem ex binis mediis ſecunda. *Vide Scholium.*

40. Si duæ rectæ lineæ potentiâ incommenſurabiles componantur, quæ faciant compoſitum quidem ex ipſarum quadratis rationale: quod autem ipſis continetur medium, tota recta linea irrationalis erit. Vocetur autem maior. *Vide Scholium.*

1. Si duæ rectæ lineæ potentiâ incommenſurabiles componantur, quæ faciant compoſitum quidem ex ipſarum quadratis medium, quod autem ipſis continetur, rationale: tota recta linea irrationalis erit. Vocetur autem rationale, ac medium potens. *Vide Scholium.*

2009 Ministerio de Cultura

42. Si duæ rectæ lineæ potentiâ incommensurabiles componantur, quæ faciant compositum ex ipsarum quadratis medium, & quod ipsis continetur medium, incommensurabiléque composito ex quadratis ipsarum, tota recta linea irrationalis erit. Vocetur autem bina media potens. *Vide Scholia duo, & Lemma.*

43. Quæ ex binis nominibus, ad vnum dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

44. Quæ ex binis mediis prima, ad vnum dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

45. Quæ ex binis mediis secunda ad vnum dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

46. Maior ad idem dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

47. Rationale, ac medium potens ad vnum dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

48. Bina media potens ad vnum dumtaxat punctum diuiditur in nomina.

Definitiones secundæ sex.

1. EXposita rationali, & quæ ex binis nominibus diuisa in nomina, cuius maius nomen plus possit, quàm minus, quadrato rectæ lineæ sibi longitudine commensurabilis, siquidem maius nomen expositæ rationali commensurabile sit longitudine, tota dicatur ex binis nominibus prima.

2. Si verò minus nomen expositæ rationali longitudine sit commensurabile, dicatur ex binis nominibus secunda.

3. Quod si neutrum ipsorum nominum sit longitudine commensurabile expositæ rationali, vocetur ex binis nominibus tertia.

4. Rursus si maius nomen plus possit, quàm minus, quadrato rectæ lineæ sibi longitudine incommensurabilis, si quidem maius nomen expositæ rationali sit commensurabile longitudine, dicatur ex binis nominibus quarta.

5. Si verò minus dicatur quinta.

6. Quod si neutrum, dicatur sexta. *Vide Scholium.*

2009 Ministerio de Cultura

Propoſitiones.

49. 50. 51. 52. 53. & 54. Inuenire ex binis nominibus primam, ſecundam, tertiam, quartam, quintam, & ſextam. *Vide Lemma.*

55. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus prma recta linea ſpatium potens irrationalis eſt, quæ ex binis nominibus appellatur.

56. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus ſecunda, recta linea ſpatium potens irrationalis eſt, quæ ex binis mediis prima appellatur.

57. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus tertia, recta linea ſpatium potens irrationalis eſt, quæ appellatur ex binis mediis ſecunda.

58. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus quarta, recta linea ſpatium potens irrationalis eſt, quæ vocatur maior.

59. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus quinta, quæ ſpatium poteſt recta linea irrationalis eſt, vocaturque rationale, & medium potens.

60. Si ſpatium contineatur rationali, & ex binis nominibus ſexta, quæ ſpatium poteſt recta linea irrationalis eſt: vocaturque bina media potens. *Vide Lemma.*

61. Quadratum eius, quæ eſt ex binis nominibus ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus primam.

62. Quadratum eius, quæ eſt ex binis mediis prima, ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus ſecundam.

63. Quadratum eius, quæ eſt ex binis mediis ſecunda, ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus tertiam.

64. Quadratum maioris ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus quartam.

65. Quadratum eius, quæ rationale, ac medium poteſt ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus quintam.

66. Quadratum eius, quæ bina media poteſt, ad rationalem applicatum latitudinem facit ex binis nominibus ſextam.

67 Ei, quæ eſt ex binis nominibus longitudine commenſurabilis, & ipſa ex binis nominibus eſt, atque ordine eadem.

68. Ei, quæ eſt ex binis mediis longitudine commenſurabilis, & ipſa ex binis mediis eſt, atque ordine eadem.

2009 Ministerio de Cultura

69. Maiori commensurabilis, & ipsa maior est.

70. Rationale, ac medium potenti commensurabilis, & ipsa rationale, ac medium potens est.

71. Bina media potenti commensurabilis, & ipsa bina media potens est.

72. Si rationale, & medium componantur, quatuor irrationales sunt, vel ea, quæ ex binis nominibus, vel quæ ex binis mediis prima, vel maior, vel rationale ac medium potens.

73. Si duo media inter se incommensurabilia componantur, duæ reliquæ irrationales fiunt, vel ex binis mediis secunda, vel bina media potens. *Vide Scholium.*

74. Si à rationali rationalis auferatur potentia solùm commensurabilis existens toti, reliqua irrationalis est. Vocetur autem apotome.

75. Si à media auferatur potentia solùm commensurabilis existens toti, quæ cum tota rationale contineat: reliqua irrationalis est. Vocetur autem mediæ apotome prima.

76. Si à media media auferatur, potentia solùm commensurabilis existens toti, quæ cum tota medium contineat: & reliqua irrationalis est. Vocetur autem mediæ apotome secunda.

77. Si à recta linea recta linea auferatur, potentia incommensurabilis existens toti, quæ cum tota faciat compositum quidem ex ipsarum quadratis rationale, quod autem ipsis continetur medium: reliqua irrationalis est. Vocetur autem minor.

78. Si à recta linea recta linea auferatur potentia incommensurabilis existens toti, & cum tota faciens compositum quidem ex ipsarum quadratis medium, quod autem ipsis bis continetur rationale: reliqua irrationalis est: vocetúrque cum rationali medium totum efficiens.

79. Si à recta linea recta linea auferatur potentia incommensurabilis existens toti: & cum tota faciens compositum quidem ex ipsarum quadratis medium, quod autem ipsis bis continetur medium, incommensurabiléque composito ex quadratis ipsarum: reliqua irrationalis est. Vocetur autem cum medio medium totum efficiens.

80. Apotomæ vna tantùm congruit recta linea potentia solùm commensurabilis existens toti.

81. Mediæ apotomæ primæ vna tantùm congruit recta linea media, potentia solùm commensurabilis existens toti, & cum tota rationale continens.

82. Mediæ apotomæ secundæ vna tantùm congruit recta linea

2009 Ministerio de Cultura

media potentia solùm commensurabilis existens toti, & cum tota medium continens.

83. Minori vna tantùm congruit recta linea, potentia incommensurabilis existens toti, & cum tota faciens compositum quidem ex ipsarum quadratis rationale: quod autem bis ipsis continetur, medium.

84. Ei, quæ cum rationali medium totum facit, vna tantùm congruit recta linea, potentia incommensurabilis existens toti, & cum tota efficiens compositum quidem ex ipsarum quadratis medium: quod autem bis ipsis continetur, rationale.

85. Ei, quæ cum medio medium totum facit, vna tantùm congruit recta linea, potentia incommensurabilis existens toti, & cum tota faciens compositum quidem ex ipsarum quadratis medium, quod autem bis ipsis continetur, medium, & adhuc incommensurabile composito ex quadratis ipsarum.

Definitiones tertiæ, sex.

1. EXposita rationali, & apotoma, si quidem tota plus possit, quàm congruens quadrato rectæ lineæ sibi commensurabilis longitudine: sitque tota expositę rationali longitudine commensurabilis: vocetur apotome prima.

2. Si verò congruens sit longitudine commensurabilis expositæ rationali, & tota plus possit, quam congruens quadrato rectæ lineæ sibi commensurabilis longitudine: vocetur apotome secunda.

3. Quod si neutra sit longitudine commensurabilis expositæ rationali, & tota plus possit, quàm congruens quadrato rectæ lineæ sibi commensurabilis longitudine: dicatur apotome tertia.

4. Rursus si tota plus possit, quàm congruens quadrato rectæ lineæ sibi commensurabilis longitudine, siquidem sit tota longitudine commensurabilis expositæ rationali, vocetur apotome quarta.

5. Si verò congruens expositæ rationali sit longitudine commensurabilis, vocetur apotome quinta.

6. Quod si neutra, dicatur apotome sexta.

Propositiones sequuntur.

LXXXVI. 87. 88. 89. 90. & 91. Inuenire primam, secundam,

009 Ministerio de Cultura

tertiam, quartam, quintam, & sextam apotomem.

92. Si spatium contineatur rationali, & apotoma prima, recta linea spatium potens apotome est.

93. Si spatium contineatur rationali, & apotoma secunda, recta linea spatium potens mediæ est apotome prima.

94. Si spatium contineatur rationali, & apotome tertia, recta linea spatium potens mediæ est apotome secunda.

95. Si spatium contineatur rationali, & apotoma quarta, recta linea spatium potens minor est.

96. Si spatium contineatur rationali, & apotoma quinta, recta linea spatium potens est, quæ cum rationali medium totum efficit.

97. Si spatium contineatur rationali, & apotoma sexta, recta linea spatium potens est, quæ cum medio medium totum efficit.

98. Quadratum apotomæ ad rationalem applicatum latitudinem facit apotomen primam.

99. Quadratum mediæ apotomæ primæ ad rationalem applicatum latitudinem facit apotomen secundam.

100. Quadratum mediæ secundæ apotomæ ad rationalem applicatum latitudinem facit apotomen tertiam.

101. Quadratum minoris ad rationalem applicatum, latudinem facit apotomen quartam.

102. Quadratum eius, quæ cum rationali medium totum efficit ad rationalem applicatum, latitudinem facit apotomen quintam.

103. Quadratum eius, quæ cum medio medium totum efficit ad rationalem applicatum latitudinem facit apotomen sextam.

104. Recta linea apotomæ longitudine commensurabilis, & ipsa apotome est, atque ordine eadem.

105. Recta linea mediæ apotomæ commensurabilis, & ipsa mediæ apotome est, atque ordine eadem.

106. Recta linea minori commensurabilis, & ipsa minor est.

107. Recta linea commensurabilis ei; quæ cum rationali medium efficit, & ipsa cum rationali medium totum efficiens est.

108. Recta linea commensurabilis ei, quæ cum medio medium totum efficit, & ipsa cum medio totum efficiens est.

109. Medio de rationali detracto, recta linea, quæ reliquum spatium potest, vna ex duabus irrationalibus fit, vel apotome, vel minor.

110. Rationali de medio detracto aliæ duæ irrationales fiunt, vel

2009 Ministerio de Cultura

mediæ apotome prima, vel cum rationali medium totum efficiens.

111. Medio de medio detracto, quod sit incommensurabile toti, reliquæ duæ irrationales fiunt, vel mediæ apotomæ secunda, vel cum medio medium totum efficiens.

112. Apotome non est eadem quæ ex binis nominibus. *Rectæ verò lineæ quæ sequuntur apotomen, & eam quæ ex binis nominibus sunt numero tredecim, videlicet* 1. media. 2. quæ ex binis nominibus. 3. quæ ex binis mediis prima. 4. quæ ex binis mediis secunda. 5. maior. 6. rationale ac medium potens. 7. bina media potens. 8. apotome. 9. mediæ apotomæ prima. 10. mediæ apotomæ secunda. 11. minor. 12. cum rationali medium totum efficiens. 13. cum medio medium totum efficiens.

113. Quadratum rationalis ad eam, quæ ex binis nominibus applicatum latitudinem facit apotomen, cuius nomina commensurabilia sunt nominibus eius, quæ est ex binis nominibus, & in eadem proportione: & adhuc apotome, quæ fit, eumdem habet ordinem, quem ea, quæ est ex binis nominibus.

114. Quadratum rationalis ad apotomen applicatum latitudinem facit eam, quæ ex binis nominibus, cuius nomina commensurabilia sunt apotomæ nominibus, & in eadem proportione, & adhuc quæ ex binis nominibus fit, eumdem habet ordinem, quæ ipsa apotome.

115. Si spatium continetur apotoma, & ea, quæ ex binis nominibus, cuius nomina commensurabilia sint nominibus apotomæ, & in eadem proportione: recta linea spatium potens est rationalis. *Vide Coroll. & monitum Candallæ.*

116. A media infinitæ irrationales fiunt, & nulla alicui intercedentium est eádem.

✝ 117. Propositum sit nobis ostendere in quadratis figuris diametrum lateri incommensurabilem esse longitudine.

LIBER

2009 Ministerio de Cultura

LIBER VNDECIMVS

ELEMENTORVM,

Solidorum verò primus.

DEFINITIONES 19.

1. SOlidum eſt, quod longitudinem; latitudinem, & craſſitudinem habet.

2. Solidi terminus eſt ſuperficies.

3. Recta linea ad planum recta eſt, quando ad omnes rectas lineas, quæ ipſam contingunt, & in ſubiecto ſunt plano, rectos angulos efficit. *Vide Scholium.*

4. Planum ad planum rectum eſt, quando communi planorum ſectioni ad rectos angulos ductæ rectæ lineæ in vno plano, alteri plano ad rectos angulos fuerint.

5. Rectæ lineæ ad planum inclinatio eſt, quando à ſublimi termino lineæ ad planum perpendiculari acta, à puncto facto ad terminum lineæ, qui eſt in plano, recta linea ducta fuerit, angulus acutus, qui ducta linea & ſtante continetur.

6. Plani ad planum inclinatio eſt angulus acutus rectis lineis contentus, quæ ad rectos angulos communi planorum ſectioni ad vnum ipſius punctum in vtroque planorum ducuntur.

7. Planum ad planum ſimiliter inclinari dicitur, & alterum ad alterum, quando dicti inclinationum anguli inter ſe fuerint æquales.

8. Plana parallela ſunt, quæ inter ſe non conueniunt.

9. & 10. Similes *& æquales* ſolidæ figuræ ſunt, quæ ſimilibus planis multitudine *& magnitudine* æqualibus continentur.

11. Solidus angulus eſt plurium, quàm duarum linearum, quæ ſe ſe contingant, & non in eadem ſint ſuperficie, ad omnes lineas inclinatio; *vel*, Solidus angulus eſt, qui pluribus, quàm duobus planis angulis comprehenditur, non exiſtentibus in eodem plano, & ad vnum punctum conſtitutis. *Vide Scholium.*

12. Pyramis eſt figura ſolida planis comprehenſa, quæ ab vno plano ad vnum punctum conſtituitur.

13. Prisma est figura solida planis comprehensa, quorum duo, quæ opponuntur æqualia, & similia & parallela sunt: reliqua verò parallelogramma.

14. Sphæra est figura comprehensa, quando circa manentem diametrum semicirculus conuersus restituitur rursus in eumdem locum, à quo moueri cœpit.

15. Axis sphæræ est recta linea manens, circa quam semicirculus conuertitur.

16. Centrum sphæræ est idem, quod & semicirculi centrum.

17. Diameter sphæræ est recta linea quædam per centrum ducta, & ex vtraque parte à superficie sphæræ terminata.

18. Conus est comprehensa figura, quando orthogonij trianguli manente vno latere eorum, quæ circa rectum angulum sunt, triangulum conuertitur, quoad rursus in eumdem restituatur locum, à quo moueri cœpit. Et si quidem manens recta linæa æqualis fuerit reliquo lateri, quod circa rectum angulum conuertitur, conus orthogonius erit: si verò minor, amblygonius: & si maior, oxygonius.

19. Axis coni est recta linea manens, circa quam triangulum conuertitur.

20. Basis verò, circulus à conuersa recta linea descriptus. *Vide Scholium, & alias definitiones conorum in Apollonio, & Seremo nostro.*

21. Cylindrus est comprehensa figura, quando orthogonij parallelogrammi manente vno latere eorum, quæ circa rectum angulum sunt, parallelogrammum conuertitur, quousque rursus restituatur in eumdemque locum, à quo moueri cœpit.

22. Axis cylindri est manens recta linea, circa quam parallelogrammum conuertitur.

23. Bases autem, circuli, qui à duobus è regione lateribus conuersi describuntur. *Vide Serenum.*

24. Similes coni, & cylindri sunt, quorum & axes, & basium diametri eamdem inter se proportionem habent.

25. Cubus est figura solida, sex æqualibus quadratis contenta.

26. Tetraëdrum est figura solida quatuor triangulis æqualibus & æquilateris comprehensa.

27. Octaëdrum est figura solida octo triangulis æqualibus, & æquilateris comprehensa.

28. Dodecaëdrum est figura solida, quæ duodecim pentagonis æqualibus, & æquilateris, & æquiangulis continetur.

© Ministerio de Cultura

29. Icosaëdrum est figura solida, quæ viginti triangulis æqualibus, & æquilateris comprehenditur.

His autem tres sequentes definitiones Candalla subiungit.

30. Solidum parallelepipedum est figura solida sub quadrangulis planis, quorum quæ ex opposito sunt parallela comprehensa.

31. Figura solida in figura solida inscribi dicitur, quando inscriptæ figuræ anguli simul angulos, aut simul superficies, vel simul latera circumscriptæ tangunt.

32. Figura solida figuræ solidæ circumscribi dicitur, quando circumscriptæ figuræ anguli simul, latera simul, aut superficies simul angulos inscriptæ tangunt. *Vide monitum Candallæ.*

Propositiones quadraginta.

1. REctæ lineæ pars quædam non est in subiecto plano, quædam verò in sublimi. *Vide Scholium.*

✠ 2. Si duæ rectæ lineæ se inuicem secent, in vno sunt plano, & omne triangulum in vno plano consistit. *Vide Scholium.*

✠ 3. Si duo plana se inuicem secent, communis ipsorum sectio recta linea erit.

✠ 4. Si recta linea duabus rectis lineis se inuicem secantibus in communi sectione ad rectos angulos insistat, etiam ducto per ipsas plano ad rectos angulos erit.

✠ 5. Si recta linea tribus rectis lineis sese tangentibus in communi sectione ad rectos angulos insistat, tres illæ rectę lineæ in vno plano erunt.

✠ 6. Si duæ rectæ lineæ eidem plano ad rectos angulos fuerint, illæ inter se parallelæ erunt.

✠ 7. Si duæ rectæ lineæ parallelæ sint, sumantur autẽ in vtraque ipsarum quælibet puncta: quæ dicta puncta coniungit recta linea in eodem erit plano, in quo & parallelæ.

✠ 8. Si duæ rectæ lineæ parallelæ sint, altera autem ipsarum plano alicui sit ad rectos angulos: & reliqua eidem plano ad rectos angulos erit.

✠ 9. Quæ eidem rectæ lineæ sunt parallelæ, non existentes in eodem, in quo ipsa plano, etiam inter se parallelæ erunt.

✠ 10. Si duæ rectæ lineæ sese contingentes duabus rectis lineis sese contingentibus sint parallelæ, non autem in eodem plano: æquales angulos continebunt. *Vide Scholium.*

11. A dato puncto ſublimi ad ſubiectum planum perpendicularem rectam lineam ducere.

12. Dato plano à puncto, quod in ipſo datum eſt, ad rectos angulos rectam lineam conſtituere.

13. Dato plano à puncto, quod in ipſo eſt, duæ rectæ lineæ ad rectos angulos non conſtituentur ex eadem parte.

14. Ad quæ plana eadem recta linea eſt perpendicularis, ea parallela ſunt. *Vide Scholium.*

15. Si duæ rectæ lineæ ſeſe tangentes duabus rectis lineis ſeſe tangentibus ſint parallelæ, non autem in eodem plano: & quæ per ipſas tranſeunt plana parallela erunt.

16. Si duo plana parallela ab aliquo plano ſecentur, communes ipſorum ſectiones parallelæ erunt.

✠ 17. Si duæ rectæ lineæ à parallelis ſecentur planis, in eaſdem proportiones ſecabuntur.

18. Si recta linea plano alicui ſit ad rectos angulos, & omnia quæ per ipſam tranſeunt plana eidem plano ad rectos angulos erunt.

19. Si duo plana ſe inuicem ſecantia plano alicui ſunt ad rectos angulos, & communis ipſorum ſectio eidem plano ad rectos angulos erit.

✠ 20. Si ſolidus angulus tribus angulis planis contineatur, duo quilibet reliquo maiores ſunt, quomodocumque ſumpti.

✠ 21. Omnis ſolidus angulus minoribus quàm quatuor rectis angulis planis continetur.

22. Si ſint tres anguli plani, quorum duo reliquo ſint maiores, quomodocumque ſumpti, contineant autem ipſos rectæ lineæ æquales, fieri poteſt, vt ex iis quæ rectas æquales coniungunt triangulum conſtituatur.

23. Ex tribus angulis planis, quorum duo reliquo ſint maiores, quomodocumque ſumpti, ſolidum angulum conſtituere. Oportet autem tres angulos quatuor rectis eſſe minores. *Vide Lemmata, & tres propoſitiones Scholij.*

✠ 24. Si ſolidum parallelis planis contineatur, oppoſita ipſius plana & æqualia & parallelogramma erunt. *Vide quatuor Corol. Candallæ.*

✠ 25. Si ſolidum parallelepipedum plano ſecetur oppoſitis planis parallelo, erit vt baſis ad baſim, ita ſolidum ad ſolidum.

26. Ad datam rectam lineam, & ad datum in ipſa punctum dato angulo ſolido æqualem angulum ſolidum conſtituere.

27. A data recta linea dato ſolido parallelepipedo ſimile & ſimiliter poſitum ſolidum parallelepipedum deſcribere.

✠ 28. Si ſolidum parallelepipedum plano ſecetur per diagonales op-

Ministerio de Cultura

positorum planorum, ab ipso plano bifariam secabitur.

✠ 29. & 30. Solida parallelepipeda, quæ in eadem sunt basi, & eadem altitudine, siue eorum stantes sint in eisdem rectis lineis *siue non*, inter se sunt æqualia.

✠ 31. Solida parallelepipeda, quæ in æqualibus sunt basibus, & eadem altitudine, inter se sunt æqualia. *Vide Coroll. Candallæ.*

✠ 32. Solida parallelepipeda, quæ eamdem habent altitudinem, inter se sunt vt bases.

✠ 33. Similia solida parallelepipeda inter se sunt in tripla proportione homologorum laterum, *Vide Coroll. Command. & Candal.*

✠ 34. Æqualium solidorum parallelepipedorum bases ex contraria parte altitudinibus respondetur; & quorum solidorum parallelepipedorum bases ex contraria parte altitudinibus respondent, ea inter se sunt æqualia. *Vide Coroll.*

✠ 35. Si sint duo anguli plani æquales, & in verticibus ipsorũ sublimes rectæ lineæ constituantur, quæ cum rectis lineis à principio positis angulos contineant æquales, alterum alteri: in sublimibus autem sumantur quæuis puncta, atque ab ipsis ad plana in quibus sunt anguli primi perpendiculares ducantur: & à punctis, quæ à perpendicularibus fiunt in planis ad primos angulos iungantur rectæ lineæ: cum sublimibus æquales angulos continebunt. *Vide Coroll. Command. & Candal.*

✠ 36. Si tres rectæ lineæ proportionales sint, solidum parallelepipedum quod à tribus fit, æquale est solido parallelepipedo, quod fit à media, æquilatero quidem, æquiangulo autem antedicto.

✠ 37. Si quatuor rectæ lineæ proportionales sint, & quæ ab ipsis fiunt solida parallelepipeda similia, & similiter descripta proportionalia erunt. Et si quæ ab ipsis fiunt solida parallelpipeda similia & similiter descripta proportionalia sint: & ipsæ rectæ lineæ proportionales erunt.

✠ 38. Si planum ad planum rectum sit, & ab aliquo puncto eorum, quæ sunt in vno plano ad alterum planum perpendicularis ducatur, ea in communem planorum sectionem cadet.

✠ 39. Si in solido parallelepipedo oppositorum planorum latera secentur bifariam, per sectiones verò plana ducantur, communis planorum sectio, & solidi parallelepipedi diameter sese bifariam secabunt. *Vide Coroll. Cand.*

✠ 40. Si sint duo prismata æquealta, quorum vnum quidem basim habeat parallelogrammum; alterum verò triangulum, & parallelogrammũ duplum sit trianguli: ea inter se æqualia erunt. *Vide Cor. Cand.*

LIBER DVODECIMVS.

ET SOLIDORVM SECVNDVS.

PROPOSITIONES.

✠ 1. SIMILIA polygona, quæ in circulis describuntur: inter se sunt vt diametrorum quadrata.

2. Circuli inter se sunt vt diametrorum quadrata. *Vide Lemma & Scholium Comm. & duo coroll. Candal.*

3. Omnis pyramis triangularem habens basim diuiditur in duas pyramides æquales, & similes inter se, quæ triangulares bases habent-simileſque toti: & duo prismata æqualia, quæ quidem prismata dimidio totius pyramidis sunt maiora.

✠ 4. Si sint duæ pyramides æquealtæ, quæ triangulares bases habeant, diuidatur autem vtraque ipsarum, & in duas pyramides æquales inter se, simileſque toti, & in duo prismata æqualia, & factarum pyramidum vtraque eodem modo diuidatur, atque hoc semper fiat: erit vt vnius pyramidis basis ad basim alterius, ita & in vna pyramide prismata omnia ad prismata omnia in altera pyramide, altitudine æqualia *Vide Lemma.*

✠ 6. & 7. Pyramides quæ in eadem altitudine, & triangulares, *vel multiangulas* bases habent, inter se sunt vt bases.

✠ 7. Omne prisma triangularem habent basim diuiditur in tres pyramides ęquales inter se, quę triangulares bases habent. *Vide* 5. *coroll. Candal.*

✠ 8. Similes pyramides, quę triangulares, *vel multiangulas* bases habent, in tripla sunt proportione homologorum laterum. *Vide duo corol. & 1 heoremata.*

✠ 9. Æqualium pyramidum, & triangulares bases habentium bases ex contraria parte altitudinibus respondent: & quarum pyramidum triangulares bases habentium bases ex contraria parte altitudinibus respondeat, illę sunt ęquales. *Vide Coroll. Cand.*

✠ 10. Omnis conus tertia pars est cylindri, qui eamdem basim habet & altitudinem ęqualem. *Vide Corollarium.*

✠ 11. Coni & cylindri, qui eamdem habent altitudinem, inter se sunt vt bases.

2009 Ministerio de Cultura

✠ 12. Similes coni & cylindri inter se sunt in tripla proportione diametrorum, quæ sunt in basibus.

✠ 13. Si cylindrus plano secetur oppositis planis parallelo, erit vt cylindrus ad cylindrum, ita axis ad axem.

✠ 14. In æqualibus basibus existentes coni, & cylindri inter se sunt vt altitudines.

✠ 15. Æqualium conorum, & cylindrorum bases ex contraria parte altitudinibus respondent, & quorum conorum & cylindrorum bases ex contraria parte altitudinibus respondent, illi inter se sunt æquales. *Vide Coroll. Candal.*

✠ 16. Duobus circulis circa idem centrum existentibus in maiori polygonum æqualium, & numero parium laterum describere, quod minotem circulum non tangat. *Vide Lemma, & quatuor Corol. Candal.*

17. Duabus sphæris circa idem centrum existentibus in maiori solidum polyhedrum describere, quod minoris sphæræ superficiem non tangat. *Vide Coroll.*

✠ 18. Sphæræ sunt inter se in tripla proportione suarum diametrorum. *Vide Coroll. Candallæ qui sequentem 19. propositionem addit. Si sphæra planum tangat, à centro in contactum demissa, peprendicularis erit plano.*

LIBER DECIMVS-TERTIVS

SOLIDORVM TERTIVS,

& corporum regularium primus.

Propositiones octodecim.

1. SI recta linea extrema, ac media ratione secta fuerit, maior portio assumens dimidiam totius, quintuplum potest eius, quod à dimidia fit, quadrati. *Vide Scholium vtilissimũ, & duas propositiones, & Corol. Candal. quo ait maius segmentum cum dimidia possit sesquiquartum totius.*

2. Si recta linea partis ipsius quintuplum possit, dupla dictæ partis extrema, ac media ratione secta, maior portio reliqua pars est eius, quæ à principio rectæ lineæ. *Vide Scholium.*

3. Si recta linea extrema, ac media ratione secta fuerit, portio mi-

nor assumens dimidiam maioris portionis, quintuplum potest eius, quod à dimidia maioris portionis fit, quadrati. *Vide Scholium.*

4. Si recta linea extrema, ac media ratione secta fuerit, totius & minoris portionis vtraque quadrata tripla sunt quadrati eius, quod à maiori fit portione. *Vide Scholium.*

5. Si recta linea extrema, ac media ratione secetur, adiiciaturque ipsi æqualis maiori portioni: erit tota linea extrema, ac media ratione secta, & maior portio erit ea, quæ à principio posita est recta linea. *Vide Scholium & theorema; huic duas sequentes Maurolycus subiunxit.*

Si recta linea extrema, & media ratione secetur, apponaturque ei æqualis minori segmento: tota quintuplum poterit eius, quod à maiori segmeuto, quadrati. *Deinde.* Si duæ rectæ lineæ extremâ, singulæ & media ratione secentur, totæ ad maiora segmenta eandem habebunt rationem: item totæ ad minora eandem. Item segmenta segmentis proportionalia erunt.

6. Si recta linea rationalis extrema, ac media ratione secta fuerit, vtraque portio irrationalis est, quæ apotome appellatur. *Vide duas propositiones Command. & duo coroll. Candal.*

✠ 7. Si pentagoni æquilateri tres anguli siue continuati, siue non continuati fuerint æquales, æquiangulum erit pentagonum.

✠ 8. Si pentagoni æquilateri, & æquianguli duos continuatos angulos subtendant rectæ lineæ, extrema, ac media ratione se mutuò secant, & maiores ipsarum portiones pentagoni lateri sunt æquales.

✠ 9. Si hexagoni, & decagoni latera in circulo descripta componantur, erit tota recta linea extrema, ac media ratione secta, & maior ipsius portio erit hexagoni latus. *Vide tres propositiones.*

✠ 10. Si in circulo pentagonum æquilaterum describatur, latus pentagoni potest, & hexagoni & decagoni latus in eodem circulo descriptorum. *Vide Coroll. Candal.*

✠ 11. Si in circulo rationalem diametrum habente pentagonum æquilaterum describatur, pentagoni latus est linea irrationalis, quæ minor appellatur.

12. Si in circulo triangulum æquilaterum describatur, trianguli latus potentia triplum est eius, quæ ex circuli centro. *Vide quatuor vtilia corollaria Candallæ.*

13. Pyramidem constituere, & sphæra data comprehendere, ac demonstrare sphęrę diametrum potentia sesquialteram esse lateris ipsius pyramidis. *Vide tria corol. Candellæ.*

14. Octaëdrum constituere, & sphæra comprehendere, qua & pyramidem, demonstraréque sphęrę diametrum potentia duplam esse lateris

teris octaëdri. *Vide tria coroll. Candallæ.*

15. Cubum constituere, & sphæra comprehendere, qua & priores: demonstraréque sphæræ diametrum lateris cubi potentia triplam esse. *Vide duo coroll.* Candallæ.

16. Icosaëdrum constituere, & sphæra comprehendere, qua & prædictas figuras: demonstraréque icosaëdri latus irrationalem esse lineam, quæ minor appellatur. *Vide* Coroll.

17. Dodecaëdrum constituere, & sphæra comprehendere, qua & prædictas figuras: demonstrareque dodecaëdri latus esse irrationalem lineam, quæ apotome appellatur. *Vide corollar.* Command. *& quatuor* Coroll. Cand.

18. Latera quinque figurarum exponere, & inter se comparare. *Videatur Maurolycus, qui tabulis quibusdam explicat quot partium sint latera figurarum æquilaterarum circulo inscriptarum, cuius diameter sit.* 12. *partium. Vide duo* Coroll. Candal. *& monitum.*

LIBER DECIMVS-QVARTVS, ET SOLIDORVM QVARTVS, & corporum regularium secundus.

LIBER hic primus de quinque corporibus regularibus Hypsicli Alexandrino tribuitur, qui eum Protarcho familiari suo dedicat. Meminit etiam Apollonij, à quo librum de Dodecaëdri, & icosaëdri in eadem sphæra descriptorum comparatione scriptum esse docet, quo tamen caremus, quamuis tunc in omnium manibus versaretur.

Propositiones septem.

I. QVæ à centro circuli alicuius ad pentagoni latus in eodem circulo descripti, perpendicularis ducitur, dimidia est vtriusque & hexagoni lateris, & decagoni, quæ in eodem circulo deseri-

buntur. *Vide Coroll. Candal.*

2. Idem circulus comprehendit dodecaëdri pentagonum, & icosaëdri triangulum in eadem sphæra descriptorum. *Videantur Coroll.*

3. Si fuerit pentagonum æquilaterum, & æquiangulum, & circa ipsum circulus: à centro autem ad vnum latus perpendicularis ducta fuerit: quod tricies vno latere, & perpendiculari continetur, superficiei dodecaëdri est æquale. *Vide Coroll.*

4. Hoc probato demonstrandum erit, vt dodecaëdri superficies ad superficiem icosaëdri, ita esse latus cubi ad icosaëdri latus.

5. Ostendendum est, & qualibet recta linea extrema, ac media ratione secta, quam proportionem habet potens quadratum totius & quadratum maioris portionis ad eam, quæ potest quadratum totius & minoris portionis, eamdem habere cubi latus ad latus icosaëdri.

6. Ostendendum nunc est vt latus cubi icosaëdri latus, ita esse dodecaëdri solidum ad solidum icosaëdri.

7. At verò duas rectas lineas, si extrema, ac media ratione sectæ fuerint, in subiecta esse analogia demonstratur. *Vide Corol. Quibus nouas Maurolyci propositiones subiungo.*

8. Trianguli æquilateri latus ad perpendicularem, quæ ab angulo ad basim, potentia sesquitertium est.

9. Si trianguli æquilateri latus fuerit rationale, superficies eius est medialis.

10. Tota superficies pyramidis, vel octaëdri intra sphæram, cuius diameter rationalis est, descripti medialis est.

11. Pyramidis latus ad perpendicularem, quæ à vertice ad basim delabitur, potentia sesquialterum est. *Eadem est cum 13. prop. l. 13.*

12. A sphæræ centro ad basim circumscriptæ pyramidis recta perpendicularis est sexta pars spæricæ diametri.

13. Sphęræ semidiameter ad perpendicularem à centro ad basim octaëdri circumscripti, potentia triplum est. Vnde latus ipsius solidi ad eandem perpendicularem potentia sextuplum erit.

14. Semidiameter sphęrę ad latus octaëdri potentia est vt 3. ad 6: latus autem octaëdri ad semediametrum circuli qui basim octaëdri circumscribet, vt 6. ad 2. in potentia, igitur, per ęquam proportionem, semidiameter sphęræ ad semidiametrum dicti circuli est vt 3. ad 2: sed quadratum semidiametri dicti circuli cum quadrato perpendicularis ęquum est quadrato semidiametri sphæræ, igitur quadratum semidiametri sphæræ ad quadratum perpendicularis triplum: quare latus octaëdri sexcuplum potentialiter ad eamdem. *Eadem est cum 14.*

propoſitione lib. 13.

15. Perpendicularis à centro ſphæræ ad baſim octaëdri potentialiter tripla eſt ad perpendicularem ab eodem centro ad baſim pyramidis in eadem ſphæra locatæ.

16. Perpendicularis à centro ſpęræ ad baſim cubi ab ipſa ſphęra comprehenſi eſt dimidium lateris cubi.

17. Duę perpendiculares, vna à centro ſphæræ ad baſim octaëdri, altera ab eodem centro ab baſim cubi in eadem ſphæra comprehenſorum ſunt æquales.

18. Baſis pyramidis ad baſim octaëdri in eadem ſphæra comprehenſi eſt ſeſquitertia.

19. Tota pyramidis ſuperficies ad totam octaëdri ſuperficiem eſt ſubſeſquialtera.

20. Ratio ſexcupla ſuperpartiens tres quartas dupla eſt ad rationem, quam habet octaëdri ſolidum ad pyramidis ſolidum in eadem ſphęra exiſtentium.

21. Cubi quadratum & octaëdri triangulum ab vna ſphæra comprehenſorum, ab eodem circulo circumſcribuntur.

22. Quod ſub perpendiculari à centro baſis cubi ad latus, & ſub ipſo latere comprehenditur, rectangulum eſt totius cubicæ ſuperficiei pars duodecima.

23. Quod ſub perpendiculari à centro baſis octaëdri ad latus, & ſub ipſo latere comprehenditur, rectangulum eſt totius ſolidi areæ pars duodecima.

24. A centro circuli ad latus trianguli æquilateri in circulo deſcripti perpendicularis dimidium eſt ſemidiametri eiuſdem circuli.

25. Seſquitertia ratio dupla eſt eius, quam habet tota cubi ſuperficies ad totam octaëdri ſuperficiem.

26. Cubica ſuperficies ad octaëdri ſuperficiem eſt ſicut pyramidis latus ad octaëdri latus in eadem ſphæra.

27. Sicut eſt cubi ſuperficies ad octaëdri ſuperficiem, ſic cubi ſolidum ad octaëdri ſolidum in eadem ſphęra.

28. Dupla decemque viceſimas ſeptimas ſuperpartiens ratio eſt ſicut ratio cubicę baſis ad octaëdricam baſim duplicata, ſolidorum in eadem ſphæra locatorum.

29. Seſquitertia ratio dupla eſt eius, quam habet cubica baſis ad pyramidis baſim in eadem ſphęra.

30. Tripla ratio dupla eſt eius, quam habet cubica ſuperficies ad pyramidis ſuperficiem in eadem ſphæra.

31. Cubus triplus eſt ad pyramidem in eadem ſphæra deſcri-

ptam. *Vide calculum istarum figurarum apud Maurolycum.*

32. A centro sphęrę ad basim icosaedri recta perpendicularis maior est quàm perpendicularis ab eodem centro ad basim cubi in eadem sphæra constituti.

33. Maius est icosaedri latus sphæræ, intra quam describitur, semidiametro.

24. Duo quadrata, quæ ex sphæræ diametro, simul sumpta æqualia sunt superficiei cubi in sphæra constructi.

35. Viginti triangula æquilatera maius sunt, quàm octo quadrata super eisdem descripta lateribus.

36. Icosaedri superficies maior est, quàm cubi in eadem sphæra positi superficies.

36. Icosaedrum maius est cubo secum in vna sphæra descripto.

37. Quæ à circuli centro in pentagoni latus in ipso circulo descripti perpendicularis ducitur, dimidia est simul vtriusque & eius, quæ ex centro & lateris decagoni in eodem circulo descripti.

39. Quadrata, quod à latere pentagoni, quodque ex eius angulum subtendente, simul sumpta, quincuplum sunt quadrati, quod ex circuli pentagonum circumscribentis semidiametro.

40. Idem circulus comprehendit dodecaedri quinquangulum & icosaedri triangulum in eadem sphæra descriptorum.

41. Perpendiculares à centro sphæræ ad bases dodecaedri & icosaedri ab ipsa sphæra circumscriptorum sunt æquales.

42. Quod sub perpendiculari à centro basis dodecaedri ad latus, & sub ipso latere comprehenditur, rectangulum est totius superficiei dodecaedricæ pars tricesima.

43. Quod sub perpendiculari à centro basis icosaedri ad latus, & sub ipso latere continetur rectangulum, est totius icosaedricæ superficiei pars tricesima.

44. Dodecaedri superficies ad icosaedri superficiem est sicut cubi latus ad icosaedri latus, in solidis scilicet ab eadem sphæra contentis.

45. Ex drodante diametri in dextantem lineæ angulum pentagoni subtendentis fit æquale pentagono, quod à circulo circumscribitur, rectangulum.

46. Rursum ostendere, quòd sicut cubi latus ad icosaedri latus, sic est dodecaedri superficies ad icosaedri superficiem in eadem sphæra conscriptorum. *Sequens Maurolyci propositio eadem est cum quinta huius.*

47. Dodecaedri solidum ad icosaedri solidum in eadem sphæra est sicut dodecaedri superficies ad icosaedri superficiem. *Hinc constat veritas sextæ huius. Deinde prædictorum quinque solidorum in vna sphæra*

constructorum maximum esse dodecaedrum; icosaëdrum autem maius esse cubo, cubum maiorem octaëdro; octaëdrum maius pyramide. Quem etiam ordinem sequuntur illorum superficies, donec ad octaëdri superficiem deueniatur, quæ est sesquialtera superficiei pyramidis. Denique cuius corpus maximum, & superficies maxima, eiusdem latus est minimum; ac proinde cuius soliditas, & superficies minima, eiusdem latus est maximum: nam magnitudinis laterum ordo conuersus est ad ordinem superficierum, & soliditatum. Videantur quædam aliæ propositiones Candallæ.

LIBER DECIMVS-QVINTVS.

SOLIDORVM QVINTVS, ET CORPORVM regularium tertius.

QVINQVE solùm Euclidis propositiones hocce libro legimus; quibus alias Maurolyci, & Flussatis subiungemus, ne quid huic libello desit.

Propositiones viginti duæ.

1. IN dato cubo pyramis ita inscribetur: protrahe sex basium cubi diametros ad quatuor ex cubi angulis concurrentes; tales diametri erunt sex latera inscriptæ pyramidis.

2. In pyramide octaedrum inscribetur, si diuidantur singula pyramidis latera. *Vide coroll. Candal.*

3. In cubo octaedrum includetur, si coniungantur sex basium cubi centra per duodecim rectas. *Vide coroll. Cand.*

4. In octaedro cubus collocabitur, si octo triangulorum centra per duodecim rectas continuentur.

5. In octaedro pyramis inscribetur, si octaedro cubus, & cubo pyramis includatur. *Vide duo coroll. Candal.*

6. In icosaedro dodecaedrum coaptabitur, si coniungas viginti triangulorum cubi centra per triginta lineas; quibus centris singulis anguli singuli dodecaedri incident.

7. In dodecaedro icosaedrum effingetur, si duodecim pentagonorum centra coniungantur productis triginta chordis: sic enim anguli clausi icosaedri tangent centra basium claudentis dodecaedri.

8. In dodecaedro cubus statuetur, si protrahas singulorum penta-

gonorum ſingulas rectas, quæ pentagoni ſubtendunt angulos. Sic 12 rectæ conflabunt 6 quadrata cubum incluſum conſtruentia.

9. In dodecaedro octaedrum componetur, ſi ſex dodecaedri latera, quorum bina ſunt per diametrum oppoſita, & æquidiſtantia per æqualia diuidantur, & puncta diuiſionum connectantur per duodecim lineas.

10. In dodecaedro pyramis accommodabitur per inſcriptionem cubi in dodecaedro, & pyramidis in cubo.

11. In icoſaedro cubus condetur, ſi icoſaedro dodecaedrum, & dodecaedro cubum inſcribas.

12. In icoſaedro pyramis figurabitur, ſi icoſaedro cubus, cuboque pyramis inſcribatur. *Quæ quidem mutuæ regularium corporum inſcriptiones poſſent eſſe viginti: ſed pyramidi ſolùm conuenit octaëdrum inſcribi: cubo pyramidem, & octaëdrum: octaëdro pyramidem & cubum: icoſaëdro pyramidem, cubum, & dodecaëdrum: denique ſingula dodecaëdro.*

13. In quolibet dictorum ſolidorum ſphæra inſcribi poteſt; ſi à centro ſphæræ ſolidum circumſcribentis ducatur ad vnam baſium ſolidi linea perpendicularis per 11. 11. ad cuius ſpatium ſuper centro ſemicirculus, & ſemicirculo circumducto ſuper diametrum ſphæra deſcribetur, quæ ob æqualitatem perpendicularium tanget ſingulas ſolidi baſes, cui inſcribitur, in illis punctis quæ perpendicularium caſus ſuſcipiunt. *Videatur calculus laterum, & perpendicularium figurarum planarum, & ſolidarum apud Maurolycum. Videantur duo corol. Candallæ ad hanc prop. quæ eſt apud eum 21. Sequuntur aliæ propoſitiones Candallæ, quibus iungentur corollaria.*

14. Propoſito cubo dodecaedrum inſcribere. Dimetiens autem ſphæræ dodecaedrum ambientis bina poteſt latera, ſcilicet dodecaedri, & dodecaedrum ambientis cubi. Cubi verò latus extrema, & media ratione ſectum efficit minus ſegmentum latus dodecaedri ſibi inſcripti. Maius verò ſegmentum latus cubi eidem dodecaedro inſcripti. Denique cubi latus, dodecaedri inſcripti, & circumſcripti lateribus eſt æquale.

15. In dato cubo icoſaedrum deſcribere. Dimetiens verò ſphæræ icoſaedrum ambientis bina poteſt & icoſaedri & ipſum continentis cubi latera. *Videantur tria alia corollaria.*

16. & 17. In dato icoſaedro octaedrum collocare, & in octaedro icoſaedrum. *Videantur duo corol.*

18. & 19. In dato octaedro dodecaedrum; & in data trilatera, & æquilatera pyramide cubum collocare. Quæ verò bifariam ſecat oppoſita pyramidis latera, tripla eſt lateris inſcripti cubi: & per con-

trum transit. Insuper pyramidis latus triplum est ac parallelum dimetientis cubi basis: & duplum potest eius, quæ coniungit opposita eiusdem latera.

20. & 21. In prædicta pyramide icosaedrum & dodecaedrum componere. Dodecaedri autem & cubi in sphæra descriptorum dimetientes dimidiæ sunt eius, quæ à pyramidis angulo in basim demissa fuit. *Sequitur liber 16. quem Candalla quindecim libris elementorum Euclidis subiunxit.*

LIBER DECIMVS-SEXTVS
ELEMENTORVM
Geometricorum.
PROPOSITIONES.

1. DOdecaedrum, sibique inscriptus cubus, ac eidem cubo inscripta pyramis, eadem capiuntur sphærâ. Quæ tria solida similiter eidem insident icosaedro, octaedro, & pyramidi.

2. Dodecaedri circumscripti ad dodecaedrum cubo inscriptum ratio tripla est extremæ, & mediæ rationis.

3. Omnis quinquanguli æquilateri, & æquianguli, quæ ab vno angulorum in basim perpendicularis extrema & media ratione secatur, per rectam angulum eumdem subtendentem. *Vide coroll.*

4. Quæ ab angulis basis pyramidis latera opposita secant extrema & media ratione rectæ, ipsæ comprehendunt basim icosaedri pyramidi inscripti, triangulo æquilatero inscriptam, cuius anguli latera basis pyramidis extrema & media ratione secant. *Vide duo coroll.*

5. Latus pyramidis extrema & media ratione sectum, efficit minus segmentum potentia duplum lateris icosaedri. *Vide Coroll.*

6. Latus cubi dimidium potest lateris sibi inscriptæ pyramidis triangularis æquilateræ.

7. Latus pyramidis duplum est lateris sibi inscripti octaedri.

8. Cubi latus duplum potest lateris sibi inscripti octaedri.

9. Dodecaedri latus, maius segmentum est, eius quæ dimidium potest lateris sibi inscriptæ pyramidis.

10. Latus icosaedri media est proportionalis inter latus cubi icosaedro circumscripti, & dodecaedri eidem cubo inscripti.

11. Latus pyramidis octodecuplum potest lateris sibi inscripti cubi.

12. Latus pyramidis octodecuplum potest eius rectæ, cuius dodecaedri latus pyramidi inscripti, fit maius segmentum.

13. Minoris segmenti lateris octaedri duplum potest latus sibi inscripti icosaedri.

14. Octaedri & sibi inscripti cubi latera quadruplam sesquialteram rationem potentia habent.

15. Octaedri latus quadruplum sesquialterum potest rectæ, cuius dodecaedri ipsi octaedro inscripti latus erit maius segmentum.

16. Icosaedri latus est maius segmentum, eius quæ duplum potest lateris octaedri ipsi icosaedro inscripti.

17. Cubi latus ad sibi inscripti dodecaedri latus, rationem habet extremæ & mediæ rationalis duplam.

18. Dodecaedri ad sibi inscripti cubi latus, rationem habet mediæ ac extremæ conuersam.

19. Latus octaedri sesquialterum est lateris sibi inscriptæ pyramidis.

20. Si ab icosaedri dimetientis potentia, tripla auferatur lateris sibi inscripti cubi potentia, reliqua sesquitertia erit potentiæ lateris ipsius icosaedri. *Vide Coroll.*

21. Dodecaedri latus minus segmentum est eius quæ duplum potest lateris octaedri eidem dodecaedro inscripti.

22. Dimetiens icosaedri potest & sui ipsius lateris sesquitertium, & lateri is icosaedro inscriptæ pyramidis sesquialterum.

23. Dodecaedri latus ad icosaedri sibi inscripti latus se habet vt minus segmentum perpendicularis pentagoni ad eam quæ ex centro in latus eiusdem pentagoni.

24. Si lateris icosaedri dimidia extrema & media ratione secta fuerit, minusque segmentum eius à toto latere tollatur, reliquæ verò tertia pars rursus auferatur, quæ supereſt, æqualis erit lateri dodecaedri ipsi icosaedro inscripti.

25. Datum cubum sibi inscriptæ ttrilateræ æquilateræ pyramidis triplum esse demonstrare.

26. Pyramidem præcedentem sibi inscripti octaedri duplam, & octaedrum pyramidis quæ super basi & vertice continetur, quadruplum esse ostendere.

27. & 28. Cubum sibi inscripti octaedri sextuplum: & octaedrum sibi inscripti cubi quadruplum sesquialterum esse patefacere. Hæc autem rationem, quam latera potentia, habent.

29. 30. Octaedrum sibi inscriptæ trilateræ æquilateræ pyramidis tre-

tredecuplum ſeſquialterum: hanc autem cubi ſibi inſcripti non cuplam eſſe demonſtrare.

31. Octaedrum ad ſibi inſcriptum icoſaedrum eam ſeruat, quam binę octaedri baſes ad quinque icoſaedri rationem.

32. Icoſaedri ſolidi ad ſibi inſcriptum dodecaedri ſolidum ratio conſtat ex ratione lateris icoſaedri ad latus cubi eadem ſphæra comprehenſi, & ratione tripla dimetientis, ad eam quæ coniungit oppoſitarum icoſaedri baſium centra.

33. Dodecaedri ſolidum excedit cubi ſibi inſcripti ſolidum, parallelepipedo ſolido, quod ſuper eiuſdem cubi baſi, vertice verò cubi lateris maiori & dimidio minoris ſegmentis conſtituitur. *Vide Corollarium.*

34. Dodecaedri ad ſibi inſcriptum icoſaedri ſolidum ratio conſtat ex tripla ratione dimetientis ad eam quæ coniungit oppoſitarum dodecaedri baſium centra, & ratione lateris cubi ad latus icoſaedri, eidem ſphæræ inſcriptorum.

35. Dodecaedri ſolidum pyramidis ſibi circumſcriptæ ſolidi bipartitur nonas, dempto vnius nonæ (extremâ & mediâ ratione ſectæ, dimidio minoris ſegmenti.

36. Octaedrum excedit ſibi inſcriptum icoſaedrum ſolido parallelepipedo quod ſuper potentia lateris icoſaedri, vertice autem ea quæ ſemidimetientis octaedri eſt maius ſegmentum. *Vide Corol.*

37. Si trianguli certam propoſitam baſim habentis latera baſi potentiâ commenſurabilia fuerint, à vertice autem demiſſa perpendicularis baſim ſecuerit, ſectiones toti baſi longitudine, perpendicularis verò potentiâ commenſurabiles erunt. *Vide Coroll.* 2.

38. Si propoſita recta aſſumat maius, & dimidiæ minus ſegmenta, totius autem ſuſcipiatur maius maiori ſegmenti, cubus ad ſibi inſcriptum dodecaedrum habet rationem quam propoſita ad idem minus ſegmentum.

39. Si propoſita recta aſſumat maius, & dimidium minoris ſegmenta, tota recta ad tertium propoſitæ ſe habet, vt dodecaedri ſolidum ad ſibi inſcriptæ pyramidis ſolidum.

40. Si dodecaedri dimetiens totam & minus ſegmentum poſſit, quod ſuper totius dimidia potentia, vertice verò eiuſdem totius tertio comprehenſum ſolidum, æquale erit octaedro eidem dodecaedro inſcripto. *Vide Corol. & lemma.*

41. Si dimetiens icoſaedri totam & maius ſegmentum poſſit, ab ea autem tota tertium minoris ſegmenti tollatur, quod ex reliquæ mediâ & extremâ ratione ſectæ maiori ſegmento ſolidum rectangu-

lum, æquale erit cubo eidem icosaedro inscripto.

42. Si dimetiens icosaedri totam & maius segmentum possit, quod super totius dimidia potentia, vertice autem eiusdem tertio comprehensum solidum æquale erit octaedro eidem icosaedro inscripto.

43. Si dimetiens icosaedri totam & maius segmentum possit, à totius autem maiori segmento dimidium sui minoris tollatur, quod super requilæ quadrato, vertice verò eiusdem tertio comprehensum solidum æquale erit pyramidi eidem, icosaedro inscriptæ.

44. Pyramis ad sibi inscriptum dodecaedrum rationem habet quam nouem ad vnam, cum maiori & dimidio minoris eius segmentis, magnitudines.

45. Si à lateris cubi potentia tollatur tertium potentiæ sui maioris segmenti, quod sub vertice quintupartiente sextas eius quæ reliquum potest, & super triangulo quod ex dupla eiusdem maioris segmenti solidum æquale erit icosaedro eidem cubo inscripto.

46. Octaedri solidum ad sibi inscripti dodecaedri solidum se habet, vt quadratum lateris octaedri, ad quod sub tertio dimetientis, & ea quæ idem tertium excedit sui ipsius maiori, & dimido minoris segmentis comprehenditur rectangulum.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS,

SOLIDORVM VERO REGVlarium compositorum primus.

DEFINITIONES 2.

1. EXoctaedron est figura solida æquilatera, & æquiangula, sex æqualibus quadratis, & octotriangulis æqualibus & æquilateris comprehensa.

2. Icosidodecaedron est figura solida, æquilatera & æquiangula, duodecim quinquangulis æquilateris, æqualibus, & æquiangulis, & viginti triangulis, æqualibus & æquilateris comprehensa.

Propositiones viginti-octo.

1. EXoctaedron æquilaterum & æquiangulum constructuere, & data sphæra comprehendere, & ostendere dimetientem lateris duplam esse. *Videantur quatuor Coroll.*

2. Icosidodecaedron æquilaterum & æquiangulum constructuere, & datâ sphærâ comprehendere, ostendereque dimetientem extrema & media ratione sectam efficere maius segmentum, duplum lateris icosidodecaedri. *Vide duo Coroll.*

3. Idem describitur icosidodecaedron ablatis icosaedri solidis angulis, quod à dodecaedro persimiles laterum sectiones. *Vide Coroll.*

4. Pyramidi trilateræ & æquilaterę exoctaedron inscribere.

Propositiones à 5. ad 25. In dato octaedro; & cubo exoctaedrum; in icosaedro; & docaedro exoctaedron: In exoctaedro pyramidem trilateram, & æquilateram: octaedron: cubum: & icosaedron. In icosaedro: trilatera, & æquilatera pyramide: octaedro: & cubo, icosidodecaedron. In exoctaedro dodecaedron; in hoc icosidodecaedro dodecaedron cubum: pyramidem trilateram æquilateram, octaedron, icosaedron, & exoctaedron: & in exoctaedro icosidodecaedrum inscribere. *Vide* 15. *Coroll.*

26. Icosidodecaedri & exoctaedri bases, & latera opposita parallela ad inuicem esse demonstrare.

27. Icosidodecaedrum secari bifariam 6. decagonis æquilateris, & æquiangulis vnde duodecim pyramidibus quinquangulis, & 20. pyram. triangulis æquis, & similibus componitur.

28. Exoctaedron quatuor hexagonis æquilateris, & æquiangulis bifariam secatur. *Vide Coroll.*

2009 Ministerio de Cultura

LIBER DECIMVS-OCTAVVS.

SOLIDORVM VERÓ REGVlarium compositorum. secundus.

PROPOSITIONES 45.

1. OCtaedri latus sibi inscripti exoctaedri lateris duplum est.
2. Pyramidis trilateræ, & æquilateræ latus, lateris sibi inscripti exoctaedri quadruplum est.
3. Cubi latus, duplum potest lateris sibi inscripti exoctaedri.
4. Si icosaedri maius segmentum secetur in totam & minus, latus icosaedri assumens idem minus, duplum potest lateris sibi inscripti exoctaedri.
5. Dodecaedri latus ad exoctaedri sibi inscripti latus est sicut maius segmentum rectæ extremâ ac mediâ ratione sectæ, ad eam quæ potest dimidium totius.
6. Exoctaedri latus sibi inscriptæ trilatèræ æquilateræ pyramidis lateris tripartitur quartas.
7. Latus exoctaedri lateri sibi inscripti octaedri est æquale.
8. Exoctaedri latus lateris sibi inscripti cubi sesquioctauum potest.
9. Latus exoctaedri ad latus sibi inscripti icosaedri rationem habet quam recta potens dimidium rectæ extremâ, & mediâ ratione sectæ ad maius segmentum totius.
10. Exoctaedri latus ad dodecaedri sibi inscripti latus se habet vt potens dimidium rectæ extrema, & media ratione sectæ ad minus eius segmentum.
11. Pyramidis lateris extremâ, & mediâ ratione secti minus segmentum octuplum est lateris sibi inscripti icosidodecaedri potentia.
12. Octaedri latus extrema & media ratione sectum efficit minus segmentum, duplum potentia lateris sibi inscripti icosidodecaedri. *Vide Coroll.*
13. Lateris cubi dimidia extrema & media ratione secta, efficit maius segmentum latus icosidodecaedri, eidem cubo inscripti.
14. Icosaedri latus, lateris sibi inscripti icosidodecaedri duplum est.

009 Ministerio de Cultura

15. Dodecaedri latus, icosidodecaedri sibi inscripti lateris extrema & media ratione secti, maioris segmenti duplum est. *Vide Coroll.*

17. Dodecaedri dimetiens quatuor planis orthogoniũs secatur, ad vtrasque centri partes, extrema & media ratione iungentibus. *Vide Coroll. 2.*

17. Icosidodecaedri latus ad dodecaedri sibi inscripti latus rationem habet, quam tota & maius, ad totam, maius & tertiam minoris segmenti, eiusdem totius.

18. Icosidodecaedri latus deficit à latere sibi inscripti icosaedri, dimidio maioris segmenti lateris icosaedri.

19. Icosidodecaedri latus sectũ in totam & maius deficit à latere sibi inscripti cubi, minoris eius segmento, & insuper tertia parte minoris segmenti prædictæ totius.

20. Latus icosidodecaedri assumens maius eius segmentum dimidium potest lateris sibi inscripti octaedri.

21. Icosidodecaedri lateris maioris segmento, extrema & media ratione secto, tertium minoris eius segmenti, est excessus, quo totum latus deficit à maiori segmento eius, quæ dimidium potest lateris icosidod. inscriptæ pyramidis.

22. Latus icosidod. dimidium potest lateris sibi inscripti exoctaedri. *Vide Coroll.*

23. Latus exoctaedri duplum potest eius, cuius latus sibi inscripti icosidodecaedri est maius segmentum.

24. Cubus sibi inscripti exoctaedri sesquiquintum est.

25. Octaedron sibi inscripti exoctaedri supertripartiens quintas est.

26. Trilatera æquilatera pyramis sibi inscripti exoctaedri tripla sesquiquinta est.

27. Dodecaedri solidum excedit exoctaedri sibi inscripti solidum parallelepipedo solido, quod super basi cubi dodecaedro inscripti, vertice autem maiore segmento, dimidio minoris segmenti, & sexta parte lateris cubi. *Vide Corollarium.*

28. Icosaedri solidum ad sibi inscripti exoctaedri solidum, rationem habet, quam solidum parallelepipedum, constitutum super eo, quod sub trianguli icosaedri latere, & dupla suæ perpendicularis, vertice verò superpartiente tertias eius quæ à centro in basim icosaedri perpendicularis continetur, ad solidum parallelepipedum super quadrato lateris sumentis minus segmentum sui maioris, & in totam, & minus secti, vertice autem quintuparriente sextas totius comprehensum. *Vide Coroll.*

29. Exoctaedri ſolidum ad ſibi inſcriptæ trilateræ æquil. pyramidis ſolidum rationem habet octuplam ſuperſeptupartientem decimas ſextas.

30. Ex octaedrum ad ſibi inſcriptum octaedrum, rationem habet quintuplam.

31. Exoctaedri ſolidum ad ſibi inſcripti cubi ſolidum rationem habet duplam ſupertredecupartientem decimas ſextas.

32. Si propoſita recta aſſumat ſui maius, & dimidia minus ſegmenta, totius autem ſuſcipiatur minus maioris ſegmenti, exoctaedrum ad ſibi inſcriptum dodecaedrum habebit rationem, quam propoſitæ quinqueſextæ, ad idem minus ſegmentum.

33. Exoctaedrum ad icoſaedrum ſibi inſcriptum, ſe habet ſicut ſolidum parallelepipedum ſuper quadrato lateris icoſaedri, cum maiori eius ſegmento, vertice autem quintupartiente ſextas totius comprehenſum, ad ſolidum parallelepipedum ſuper eo quod ſub icoſaedri eodem latere, & tripla ſibi potentia, vertice autem quintupartiente ſextas iungentis oppoſitarum eiuſdem baſium centra.

34. Dodecaedron excedit ſibi inſcriptum icoſidodecaedron, ſolido priſmate, cuius baſis eſt æquilaterum triangulum, ſuper binis eorum lateribus deſcriptum, vertex autem minoris ſegmenti dimetientis dodecaedri duo nona. *Vide duo Coroll.*

35. Icoſaedri ſolidum excedit ſibi inſcripti icoſidodecaedri ſolidum, ſolido ſuper eiuſdem pentagona baſi, vertice verò iungentis eiuſdem, & oppoſitæ baſis centra, dupla minoris ſegmenti conſtituto, *Vide duo Coroll.*

36. Octaedri ſolidum excedit ſibi inſcripti icoſidodecaedri ſolidum ſolidis, quæ ſuper quadrato duplæ lateris icoſidodecaedri, vertice verò ea, quæ ex eiuſdem centro, & ſuper pentagono ſui eiuſdem lateris, vertice autem binis minoribus ſegmentis, iungentis oppoſitorum pentagonorum centra conſtituuntur.

37. Si cubi dodecaedro inſcripti latus, aſſumat maius, & dimidiæ minus ſegmenta: totius autem ſuſcipiatur minus maioris ſegmentum, cubus dodecaedro circumſcriptus excedet ſibi inſcriptum icoſidodecaedrum, ſolido quod ſuper baſi cubi inſcripti, vertice verò ea qua latus eiuſdem cubi excedit idem minus maioris ſegmentum, & inſuper priſmate ſuper triangulo lateris eiuſdem cubi, vertice autem quintupartiente decimas octauas maioris ſegmenti dimetientis dodecaedri, conſtituto.

38. Pyramis trilatera æquilatera icoſidodecaedri ſibi inſcripti ſuperat duplam, ſolido parallelepipedo, ſuper quadrato dupli ſui lateris,

Ministerio de Cultura

vertice autem dimetiente comprehenſo, & ſolido ſuper pentagono eiuſdem dupli lateris, vertice verò maiori ſegmento eius, quæ à pentagoni centro, conſtituto.

39. Si recta iungentis oppoſitorum icoſidodecaedri pentagonorum centra, dupla fuerit, ad aliam autem fit vt dimidia ad maius, & idem aliam, vt dimidia ad maius; maxima autem ad aliam ſit tripla in ratione totius ad duo tertia, & maius ſegmentum: quod ſub reliquæ vertice, & pentagona baſi ſolidum, æquale erit dodecaedro, icoſidodecaedro inſcripto.

40. Si à iungente oppoſitorum icoſidodecaedri triangulorum centra, tollatur ſexta pars: à reliqua verò auferatur tripla rationis totius & minoris ſegmenti ad totam, quod ſub reliquæ vertice, & ſuper triangulo, quod ex quadrupla lateris icoſidodecaedri, ſolidum, æquale erit icoſaedro eidem icoſidodecaedro inſcripto.

41. Si iungens oppoſitorum icoſidodecaedri quinquangulorum centra aliquam tertio minoris ſegmenti ſuperet, eamdem autem excedat alia quarto minoris ſegmenti, quod ſub excedentis vertice, & ſuper pentagono eius, quæ proximorum icoſidodecaedri triangulorum centra iungit, ſolidum, æquale erit cubo eidem icoſidodecaedro inſcripto.

42. Octaedri ſolidum æquale eſt ſolido parallelepipedo, quod ſub vertice icoſidodecaedri circumſcripti dimetiente, & ſuper quadrato eius quę ſextum dimetientis poteſt.

43. Si ab icoſidodecaedri dimetiente tertium minoris ſegmenti tollatur, reliqua verò extremâ & mediâ ratione diuidatur, erit, quod ſuper maioris ſegmenti quadrato, vertice verò eiuſdem tertia parte ſolidum, æquale pyramidi eidem icoſidodecaedro inſcriptæ.

44. Si icoſidodecaedri dimetiens extremâ & mediâ ratione diuidatur, quod ſuper maioris ſegmenti quadrato, & vertice quintupartiente ſextas eiuſdem comprehenſum ſolidum, æquale erit exoctaedro eidem icoſidodecaedro inſcripto.

45. Si ſuper quadrato maioris ſegmenti dimetientis baſis exoctaedri, vertice autem quadrati latere, maiori & dimidio minoris ſegmentis eiuſdem, comprehendatur ſolidum, ab hoc detractum quod ſuper æquilatero triangulo eiuſdem lateris, vertice verò quintupartiente decimas octauas minoris ſegmenti eius quæ triplum poteſt eiuſdem lateris ſolidum relinquit, æquale icoſidodecaedro eidem exoctaedro inſcripto ſolidum: *Qui verò naturam pyramidis trilaterę, æquilaterę, octaedri, cubi, icoſaedri, & dodecaedri accuratiùs ca-*

gnoscere voluerit, legat Candallam in fine libri decimi sexti qui naturam exoctaedri, & icosidodecaedri ad calcem huiusce libri decimi octaui explicat.

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

PETRI

© Ministerio de Cultura

PETRI RAMI
GEOMETRIÆ
LIBER PRIMVS.
DE MAGNITVDINE.

1. GEOMETRIA est ars bene metiendi.
2. Res ad bene metiendum proposita est Magnitudo.
3. Magnitudo est quantitas continua.
4. Continuum est, cujus partes communi termino continentur.
5. Terminus est magnitudinis extremum. *e. 3. d. 1.* *Itaque Magnitudo infinitè & creatur, & continetur, & secatur iisdem quibus terminatur.*
6. Punctum est signum in magnitudine individuum.
7. Magnitudines symmetræ sunt, quas eadem mensura exactè metitur: asymmetræ contra. *1. 2. d. 10.*
8. Rationales sunt, quarum ratio est explicabilis numero datę mensuræ; irrationales contra. *e. 5. d. 10.*
9. Magnitudines congruæ sunt, quarum partes applicatæ partibus æqualem locum occupant. *Itaque Magnitudines congruæ sunt æquales, 8. ax.*
10. Magnitudines adscriptæ sunt inter se, quando vnius termini alterius terminis terminantur: quæ intra est, dicitur inscripta: circumscripta, quæ extra.

LIBER SECVNDVS.

De Linea.

1. MAgnitudo est linea aut linearum.
2. Linea est magnitudo tantum longa.
3. Lineæ terminus est punctum.
4. Linea est recta vel curua.
5. Linea recta est linea, quæ intra suos terminos æqualiter inter-

jacet, curua contra. 4. *d.* 1. *Itaque*

Recta est, breuissima intra eosdem terminos.

6. Linea obliqua tangitur à recta vel curua, quando ambæ ita concurrunt, vt continuatæ non intersecentur. *Itaque*

Tactus fit vnico puncto. e. 13. *p.* 3.

7. Linea curua est peripheria, aut helix.

8. Peripheria, quæ distat æqualiter à medio comprehensi spatij.

Itaque

Peripheria fit conuersione lineæ altero termino quiescente, altero li-

neante.

9. Helix est, quæ distat inæqualiter à medio vtcunque comprehensi spatij.

10. Lineæ inter se rectæ sunt, quarum altera in alteram incidens æqualiter interjacet: obliquæ contra. *e.* 19. *d.* 1. *Itaque*

Si recta est perpendicularis rectæ, est ab eodem termino & eadem parte singulari. e. 5. 13. *p.* 11.

11. Lineæ parallelæ sunt, quæ vbique æqualiter distant. *e.* 35. *d.* 1. *Itaque*

1. *Parallela est ab eodem puncto ad eandem rectam singularis.* *Et*

2. *Lineæ eidem parallelæ sunt inter se parallelæ.* 30. p. 1.

LIBER TERTIVS.

De Angulo.

1. Lineatum est magnitudo plusquam longa.
2. Lineatum est angulus & figura.
3. Angulus est, lineatum in communi concursu terminorum.
4. Crura anguli sunt termini comprehendentes angulum.
5. Anguli homogenei sunt anguli cruribus & crurum concursu genere ijdem.
6. Anguli cruribus congrui sunt æquales. *Itaque*

1. *Si angulus angulo homogeneus & æquicrurus æquatur basi, est æqualis: & si est æqualis, æquatur basi. ex* 8. *&* 4. *p.* 1. *Et*
2. *Si æqualis basi est æquicrurus, æquatur.* *Et*
3. *Si angulus angulo æquicrurus est, major basi, est major: & si major, est major basi. e.* 25. *&* 24. p. 1. *Et*
4. *Si æqualis basi est minor interioribus cruribus, est major.* *Itaque*
5. *Si dati anguli cruribus ad datum punctum crura homogenea æquentur: æquâbas. æquabunt angulum dato. e.* 23. *p.* 1. *&* 26. *p.* 11.

7. Angulus est rectus vel obliquus.
8. Rectus, cuius crura sunt inter se recta, obliquus contra. *Itaque Anguli recti crurirecti sunt æquales. e.p.* 1.
9. Angulus obliquus est obtusus aut acutus.
10. Obtusus est obliquus maior recto. 11. *d.* 1.
11. Acutus est obliquus minor recto. 12. *d.* 1.

LIBER QVARTVS.

De figura.

1. FIgura est lineatum vndique terminatum. *e.* 14. *d.* 1.
2. Centrum est punctum in figura medium.
3. Perimeter est comprehensio figuræ.
4. Radius est recta à centro ad perimetrum.
5. Diameter est recta inscripta figuræ per centrum. *Itaque*
   1. *Diametri in eadem figura sunt infinitæ.* *Et*
   2. *Centrum figuræ est in diametro.* *Et*
   3. *In concursu diametrorum.*
6. Altitudo est perpendicularis à vertice figuræ ad basim.
7. Figura ordinata est figura æquitermina & æquiangula.
8. Figura prima est figura in alias simpliciores figuras indiuidua.
9. Figura rationalis est quæ comprehenditur à basi & altitudine rationalibus inter se: irrationalis contra. *Itaque Numerus figuræ rationalis figuratus dicatur, & numeri vnde fit, latera figurati.*
10. Figuræ isoperimetræ sunt figuræ æqualis perimetri.
11. Ex isoperimetris homogeneis ordinatius est maius, ex heterogeneis ordinatis terminatius.
12. Si figuræ primæ sunt æquealtæ, sunt vt bases: & contra. *Itaque Si sunt in basi æquali, sunt æquales.*
13. Si figuræ primæ sunt reciprocæ basi & altitudine, sunt æquales: & contra.
14. Figuræ similes sunt figuræ æquiangulæ, & proportionales cruribus æqualium angulorum. *Itaque*
   1. *Habent homologos terminos æqualibus angulis subtensos, & æquales, si ipsæ sint æquales.* *Et*
   2. *Similiter sitæ sunt, quando termini proportionales simili situ respondent.* *Et*
   3. *Similes eidem, sunt similes inter se.* *Et*

4. *Si partibus datæ figuræ partes ad datum terminum similes, similiterque sitæ constituantur, figura constituetur similis datæ similiterque sita.*

15. Figuræ similes habent rationem homologorum laterum æque multiplicatam dimensionibus, & medium proportionale vna minus.

Itaque

1. *Si lineæ rectæ sint continuè proportionales vna plures dimensionibus figurarum similium ad primam secundámque similiter sitarum, vt prima recta est ad vltimam, sit prima figura est ad secundam: & contra.*

Et

2. *Si quatuor rectæ sint proportionales, figuræ similes ad eas similitérque sitæ sunt proportionales: & contra.*

6. Figuræ complentes locum sunt æquiangulæ, quæ circa idem punctum quolibet modo collocatæ nihil inane relinquunt.

7. Figura rotunda est ordinata, cuius radij omnes æquantur.

Itaque

1. *Diametri in rotundo bisecantur radijs æqualibus.* *Et*

2. *Rotunda diametrorum æqualium sunt æqualia.* e.1.d.3.

LIBER QVINTVS.

De Lineis & Angulis in plano.

1. LIneatum est superficies aut corpus.
2. Superficies est lineatum duntaxat latum. 5. *d.*1.
3. Superficiei terminus est linea. 6. *d.*1.
4. Superficies est plana vel gibba.
5. Superficies plana est superficies, quæ æqualiter intra suos terminos interiacet. *e.* 7. *d.*1.

Itaque licet in plano:

1. *A puncto ad punctum rectam ducere:* 1. *&* 2. *post.*1. *Et*

2. *Rectam ponere ad datum punctum æqualem datæ: & à maiore secare æqualem minori.* 2. 3. *p.*1. *Itaque*

Recta vna duæque intersectæ sunt in eodem plano. e.1. *&* 2. *p.*11. *Et*

3. *Data rectæ peripheriam describere.* *Itaque*

Radij eiusdem vel æqualis peripheriæ sunt æquales.

6. Si duæ æquales peripheriæ à terminis æqualium crurum dati anguli rectilinei ante concurrant, recta à concursu ad verticem bisecabit angulum. 9. *p.*1.

7. Si duæ peripheriæ æquales à terminis datæ rectæ vtrimquè concurrant, recta per concursus bisecabit datam. 10. *p.* 1.
8. Si recta in rectam perpendicularis insistit, facit angulos deinceps rectos: & contra. *Itaque*

1. *Si recta insistit in rectam, æquat deinceps angulos duobus rectis: & contra e.* 13. *&* 14. *p.* 1.
2. *Si duæ rectæ intersecantur, æquant angulos ad verticem, & omnes quatuor rectis.* 15. *p.* 1. *Et*
3. *Si rectis recta sectis interiores eadem parte anguli sunt maiores duobus rectis, oppositi minores sunt.*

9. Si dato datæ rectæ infinitę puncto duæ partes vtrinque secentur æquales, & à punctis sectionum duæ æquales peripheriæ concurrant, recta à dato puncto in concursum erit perpendicularis super datam. 11. *p.* 1.
10. Si pars datæ rectę infinitæ secetur à peripheria à dato extra puncto, recta à dicto puncto bisecans dictam partem erit perpendicularis super datam. 12. *p.* 1.
11. Si duæ rectæ in eodem plano nusquam concurrant, sunt parallelæ. *e.* 35. *d.* 1. *Itaque*

Si recta infinita secat alteram è rectis parallelis infinitis, secabit reliquam.

12. Si rectæ recta sectæ sint parallelæ, æquant angulos interiores eadem parte duobus rectis, & inter se alternos, & exteriorem interiori opposito: & contra 29. 28 27. *p.* 1. *Itaque*

1. *Si rectæ recta connexæ faciunt interiores angulos eadem parte minores duobus rectis, eodem continuatæ concurrent: & contra.* *Et*
2. *Recta connectens rectas parallelas est in earum plano.* 7. *p.* 11. *Et*
3. *Si recta à dato puncto cum data faciat angulum, anguli facto æquati & alterni crus alterum erit parallelum datæ rectæ.* 31. *p.* 1 *Et*
4. *Anguli crurum alternè parallelorum sunt æquales.* *Et*
5. *Si rectæ oppositæ æquantur, parallelæ conterminant parallelas: & contra. e.* 34. *p.* 1. *Et*
6. *Si rectæ conterminent eadem parte æquales & parallelas, sunt æquales & parallelæ.* 33. *p.* 1.

13. Si lineæ rectæ parallelis pluribus rectis intersecantur, intersegmenta sunt proportionalia: *& contra. e.* 2. *p.* 6. *&* 17. *p.* 1. *Itaque*

1. *Si recta cum data faciens angulum basique connexa secetur data ratione, parallelæ à segmentorum terminis in finem datæ & contingens in ea punctum secabunt datam datæ ratione.* 9. *&* 10. *p.* 6. *Et*
2. *Si duæ datæ rectæ facientes angulum cōtinuentur, prima æqualiter secundæ, secunda infinitè, parallelæ à terminis primæ continuationis in prin-*

cipium, secundæ, & contingens in ea punctum intersecabunt tertiam proportionalem. 11.*p.*6. *Et*

3. *Si è datis tribus rectis prima tertiaque facientes angulum continuentur, prima æqualiter secundæ, tertia infinitè, parallelæ à terminis primæ continuationis in principium secundæ, & contingens in ea punctum intersecabunt quartam proportionalem.* 12. *p.* 6.

LIBER SEXTVS.

De Triangulo.

1. PLana similia habent duplicatam rationem homologorum laterum, & vnum proportionale medium. *e.* 20. *p.* 6. 11. *&* 18. *p.* 8.
2. Planum est rectilineum aut curuilineum.
3. Rectilineum est planum, quod comprehenditur à lineis rectis.
4. Rectilineum æquat angulos rectis interiores quidem generatim à binario paribus, externos autem quaternis.
5. Rectilineum est triangulum aut triangulatum.
6. Triangulum est quod comprehenditur à tribus lineis rectis. 21. *d.* 1.

Itaque

1. *Triangulum est prima figura rectilineorum.* *Et*
2. *Si recta infinita secat angulum, secat basim.*

7. Trianguli duo quælibet latera sunt maiora reliquo. 20. *p.* 1.

Itaque

1. *Si tres rectæ sunt duæ quælibet majores reliqua; peripheriæque à terminis vnius interuallis reliquarum concurrant, radij à concursu ad dictos terminos constituent triangulum.* *Et*
2. *Si duæ æquales peripheriæ à terminis datæ rectæ eiusque interuallo concurrant, rectæ à concursu ad dictos terminos constituent triangulum æquilaterum super datam.* 1. p. 1.

8. Si recta in triangulo est parallela basi, secat crura proportionaliter: & contra. 2. *p.* 6.
9. Trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis 32. *p.* 1.

Itaque

1. *Trianguli duo quilibet anguli sunt minores duobus rectis.* 17. p. 1. *Et*
2. *Continuato latere, exterior angulus æquatur duobus interioribus oppositis.* 32. p. 1. *Itaque*

3. *Est maior vtrolibet interiore opposito.*

10. Si triangulum est æquicrurum, est in basi æquiangulum: & contra. *e.* 5. *&* 6. *p.* 1. *Itaque*

1. *Si trianguli æqua crura continuentur, anguli sub basim æquabuntur.* 5. p. 1. *Et*

2. *Si triangulum est æquilaterum, est æquiangulum: & contra.* *Et*

3. *Angulus trianguli æquilateri valet duas tertias recti.* *Et*

4. *Triangula sex æquilatera complent locum.*

11. Trianguli maius latus subtendit maiorem angulum, & maior angulus subtenditur à maiore latere. 19. *&* 18. *p.* 1.

12. Si recta in triangulo bisecat angulum, secat basim ratione crurum: & contra. 3. *p.* 6.

LIBER SEPTIMVS.

De comparatione Triangulorum.

1. TRiangula æquilatera sunt æquiangula. 8. *p.* 1.

2. Si duo triangula æquantur angulis vel duobus æquicruris vel binis æqualis aut cruris aut basis duorum, sunt æquilatera. 4. *&* 26. *p.* 1.

3. Triangula æquantur ternis angulis. *Itaque*

Si bini anguli duorum triangulorum æquantur, reliqui æquantur.

4. Si triangulum triangulo æquicrurum est maius basi, est maius angulo: & contra. 25. *&* 24. *p.* 1.

5. Si triangulum triangulo in eadem basi est minus interioribus cruribus, est maius angulo crurum. 21. *p.* 1.

6. Triangula æquealta sunt vt bases: & contra. *e.* 1. *p.* 6. *Itaque*

1. *In æquali basi sunt æqualia.* 37. & 38. *p.* 1. *Et*

2. *Si recta à vertice trianguli bisecat basim, bisecat triangulum, & diameter est trianguli.*

7. Si recta est à vertice trianguli ad datum in basi punctum non medium, & parallela sit à medio basis in latus, recta à vertice parallelę in dictum punctum bisecabit triangulum.

8. Si triangula æquiangulo reciprocantur cruribus æqualis anguli, sunt æqualia: & contra. 15. *p.* 6.

9. Si duo triangula sunt ęquiangula, sunt proportionalia cruribus

æqualium angulorum: & contra. 4. 5. *p.* 6. *Itaque*

Si recta in triangulo est parallela basi, desecat triangulum æquiangulum toti, & minus basi.

10. Si duo triangula sunt proportionalia curibus æqualis anguli sunt æquiangula. 6. *p.* 6.
11. Si cruribus proportionalia, & alternè parallela intermedium angulum faciunt, bases habent in rectam continuas. 32. *p.* 6.
12. Si habeant vnum angulum æqualem, alterum cruribus proportionalem, tertium homogeneum, sunt æquiangula. 7. *p.* 6.

LIBER OCTAVVS.

De Generibus triangulorum.

1. TRiangulum est rectangulum vel obliquangulum.
2. Triangulum rectangulum est quod habet vnicum angulum rectum: obliquangulum quod nullum. 27. *d.* 1. *Itaque*

1. *Si duæ perpendiculares connectantur, constituent triangulum rectangulum.* *Et*
2. *Si trianguli angulus ad basim rectus est, perpendicularis à vertice est crus alterum, & contra.*

3. Si triangulum rectangulum est æquicrurum, vterque angulus ad basim est dimidius recti: & contra. *Itaque*

1. *Si trianguli angulus æquatur reliquis est rectus, & contra.*
2. *Si recta à vertice trianguli bisecans basim est æqualis bisegmento, angulus verticis rectus est: & contra.*

4. Perpendicularis in triangulo ab angulo recto in basim secat triangula similia toti & inter se. 8. *p.* 6. *& contra.* *Itaque*

1. *Perpendicularis est proportionalis inter segmenta basis.* *Et*
2. *Crus vtrumlibet est proportionale inter basim & basis segmentum terminum.*

5. Si basis trianguli subtendit rectum rectilineum ad eum situm, æquatur rectilineis ad crura similibus similiterque sitis: & contra. *e.* 31. *p.* 6.
6. Triangulum obliquangulum est obtusangulum vel acutangulum.
7. Obtusangulum quod habet vnum obtusum angulum. 28. *d.* 1. *Itaque*

1. *Si obtusus angulus est ad basim, perpendicularis à vertice cadit extra: & contra.* *Et*

2. *Si*

2. *Si trianguli angulus sit maior reliquis, est obtusus: & contra.*

Et

3. *Si recta à vertice trianguli bisecans basim, est minor bisegmento, angulus verticis obtusus est: & contra.*

8. Triangulum acutangulum est quod habet omnes acutos angulos.

28.d.1.

Itaque

1. *Perpendicularis à vertice cadit intra: & contra.* *Et*

2. *Si trianguli angulus sit minor reliquis, est acutus: & contra.* *Et*

3. *Si recta à vertice trianguli bisecans basim est maior bisegmento, angulus verticis acutus est, & contra*

LIBER NONVS.

De Geodæsia rectarum è triangulis rectangulis similibus.

1. RÁdius est norma crurum inæqualium.
2. Radij crura sunt index & transuersarium.
3. Index est duplus sesquidecimus tranuersarij.
4. Transuersarium est per indicem volubile, modò sublimius, modò humilius.
5. Si visus est ab initio cruris alterius, est pr termeinum reliqui crusque alterum est rectum metiendæ magnitudini, reliquum parallelum.
6. Longitudo & altitudo triplicem mensuràm habent, primam & secũdam vnius distantiæ, & quidem data alterius dimensione pro tertio proportionali: tertiam duplicis distantię, qualis tantum est dimensio latitudinis.
7. Si visus sit ab initio indicis recti in metam longitudinis, erit vt segmentum indicis ad segmentum transuersarij, sic mensoris altitudo ad longitudinem.
8. Si visus sit ab initio indicis paralleli, erit vt segmentum transuersarij ad segmentum indicis, sic data altitudo ad longitudinem.
9. Si visus sit ab initio transuersarij paralleli, erit vt in indice differentia maioris segmenti ad minus, sic differentia secundæ distantiæ ad longitudinem.
10. Si visus sit ab initio transuersarij recti, erit vt segmentum transuersarij ad segmentum indicis, sic data longitudo ad latitudinem.

Itaque in euersa altitudine.

Si visus sit ab initio indicis paralleli, erit vt segmentum transuersarii ad segmentum indicis, sic data longitudo ad altitudinem.

11. Si visus sit ab initio indicis recti, erit vt segmentum indicis ad segmentum transuersarij, sic data longitudo ad altitudinem.

Itaque

Si visus sit ab initio indicis recti per pinnas transuersarij in terminos notæ partis, erit vt interuallum pinnarum ad reliquum supereminentis transuersarij, sic nota pars ad reliquam.

12. Si visus sit ab initio indicis recti, erit vt in indice differentia segmenti ad differentiam distantiæ, sic segmentum transuersarij ad altitudinem.

Itaque è geodæsia altitudinis patet differentia duarum altitudinum.

13. Si visus sit ab initio indicis recti per pinnas transuersarij in terminos latitudinis, erit vt in indice differentia segmenti ad differentiam distantiæ, sic interuallum pinnarum ad latitudinem.

LIBER DECIMVS.

De triangulato & parallelogrammo.

1. TRiangulatum est rectilineum compositum è triangulis.

Itaque

1. *Triangulati latera sunt binario plura triangulis.* *Et*
2. *Triangulata homogenea secantur in triangula æqua numero. e. 20. p. 6.*
2. Triangulata similia secantur in triangula similia inter se & homologa totis. *e. 20. p. 6.*
3. Triangulatum est quadrangulum aut multangulum.
4. Quadrangulum est quod comprehenditur à quatuor lineis rectis. *22. d. 1.*
5. Quadrangulum est parallelogrammum aut trapezium.
6. Parallelogrammum est quadrangulum lateribus oppositis parallelum.

Itaque

1. *Si rectæ eadem parte conterminent æquales & parallelas, parallelogrammum constituent.* *Et*
2. *Parallelogrammum oppositis & lateribus & angulis & sectis diametro segmentis æquatur.* *Et*
3. *Diameter parallelogrammi bisecatur radijs æqualibus.* *Et*
4. *Parallelogrammum est duplum trianguli basi & altitudine æqualis.*

© Ministerio de Cultura

41. p. 1. *Et*

5. *Æquatur triangulo æquealto, baſique duplo.* e. 52. p. 1. *vnde licet*

6. *Dato triangulo in dato angulo rectilineo parallelogrammum æquale conſtituere.* 42. p. 1.

7. Parallelogrammum conſtat è binis & diagonalibus & complementis, & gnomonibus.

8. Diagonale eſt particulare parallelogrammum communis anguli & diagonij cum toto parallelogrammo.

9. Diagonale eſt toti ſimile ſimiliterque ſitum, *e.* 24 *p.* 6. & contra.

Itaque

Si particulare parallelogrammum eſt toti coangulum, & ſimile ſimiliterque ſitum, eſt diagonale. 26. *p.* 6.

10. Complementum eſt particulare parallelogrammum à conterminis diagonalium lateribus comprehenſum

11. Complementa ſunt æqualia 43. *p.* 1. *Itaque*

1. Si complementum alterum æquatur dato triangulo in dato angulo rectilineo, reliquum ad datam rectam comparatum, eidem pariter æquabitur. 44. *p.* 1. *Et*

2. Si parallelogramma continenter æquentur triangulis dati triangulati in dato angulo rectilineo, totum parallelogrammum toti triangulato pariter æquabitur. 45. *p.* 1. *Itaque*

Parallelogrammum ſuis æquatur diagonalibus & complementis.

12. Gnomo eſt alterum diagonale cum duobus complementis. 2. *d.* 1.

13. Parallelogramma æquealta, ſunt vt baſes. 1. *p.* 6.

Itaque

Parallelogramma æquealta in æquali baſi ſunt æqualia. 35. 36. *p.* 1.

14. Si parallelogramma æquiangula reciprocantur cruribus æqualis anguli, ſunt æqualia: & contra. 15. *p.* 6. *Itaque*

1. *Si quatuor rectæ ſunt proportionales, parallelogrammum mediarum æquatur æquiangulo parallelogrammo extremarum.* e. 16. *p.* 6. *& contra.*

Et

2. *Si tres rectæ ſunt proportionales, parallelogrammum mediæ æquatur æquiangulo parallelogrammo extremarum, & contra.*

LIBER VNDECIMVS

De Rectangulo.

1. PArallelogrammum eſt rectangulum aut obliquangulum.
2. Rectangulum eſt parallelogrammum quod habet omnes angulos rectos.

Itaque

1. *Rectangulum comprehenditur à duabus rectis angulum rectum comprehendentibus.* 1. *d.* 2.
2. *Rectangula quatuor complent locum.*

3. Si diameter biſecat latus rectanguli, rectè ſecat & contra.

Itaque

Si inſcripta recte biſecat latus rectanguli, eſt diameter.

4. Rectangulum æquatur rectangulis ipſius vno latere & reliqui ex ſegmentis. 1. *p.* 2.
5. Si quatuor rectæ ſint proportionales, rectangulum mediarum æquatur rectangulo extremarum. 16. *p.* 6. & contra.
6. Figuratus rectanguli rationalis appellatur planus rationalis. 16. *d.* 7.

LIBER DVODECIMVS.

De Quadrato.

1. REctangulum eſt quadratum, vel oblongum.
2. 2. Quadratum eſt rectangulum æquilaterum. 30. *d.* 1.

Itaque

1. *Latera quadratorum æqualium ſunt æqualia.* *Et*
2. *Potentia rectæ eſt quadratum.* *Et*
3. *Si duæ conterminæ perpendiculares æquales claudantur parallelis, conſtituent quadratum.* 4. 6 p. 1.

3. Planus quadrati eſt planus æquilaterus. *Itaque*

Fit à numero in ſe ipſum multiplicato.

4. Si tres rectæ ſunt proportionales, quadratum mediæ æquatur rectangulo extremarum: & contra. 17. *p.* 6. *&* 20 *p.* 7.
5. Si baſis trianguli ſubtendit rectum, æque poteſt cruribus: & contra. 47. *&* 48. *p.* 1. *Itaque*
6. *Si quadratus imparis pro crure primo dati minuatur vnitate, dimidius reliqui erit crus alterum, auctus vnitate erit baſis.* *Et*

2. *Si dimidius paris pro crure primo dati quadretur, quadratus minutus vnitate erit crus alterum, auctus vnitate erit basis. Itaque*

3. *Diagonius potest duplum lateris, eique est asymmetra.*

6. Si basis trianguli rectanguli secatur à perpendiculari ex angulo recto dupla ratione, potest sesquialterum maioris cruris, triplum minoris: si quadrupla, sesquiquartum maioris quintuplum minoris. *ad.* 13.15.16.*p.*13.

7. Si recta est secta quotlibet fariam, potest multiplex segmenti cognomine quadrato numeri sectionis.

8. Si recta est secta in duo segmenta, quadratum totius æquatur quadratis segmentorum & duplici rectangulo vtriusque. 4.*p.*2.

Itaque

Latus primi diagonalis est latus alterius complementi, & duplicatum est latus simul vtriusque: reliquum autem latus simul vtriusque est latus reliqui diagonalis.

Et

Si latus inuentum duplicetur, & duplicato vnitas addatur, totus erit gnomo proxime maioris quadrati.

9. Si de dimidio collectorum laterum dati trianguli latera sigillatim subducantur, latus continuè facti è dimidio & reliquis erit area trianguli.

10. Si basis trianguli subtendit obtusum plus potest cruribus duplici rectangulo alterius, & ex eo continuationis ad verticis perpendicularem. 12.*p.*1.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

De Oblongo.

1. OBlongum est rectangulum inæquilaterum. 31. *d.* 1.
2. Oblongum è tota & segmento æquatur rectangulo segmentorum, & prædicti segmenti quadrato. 3. *p.* 1.
3. Oblonga è tota & segmentis æquantur è tota quadrato. 2. *p.* 2.
4. Oblonga duo è tota & segmento cum tertio quadrato reliqui segmenti, æquantur quadratis totius & prædicti segmenti. 7. *p.* 2.
5. Basis trianguli acutanguli minus potest cruribus duplici oblongo ex altero crure & eius segmento à dicto angulo adverticis perpendicularem. 13. *p.* 2.

Itaque

Si quadratum basis acuti anguli tollatur è quadratis crurum, reliqui dimidio per crus diuiso, quotus erit segmentum diuidentis à dicto an-

gulo ad verticis perpendicularem.

6. Si recta est bisecta, secusque oblongum inæqualium segmentorum cum quadrato intersegmenti æquatur quadrato bisegmenti. 5. *p.* 2.
7. Si recta est bisecta & continuata, oblongum continuatæ & continuationis cum quadrato bisegmenti æquatur quadrato compositæ ex bisegmento & continuatione. 6. *p.* 1.
8. Si duas datas rectas comprehendentes rectangulum, & infinitè continuatas mesograpus tangens oppositum angulum angulo datarum intersecet æquidistanter à centro, intersegmenta erunt media continuè proportionalia datis.

LIBER DECIMVS-QVARTVS.

De Recta proportionaliter secta, & de reliquis quadrangulis & multangulis.

1. REcta secatur secundum mediam, & extremam rationem, quando fuerit vt tota ad maius segmentum, sic maius segmentum ad minus. 3. *d.* 6.
2. Si recta proportionaliter secta est rationalis datæ mensuræ, segmenta sunt ad eam & inter se irrationalia. *e.* 6. *p.* 13.
3. Si quadratum fiat è data recta, rectæ ab angulo facti ad medium contermini lateris differentia supra dimidium erit maius segmentum datæ proportionaliter sectæ. 11. *p.* 2. & 30. *p.* 6.

Itaque

1. *Si recta proportionaliter secta continuetur maiore segmento, tota secabitur proportionaliter, & maius segmentum erat data.* 5. p. 13.
4. Maius segmentum continuatum dimidio totius potest quintuplum eiusdem dimidii: & si recta potest quintuplum sui segmenti, reliquum factum duplum prædicti secatur proportionaliter, & maius segmentum est idem reliquum. 1. & 2. *p.* 13.
5. Minus segmentum continuatum dimidio maioris potest quintuplum eiusdem dimidii. *e.* 3. *p.* 13.
6. Tota & minus segmentum possunt triplum maioris. *e.* 4. *p.* 13.
7. Parallelogrammum obliquangulum est rhombus aut rhomboïdes.
8. Rhombus est obliquangulum æquilaterum. 32. *d.* 1.
9. Rhomboïdes est obliquangulum inæquilaterum. 33. *d.* 1.
10. Trapezium est quadrilaterum, non parallelogrammum. 34. *d.* 1.

11. Multangulum est quod pluribus quam quatuorlineis rectis comprehenditur. 23. *d.* 1.
12. Si quinquangulum æquilaterum tribus angulis æquatur, est æquiangulum. 7. *p.* 13.
13. Triangulata multangula è suis item triangulis mensuram capiunt.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

De Lineis circuli.

1. CIrculus est planum rotundum. *e.* 15. *d.* 1.
2. Circuli sunt vt à diametris quadrata. 2. *p.* 12.

Itaque

Diametri sunt vt peripheriæ.

3. Geometria circularis est in lineis aut in segmentis circuli.
4. Si recta duobus in peripheria punctis terminetur, cadet intra circulum. 2. *p.* 3.
5. Si à termino diametri ex eaque radio æquante datam rectam peripheria describatur, recta à dicto termino in concursum peripheriarum inscribetur dato circulo æqualis datæ rectæ. 1. *p.* 4.
6. Si inscripta rectæ bisecat inscriptam, est diameter circuli, eiusque medium est centrum. 1. *p.* 3.
   1. *Si duæ rectæ duas inscriptas recte bisecent, concursus bisecantium erit centrum circuli.* e. 25. p. 3. *Et licet*
   2. *Peripheriam ducere per tria puncta in rectam minime cadentia. e. 5. p.* 4.
7. Si diameter bisecat adiametrum, recte secat: & contra. 3. *p.* 3.
8. Si adiametri intersecantur, segmenta sunt inæqualia. 4. *p.* 3.
9. Si duæ inscriptæ intersecantur rectangulum è segmentis vnius æquatur rectangulo è segmentis reliquæ. 35. *p.* 3.
10. Inscriptæ æquidistant à centro, in quas à centro perpendiculares sunt æquales. 4. *d.* 3.
11. Si inscriptæ sunt æquales æquidistant à centro: & contra. 14. *p.* 3.
12. Inscriptarum inæqualium diameter est maxima, diametroque propior maior remotiore, remotissima minima, minimæque propior minor remotiore, binæque vtrinque à diametro æquantur. *e.* 15. *p.* 3.
13. Rectarum à diametri puncto non centro in peripheriam, quæ per

2008 Ministerio de Cultura

centrum est maxima, propiorque maximæ est maior remotiore, reliqua maximæ minima, minimęque propior minor remotiore, binæque vtrinque à maxima vel minima solæ æquantur. 7. *p.* 3.

Itaque

Si punctum in circulo est terminus trium rectarum in peripheriam æqualium, est centrum circuli. 9. p. 3.

14. Rectarum à dato extra puncto in concauum peripheriæ, quæ per centrum, est maxima, propiorque maximæ est maior remotiore: in conuexum, tangens peripheriam est maxima, segmentum maximæ est minima; minimæque propior minor remotiore, binæque vtrimque à maxima vel minima solæ æquantur. 8. *p.* 3.

15. Si recta est perpendicularis extrema diametro, tangit peripheriam: & contra. e. 16. & 19. *p.* 3.

Itaque

1. *Si recta est per centrum & contactum, est perpendicularis tangenti.* 19. *p.* 3.

Et

2. *Punctum contactus est, quo à centro perpendicularis tangenti incidit.*

Et

3. *Tangens est singularis eadem parte.* e. 16. p. 3.

Et

4. *Angulus contactus est minor quovis acuto rectilineo,* e. 16. p. 2.

5. *Anguli contactus in æqualibus peripherijs sunt æquales.*

16. Si à radio ex datæ peripheriæ centro ad datum extra punctum peripheria describatur, & à concursu datæ, radiique radio ipsi perpendicularis in descriptam connectatur cum dicto centro, recta dato puncto in concursu datæ connectentis tanget datam peripheriam 17. *p.* 3.

17. Si è duabus rectis à dato extra puncto prima secat in concauum, reliqua tangit, oblongum è secante & exteriore secantis segmento æquatur quadrato tangentis: & si oblongum tale æquatur quadrato reliquæ, reliqua ipsa tangit. 36. & 37. *p.* 3.

Itaque

1. *Tangentes ab eodem puncto sunt æquales duæ.*

Et

2. *Oblonga è qualibet ex eodem puncto secante & secantis exteriore segmento æquantur inter se.*

Et

3. *Datis duabus rectis licet alteri continuare tertiam, vt oblongum ex continuata & continuatione æquetur quadrato reliquæ Vitell.* 127. *p.* 1.

18. Si peripheriæ sunt intersectæ vel contiguæ sunt eccentricæ: illæque duobus tantum punctis intersecantur, hæ diametros per contactum continuant. 5. 6. 10. 11. 12. *p.* 3.

19. Si inscriptæ circulis æqualibus sunt æquales, secant peripherias æquales

æquales: & contra. 28. 29. *p.* 3.

LIBER DECIMVS SEXT.

De Circuli segmentis.

1. SEgmentum circuli est quod comprehenditur extrinsecus à peripheria, intus à recta.
2. Segmentum circuli est sector aut sectio.
3. Sector est segmentum intus comprehensum à recta duplici, faciente angulum in centro, qui angulus in centro, dicitur: vt peripheria dicitur basis sectoris. 9. *d.* 3.
4. Angulus in peripheria est angulus comprehensus à duab. rectis inscriptis, & in peripheria conterminis. 8. *d.* 3.
5. Angulus in centro duplus est anguli in peripheria in eandem peripheriam insistentis. 20. *p.* 3. *Itaque*

Si angulus in peripheria æquatur angulo in centro, est duplus basi. & contra.

6. Anguli in centro, peripheriave circulorum æqualium sunt vt peripheriæ in quas insistunt: & contra. *e.* 33. *p.* 6. 16. 27. *p.* 3. *Itaque*

Vt sector ad sectorem, sic angulus ad angulum.

7. Sectio est segmentum circuli intus comprehensum ab vna recta, quæ basis sectionis dicitur.
8. Sectio absoluitur invento centro.
9. Peripheria sectionis bisecatur perpendiculari bisecante basim. 30 *p.* 3.
10. Angulus in sectione est angulus comprehensus à duabus rectis conterminis basi & in peripheria conterminis. 7. *d.* 3.
11. Anguli in eadem sectione sunt æquales. 21. *p.* 3.
12. Anguli in oppositis sectionibus æquantur duobus rectis. 22. *p.* 3.
13. Si sectiones capiunt angulos æquales, sunt similes. *e.* 10. *d.* 3.
14. Si sectiones similes sunt in æquali basi, sunt æquales. 23. *&.* 24. *p.* 3.
15. Angulus sectionis est, qui comprehenditur à terminis. 7. *d.* 3.
16. Sectio est semicirculus, aut inæqualis semicirculo.
17. Semicirculus est sectio dimidia circuli.

Itaque

2008 Ministerio de Cultura

Semicirculus comprehenditur à semiperipheria & diametro. 8. *d.* 1.

18. Angulus in semicirculo rectus est, semicirculi, minor recto rectilineo, maior quouis acuto: in maiore sectione est minor recto, maioris maior, in minore maior, minoris minor. *e.* 31. *&* 16. *p.* 3.

Itaque

1. *Si duæ rectæ diametro circuli conterminæ conterminentur in peripheria, faciunt angulum rectum.*

Et

2. *Si recta infinita tangetur à peripheria externi centri in punctis dato & contingente, & diameter sit à contingente, recta à dato puncto connectens diametrum erit perpendicularis super infinitam.*

Et

3. *Si recta à dato puncto faciens acutum angulum cum infinita, fiat diameter peripheriæ secantis infinitam, recta à dicto puncto connectens segmentum erit perpendicularis super infinitam.*

Et

4. *Si duarum rectarum maior fiat diameter circuli, minorque maiori contermina & inscripta connectatur, maior plus poterit, quam minor, quadrato connectentis ad.* 13. *p.* 10.

19. Si recta continuata è duabus rectis fiat diameter circuli, perpendicularis à puncto continuationis in peripheriam erit proportionalis inter datas. 13. *p.* 6.

20. Anguli in oppositis sectionibus æquantur alternis angulis secantis & contiguæ. 32. *p.* 3.

Itaque

1. *Si ad terminum datæ rectæ æquetur angulus rectilineus dato, & æquati vertice perpendicularis reliquo lateri concurrat cum perpendiculari à medio datæ, concursus erit centrum circuli per æquatum angulum descripti, in cuius opposita sectione super datam angulus æquabitur dato.* *e.* 33. *p.* 3.

2. *Si angulus secantis & contiguæ æquetur dato angulo rectilineo, angulus in opposita sectione eidem pariter æquabitur.* 34. *p.* 3.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

De adscriptione circuli & trianguli.

1. SI rectilineum inscriptum circulo est æquilaterum, est æquiangulum.
2. Æquatur triangulo, basis quidem perimetro, altitudinis autem perpendiculari à centro in latus.

Ministério de Cultura

3. Rectilinea similia circulis inscripta, sunt vt à diametris quadrata. 1. *p.* 12. Itaque

Si sit vt diameter circuli ad latus rectilinei adscripti, sic diameter secundi circuli ad latus secundi rectilinei adscripti, triangulaque adscriptorũ singularia similia similiterque sita, rectilinea adscripta erunt similia similiterque sita.

4. Si duæ rectæ bisecent duos angulos dati rectilinei, circulus radij ab earum concursu in latus perpendicularis inscribetur dato rectilineo. 4. & 8 *p.* 4.

5. Si duæ rectæ bisecent duo latera dati rectilinei, circulus radij ab earum concursu in angulum circumscribetur dato rectilineo. 5. *p.* 4.

6. Si duæ inscriptæ à contactu rectæ & peripheriæ æquent duos vtrinque angulos duobus angulis dati trianguli, connexæ inscribent triangulum dato circulo, æquiangulum dato triangulo. *e.* 2. *p.* 4.

7. Si duo anguli in centro dati circuli æquentur ad commune latus exterioribus angulis dati trianguli, rectæ tangentes peripheriam in cruribus angulorum circumscribent triangulum dato circulo, æquiangulum dato triangulo. 3. *p.* 4. Itaque

Si triangulum est rectangulum, obtusangulum, acutangulum, centrum circumscripti circuli est in latere, extra latera, intra latera: & contra. consect. est 5. p. 4.

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

De Adscriptione triangulati.

1. SI rectæ tangant peripheriam in angulis inscripti triangulati ordinati, circumscribent triangulatum circulo homogeneum inscripto triangulato.

2. Si diametri rectè intersecentur, subtensa recto erit latus inscripti quadrati. *e.* 6. *p.* 4. Itaque

Quadratum inscriptum est dimidium circumscripti. Et

Est maius dimidio circumscripti circuli.

3. Si recta secetur proportionaliter, trianguli crurum sectæ æqualium, basis maiori segmento æqualis, vterque angulus ad basim erit duplus reliqui, & basis erit latus quinquanguli in circulum cum triangulo inscripti. 10. & 11. *p.* 4.

4. Si duæ rectæ ſubtendunt duos deinceps angulos inſcripti quinquanguli, ſecantur proportonaliter, & maiora ſegmenta ſunt latera inſcripti. *e.* 18. *p.* 13.

Itaque

Si data recta ſecta proportionaliter continuetur vtrinque maiore ſegmento ſexque peripheriæ ratio datæ concurrant, binæ vtrimque à terminis datæ & continuatæ: duæ reliquæ ab earum concurſu, rectæ per concurſus & terminos, datæ conſtituent ſuper datam quinquangulum ordinatum.

5. Si diameter circuli quinquangulo circumſcripti eſt rationalis, eſt irrationalis ad latus inſcripti quinquanguli. *e.* 11. *p.* 13.

6. Radius circuli eſt latus inſcripti ſexanguli. *e.* 15. *p.* 4.

Itaque

1. *Sexangula tria ordinata complent locum.*

2. *Si rectæ ab vno inſcripti ſexanguli angulo in tertium vtrinque angulum connectantur, inſcribent triangulum æquilaterum dato circulo.*

7. Latus inſcripti trianguli æquilateri poteſt triplum circularis radij. 12. *p.* 13.

8. Si latus ſexanguli ſecetur proportionaliter, maius ſegmentum erit latus decanguli: & contra.

Itaque

Si decangulum & ſexangulum inſcribantur eidem circulo, recta è latere vtriuſque continuata ſecabitur proportionaliter, & maius ſegmentum erit latus ſexanguli: &, ſi maius ſegmentum rectæ proportionaliter ſectæ eſt latus ſexanguli, reliquum erit latus decanguli. 9. p. 13.

9. Si decangulum, ſexangulum, quinquangulum inſcribantur eidem circulo, latus quinquanguli poteſt latera reliquorum: & ſi recta poteſt latera ſexanguli & decanguli, eſt latus quinquanguli. 10. *p.* 13.

10. Si triangulum & quinquangulum inſcribantur eidem circulo ad idem punctum, recta inſcripta inter vtriuſque baſim dicto puncto oppoſita erit latus inſcripti quindecanguli. 16. *p.* 4

11. Si quinquangulum & ſexangulum inſcribantur eidem circulo ad idem punctum, peripheria inter vtriuſque latera erit pars triceſima totius peripheriæ.

LIBER DECIMVS NONVS.

De Geodæsia multanguli ordinati & circuli.

1. PLanus è perpendiculari à centro in latus & dimidio perimetri, est area multanguli ordinati.
2. Peripheria est tripla diametri & fere sesquiseptima.

Itaque

1. *Planus è radio & peripheriæ dimidio est area circuli.*

Et

2. *Vt* 14. *ad* 11. *sic quadratum diametri ad circulum.*
3. *Planus è radio & peripheriæ quadrante est area semicirculi.* *Et*
4. *Planus è radio & basis dimidio est area sectoris.* *Et*
5. *Si triangulum è duobus radijs & basi maioris sectionis addatur duobus in ea sectoribus: totum erit area sectionis maioris: sin detrahatur suo sectori reliquum erit area minoris.* *Et*

Circulus é planis isoperimetris inæqualibus est maximus.

LIBER VIGESIMVS.

De Superficie gibba.

1. GIbbum est superficies quæ inæqualiter intra suos terminos interiacet.
2. Gibbum est sphæricum aut varium.
3. Sphæricum est gibbum æquidistans à centro comprehensi spatij.

Itaque

Fit conuersione semiperipheriæ manente diametro. c. 14. d. 11.

4. Maxima in sphærico peripheria est quæ sphæricum bisecat.

Itaque

Peripheria propior maximæ est maior remotiore, & vtrinque æquidistantes à maxima duæ sunt æquales.

5. Planus è maxima peripheria & eius diametro est sphæricum.

Itaque

1. *Planus è maximo circulo & 4. est sphæricum.* *Et*
2. *Vt* 7. *ad* 22. *sic quadratum diametri ad sphæricum.* *Et*
3. *Planus è maxima peripheria & radio est hemisphæricum.*
6. Si quota pars est radij, perpendicularis à centro ad basim sectionis maioris, tanta augeatur hemisphæricum, totum erit sphærici

maior sectio: sin tanta minuatur, reliquum erit minor.

7. Varium est gibbum, cuius basis est peripheria, latus recta à termino verticis in terminum basis.

8 Varium est conicum aut cylindraceum.

9. Conicum est quod à subiecta peripheria æqualiter fastigiatur ad verticem. *Itaque*

Fit conuersione lateris circa subiectam peripheriam.

10. Planus è latere & dimidio basis est conicum.

11. Cylindraceum est quod à subiecta peripheria ad sublimem æqualem & parallelam peripheriam æqualiter erigitur. *Itaque*

Fit conuersione lateris circa duas peripherias æquales & parallelas.

12. Planus è sua basi & altitudine est cylindraceum.

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

De Lineis & Superficiebus in Solido.

1. Corpus est lineatum latum & altum. I. *d.* 11.

2. Terminus solidi est superficies. 2. *d.* 11.

3. Si recta est rectis in subiecto plano intersectis perpendicularis in communi sectione, est perpendicularis subiecto plano: &, si est perpendicularis plano, est rectis in subiecto plano intersectis perpendicularis in communi sectione. *e.* 3. *d* & 4. *p.* 11.

4. Si tres rectæ intersectæ sunt eidem rectę perpendiculares in communi sectione, sunt in eodem plano. 5. *p.* 12.

5. Si duæ rectæ sunt perpendiculares subiecto plano, sunt parallelæ, & si parallelarum altera est perpendicularis subiecto plano, reliqua est eidem perpendicularis. *6.* 8. *p.* 11.

6. Si rectæ in diuersis planis sunt ad eandem rectam parallelæ, sunt inter se parallelæ. 9. *p.* 11.

7. Si duæ rectæ sunt perpendiculares, prima à sublimi puncto in rectam subiectam, secunda à communi sectione in subiecto plano, tertia, à dicto puncto perpendicularis secundæ, erit perpendicularis subiecto plano. *e.* 11. *p.* 11.

8. Si recta à dato subiecti plani puncto sit parallela rectæ ad idem planum perpendiculari, erit etiam perpendicularis subiecto plano, *ex* 12. *p.* 11.

9. Si recta altero intersectorum planorum perpendicularis communi sectioni est perpendicularis reliquo, plana sunt perpendi-

cularia, recta in altero perpendicularis communi sectioni, est perpendicularis reliquo. *e.* 4. *& d.* 3. 8. *p.* 11.

10. Si recta est perpendicularis plano, omnia per eam plana, sunt eidem perpendicularia: & si duo plana inter secta sunt alicui plano perpendicularia, communis sectio est eidem perpendicularis. *e.* 18. *&.* 19. *p.* 11.

11. Plana sunt parallela quę nusquam annuunt. 8. *d.* 11.

Et

1. *Quæ communi perpendiculo diuiduntur.* 14. p. 11.
2. *Si binæ rectæ in ipsis conterminæ, sunt parallelæ.* 15. p. 11.

12. Si duo plana parallela secantur plano, communes sectiones sunt parallelæ. 16. *p.* 11.

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

De Pyramide.

1. AXis solidi est diameter circa quam conuertitur. *e.* 15. 19. 22. *d.* 11.
2. Solidum rectum est cuius axis est perpendicularis centro basis.
3. Si solida comprehenduntur à superficiebus homogeneis æqualibus multitudine & magnitudine, sunt æqualia. 10. *d.* 11.
4. Si solida comprehenduntur à superficiebus multitudine æqualibus & similibus, sunt similia. 9. *d.* 11.
5. Solida similia habent triplicatam rationem homologorum laterum, & duo media proportionalia. 33. *p.* 11. 8. *p.* 12.
6. Solidum est planum vel gibbum.
7. Planum, quod comprehenditur à superficiebus planis.
8. Anguli plani comprehendentes angulum solidum sunt minores quatuor rectis 21. *p.* 11.
9. Si tres anguli plani minores quatuor rectis comprehendant angulum solidum, duo quilibet sunt maiores reliquo: & si duo quilibet sunt maiores reliquo, comprehendent angulum solidum. 20. *&* 23. *p* 11.
10. Solidum planum est pyramis aut pyramidatum.
11. Pyramis est solidum planum à basi rectilinea æqualiter fastigiatum.

Itaque
Et

1. *Pyramidis hedræ sunt vna plures angulis in basi.*
2. *Pyramis est prima figura solidarum.* *Itaque*
3. *Pyramides æquialtæ sunt vt bases.* 5. c. & 6. p. 12. *Et*

4. *Reciprocæ baſi & altitudine ſunt æquales.* 9. p. 12.

12. Tetraedrum eſt pyramis ordinata à quatuor triangulis comprehenſa. 26. *d.* 11.

Itaque

1. *Tetraedri latera ſunt ſex, anguli plani duodecim, ſolidi quatuor.*

Et

2. *Tetraedra duodecim complent locum ſolidum.*

Et

3. *Si quatuor triangula ordinata & æqualia ſolidis angulis componantur, comprehendent tetraedrum.*

13. Si recta potens ſeſquialterum ad latus trianguli æquilateri ſecetur dupla ratione, duplum ſegmentum perpendiculare trianguli centro, connexum cum eius angulis comprehendet tetraedrum. *e.* 13. *p.* 13.

LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

De Priſmate.

1. PYramidatum eſt ſolidum planum è pyramidibus compoſitum.
2. Pyramidatum eſt priſma aut polyedrum miſtum.
3. Priſma eſt pyramidatum, cuius duo oppoſita plana ſunt æqualia, ſimilia, parallela ſimiliter ſita: reliqua parallelogramma. 13. *d.* 11.

Itaque

Hedræ priſmatis ſunt binario plures angulis in baſi.

4. Planus è baſi & altitudine eſt ſoliditas recti priſmatis.
5. Priſma eſt triplum pyramidis baſi & altitudine æqualis. *e.* 7. *p.* 12.

Itaque

1. *Planus è ſua baſi & triente altitudinis eſt ſoliditas pyramidis baſi & altitudine æqualis.*

Et

2. *Priſmata homogenea æquealta ſunt vt baſes.* 29. 30. 31. 32. p. 11.

Et

3. *Si reciprocantur baſi & altitudine, ſunt æqualia.* 34. p. 11.

Et

4. *Si priſma ſecatur plano oppoſitis hedris parallelo, ſegmenta ſunt vt baſes.* 25. p. 11.

6. Priſma eſt pentaedrum aut è pentaedris compoſitum.
7. Si pentaedra alterum baſis triangulæ, alterum parallelogrammæ ad triangulum duplę ſunt æquealta, ſunt æqualia. 40. *p.* 11.
8. Priſma è pentaedris compoſitum eſt hexaedrum aut polyedrum. Hexaedrum eſt quod ſex hedris quadrangulis continetur; eſtque parallelepipedum aut trapezium.

9. Pa-

9. Parallelepipedum est cuius opposita plana sunt parallelogramma. 24. *p.* 11.

Itaque

1. *Bisecatur plano per diagonios oppositorum laterum.* 28. p. 11.

Et

2. *Si bisecatur duobus planis bisecantibus opposita latera communis bisectio & diagonius, inter se bisecantur.* 39. p. 11.

10. Si tres rectæ sunt proportionales, parallelepipedum mediæ æquatur æquangulo parallelepipedo omnium. *e.* 36. *p.* 11.

11 Parallelepipeda rectangula octo complent locum solidum.

12. Figuratus parallelepipedi rectanguli appellatur solidus, factus à tribus numeris. 17. *d.* 11.

Itaque

2. *Si duo solidi sunt similes, habent proportionalia latera & duos medios proportionales.* 21. d. 7. 19. 21. p. 8.

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

De Cubo.

1. PArallelepipedum rectangulum est cubus aut oblongum.
2. Cubus est rectangulum isoedrum. 25. *d.* 11.

Itaque

1. *Cubi latera sunt duodecim, anguli plani vigintiquatuor, solidi octo.*

Itaque

2. *Si sex quadrata æqualia solidis angulis componantur, comprehendent cubum.*

Et

3. *Si è quadrati angulis perpendiculares lateribus æquales sublimè connectantur, comprehendent cubum.* c. 15. p. 11.

3. Diagonius cubi potest triplum lateris.

4. Si quatuor rectarum continuè proportionalium prima sit dimidia quartæ, cubus primæ erit dimidius ad cubum secundæ. *e.* 33. *p.* 11.

5. Solibus cubi etiam cubus dicitur, solidus nempe æqualium laterum. 19. *d.* 7.

Itaque

Fit à numero in suum quadratum multiplicato.

6. Si recta secetur in duo segmenta, cubus totius æquabitur cubis segmentorum & duplici solido ter comprehenso à quadrato sui segmenti & reliquo segmento.

Itaque

Latus primi cubi singularis est alterum latus secundi solidi, eiusdemque lateris quadratus est alterum latus primi solidi, cuius reliquum latus est latus secundi cubi, eiusdemque reliqui lateris quadratus est reliquum latus secundi solidi.

LIBER VIGESIMVS QVINTVS.

De Polyedris mistis ordinatis.

1. POlyedrum mistum ordinatum est pyramidatum compositum è pyramidibus vertice coëuntibus in centro, & sola basi ordinata eminentibus.
2. Altitudo componentis pyramidis habetur per radium circuli basi circumscripti, perque polyedri semidiagonium.
3. Mistum ordinatum est triangulæ basis aut quinquangulæ.
4. Si quadratus è latere triangulæ basis trifariam diuidatur, latus trientis erit radius circuli basi circumscripti.
5. Mistum ordinatum triangulæ basis est octaedrum aut icosaedrum.
6. Octaedrum est polyedrum mistum ordinatum, quod ab octo triangulis comprehenditur. 27. *d.* 11.

Itaque

1. *Octaedri latera sunt* 12. *anguli plani* 24. *solidi* 6. *Et*
2. *Octaedra nouem complent locum solidum.* *Et*
3. *Si triangula octo æquilatera & æqualia solidis angulis componantur, comprehendent octaedrum.*

7. Si recta è centro quadrati vtrimque perpendicularis æqualis semidiagonio connectatur cum angulis, comprehendet octaedrum. 14.

Itaque *p.* 13.

1. *Diagonius octaedri potest duplum lateris.* *Et*
2. *Si quadratum à latere octaedri duplicetur, duplicati latus erit diagonius.*

8. Icosaedrum est polyedrum mistum ordinatum à viginti triangulis comprehensum. 29. *d.* 11.

Itaque

1. *Icosaedri latera sunt* 30. *anguli plani* 60. *solidi*, 12. *Et*
2. *Si viginti triangula ordinata & æqualia solidis angulis componantur, comprehendent icosaedrum.*

9. Si ordinata quinquangulum duplex & decangulum vnum eidem circulo sic inscribantur, vt latus vtriusque quinquanguli subtendat duo latera decanguli, sex rectæ circulo perpendiculares & radio eius æquales quinque ab angulis alterius quinquanguli connexæ & inter se, & cum angulis reliqui quinquanguli, sexta à centro vtrinque continuata latere decanguli, & connexa illic cum quinque perpendicularibus, hic cum angulis secundi quinquanguli, comprehendent icosaedrum. *e.* 16. *p.* 13.

10. Diagonius, icosaedri est irrationalis ad latus. 16. *p.* 13.

Et

11. Potest quintuplum circularis radij. *è consect.* 16. *p.* 13.
12. Polyedrum mistum ordinatum quinquangulæ basis est, quod à duodecim quinquangulis comprehenditur, & dodecaedrum dicitur.

Itaque

1. *Dodecaedri latera sunt* 30. *anguli plani* 60. *solidi* 20. *Et*
2. *Si duodecim quinquangula ordinata æqualia solidis angulis componantur, comprehendent dodecaedrum.*
13. Si cubi latera rectis rectè bisecentur, ternaque bisegmenta bisecantium in conterminis planis neque concurrentium neque parallelarum, duo vnius tertium teliquæ vicinum proportionaliter ita secentur, vt minora segmenta bisecantem terminent, ternæ extra cubum dictis planis perpendiculares à proportionalium sectionum punctis, æquales majoribus segmentis connexæ duæ ex eadem bisecante inter se & cum vicinis cubi angulis, tertia cum angulis eisdem comprehendent dodecaedrum. 17. *p.* 13.
14. Diagonius est irrationalis ad latus dodecaedri.
15. Si latus cubi secetur proportionaliter, maius segmentum erit latus dodecaedri *cons.* 17. *p.* 13.
16. Solida plana tantum quinque sunt ordinata. *e.* 18. *p.* 13.

LIBER VIGESIMVS SEXTVS.

De Sphæra.

1. SOlidum gibbum est quod comprehenditur à superficie gibba.
2. Estque sphæra aut varium.
3. Sphæra est gibbum rotundum.

Itaque

Sphæra fit conuersione semicirculi manente diametro. 14. d. 11.

4. Maximus sphæræ circulus est, qui sphæram bisecat.

Itaque

1. *Circulus propior maximo maior est remotiore.* *Et*
2. *Æquidistantes à maximo sunt æquales.*
5. Planus è diametro & sextante sphærici est, sphæra.

Itaque

1. *Vt* 21. *ad* 11. *sic cubus diametri ad sphæram.* *Et*
2. *Planus è radio & sextante sphærici est hemisphærium.*
6. Sphæræ habent triplicatam rationem diametrorum. 18. *p.* 12.
7. Quinque corpora ordinata inscribuntur eidem sphæræ conuer-

sione semicirculi habenti pro diametro in tetraedro rectam potentem sesquialterum ad latus tetraedri, in quatuor ordinatis reliquis ordinati ipsius diagonium.

8. Et ratione axis sphærici latera tetraedri, cubi, octaedri, dodecaedri deprehenduntur. *c.* 18. *p.* 13.

9. Si recta æqualis axi sphærico, eique à termino perpendicularis connectatur ad centrum, recta à sectione peripheriæ ad dictum terminum erit latus icosaedri. *e.* 18. *p.* 13.

10. Ex ordinatis quinque corporibus eidem sphæræ inscriptis tetraedrum lateris magnitudine est primum, octaedrum secundum, cubus tertium, icosaedrum quartum, dodecaedrum quintum. *e.* 18. *p.* 13.

LIBER VIGESIMVS SEPTIMVS.

De Cono & Cylindro.

1. Solidum varium est quod comprehenditur à superficie varia & basi circulari.

2. Si varia habent axes diametris basium proportionales, sunt similia. 24. *d.* 11.

3. Varium est conus aut cylindrus.

4. Conus est quod à conico & basi comprehenditur. 4. *d.* 1. *Apollon.*

Itaque

1. *Fit conuersione trianguli rectanguli manente altero crure circa rectum.*

Et

2. *Conus est rectangulus, si crus manens est æquale conuerso, obtusangulus si minus, acutangulus si maius.* c. 18. d. 11.

Itaque

Et

3. *Conus prima figura est variarum.*

Et

4. *Coni æquealti sunt vt bases.* 11. p. 12.

5. *Reciproci basi & altitudine sunt æquales.* 15. p. 12.

5. Cylindrus est quod à cylindraceo & oppositis basibus comprehenditur.

Itaque

Fit conuersione parallelogrammi rectanguli manente altero latere. 21. *d.* 11.

6. Planus è basi & altitudine est soliditas cylindri.

7. Cylindrus est triplus coni basi & altitudine æqualis. 10. *p.* 12.

1. *Planus è cylindri basi & triente altitudinis, est soliditas coni basi & altitudine æqualis.*

Itaque

2. *Cylindri æquealti sunt vt bases.* 11. p. 12.

3. *Reciproci baſi atque altitudine ſunt æquales.* 15. p. 12.
4. *Si cylindrus ſecatur plano baſibus oppoſitis parallelo, ſegmenta ſunt vt axes.* 13. p. 12.
8. Sector ſphæræ eſt ſegmentum ſphæræ, quod foris à ſphærico, intus à conico in centrum terminato comprehenditur, maior concauo, minor conuexo.
9. Planus è diametro & ſextante maioris vel minoris ſphærici eſt ſector maior vel minor.
10. Si maior ſector augeatur intermedio cono, totus erit maior ſectio: ſi minor minuatur, reliquus erit minor ſectio.

ARCHIMEDIS DE SPHÆRA ET CYLINDRO. LIBER PRIMVS.

Ad Dositheum.

ANTEA quidem ad te misi quædam à nobis animaduersa, quorum scripsimus demonstrationes, veluti quod omnis portio comprehensa sub recta linea & rectanguli coni sectione, sesquitertia est trianguli habẽtis eandẽ basim ac portio, eandẽque altitudinẽ: nũc quorumdãoccurentium theorematum fecimus demonstrationes, cuiusmodi sunt hæc: Primum quidem, quod superficies sphæræ quadrupla sit maximi circuli eorum qui in ipsa sunt. Secundũ verò, quod cuiuscumque portionalis sphæræ superficiei æqualis fuerit circulus, cuius radius par sit rectæ lineæ ductæ à vertice in superficiem circuli, quibasis sit ipsius portionis. Ad hæc, quod omnis sphæræ cylindrus sesquialter sit, qui basim quidem habet maximo qui sit in sphæra circulo, altitudinem verò æqualem diametro sphæræ. Superficies verò ipsius cylindri sesquialtera superficiei sphęrę. Hęc quidem demonstrata naturâ præcesserant circa dictas figuras, non tamen fuerant ab his qui ante nos circa Geometriam versati erant, animaduersa, quia harum figurarum nondum fuerat exculta scientia; & qui contulerit istarum cum antiquis, nondum ea reperiet considerata. Quanquam demonstrata plurima fuerint eorum quæ ab Eudoxo circa solida contemplata sunt: veluti, quod omnis pyramis tertia pars sit prismatis basim habentis eandem cum pyramide, paremque altitudinem. Et quod omnis conus tertia pars sit cylindri basim eandem habentis cum cono, & eandem altitudinem. Hæc enim naturâ præexistentia in his figuris, non vni dumtataxat, sed multis qui ab Eudoxo extiterunt, præstantibus Geometris, nouisse contigit. Licebit verò iis qui potuerint, eadem diligentiùs scrutari. Tum debemus Conone viuente ipsa emittere in vulgus. Hunc enim accepimus talia potissimum deprehendere, & ipsis accommodatam proferre demonstrationem. Ar-

bitrati itaque rectè se habere, si hæc inuenta impertitus fuerim iis, qui colunt Mathemata, mittimus tibi quas scripsimus demonstrationes, quasque licebit omnibus qui in Mathematicis versantur, perpendere. Vale. *Scribuntur autem primùm axiomata & hypotheses quæ conueniunt sequentibus demonstrationibus.*

DEFINITIONES.

1. SI fuerint aliquot in plano curuæ lineæ determinatæ, quarum extrema iungant rectæ lineæ, aut sunt totæ in easdem partes, aut nihil habent in alias.

2. Voco autem lineam cauam in easdem partes: in qua duobus quibuslibet assumptis punctis, quæ sunt rectæ inter assumpta puncta, vel omnes in easdem partes lineæ puncta iungentis cadunt, aut aliquæ quidem in easdem partes, quędam secus rectam lineam iungentem puncta, nullæ verò in alias partes.

3. Similiter etiam superficies quędam sunt terminatæ, non quidem plano, sed terminos habent in plano, Et plani in quo terminos habẽt, aut tota vergũt in easdẽ partes, aut nihil habẽt in alteras.

4. In easdem verò partes cauas superficies voco, in quibus si duo sumantur puncta: rectæ lineæ inter puncta mediæ, aut omnes cadunt in easdem partes superficiei, aut, quædam in easdem partes, quædam verò secus eandem partem: nulla verò in partes contrarias.

5. Frustum solidum appello figuram, quæ vbi sphæram Conus secuerit habens verticem in centro sphærę, comprehendetur tam à superficie coni intra sphæram demersa, quàm à superficie sphæræ intra conum contenta.

6. Rhombum verò solidum appello figuram ex duobus conis isosceli bus deformatam, quando habuerint ambo candem basim, conuersos verò vertices in contrarias partes plani basis; ita vt eorum tres iaceant in rectam lineam.

7. Sphærarum portiones similes sunt quæ ex similibus circulorum portionibus nascuntur. *Assumo autem ista.*

Hypotheses.

1. Omnium linearum eadem puncta seu terminos habentium minimam esse rectam.

2. Aliarum verò linearum in plano existentium si iisdem terminentur punctis, easdem esse inæquales.

3. Quando verò duæ extiterint vtræque in eaſdem partes cauæ, & vel altera tota comprehenſa fuerit, vel altera ipſarum, ab alterius ſuperficie & recta linea eoſdem cum ipſa fines habente: vel aliquæ quidem ipſius partes complexæ fuerint, aut aliquas habuerit communes: minorem eſſe comprehenſam.

4. Similiter & ſuperficierum eoſdem habentium limites, ſi in plano fines habuerint, minorem eſſe planam.

5. Alias verò ſuperficies habentes eoſdem fines, ſi in plano terminantur, omnes eſſe inæquales.

6. Si quando verò fuerint ambæ in eaſdem partes cauæ, & vel altera ſuperficies comprehenſa tota ab altera, & plano habente cum ipſa eoſdem limites, vel aliquæ partes contentæ, aut aliquas habuerit communes: minorem eſſe contentam.

7. Adhuc verò & inæqualium linearum, & inæqualium ſuperficierum, imparium denique ſolidorum maius excedere minus, eo quod ſibi ipſi ſæpius additum poſſit ſuperare quamcumque dictarum, & inter ſe collatarum magnitudinem.

8. His ſuppoſitis, ſi circulo inſcribatur figura multangularis: manifeſtum eſt, ambitum inſcripti polygoni minorem eſſe circumferentia circuli.

9. Continens planum maius eſſe contento.

Propoſitio I. *Theorema* I.

SI figura multorum angulorum circulo conſcribatur: ambitus conſcriptæ figuræ maior erit peripheria circuli.

Propoſitio II. *Problema* I.

Duabus magnitudinibus inæqualibus datis, poſſibile eſt duas rectas lineas inuenire, quarum maior habeat ad minorem rationem minorem, quàm maior datarum quantitatum ad minorem.

Propoſitio III. *Probl.* II.

Datis binis magnitudinibus inæqualibus & circulo, poſſibile eſt in ipſo figuram multilateram, ſed æquilateram inſcribere, eidemque aliam conſcribere, ita vt latus conſcriptæ minorem habet rationem ad inſcriptæ latus, quàm maior datarum magnitudinum ad minorem.

Probl. III. *Prop.* IV.

Rurſus duabus datis inæqualibus quantitatibus & ſectore; poſſibile eſt figuram multilateram & æquilateram conſcribere, & aliam inſcribere ſectori, ita vt latus conſcriptæ lateri inſcriptæ ſit in minori ratione, quàm maior quantitatum datarum, earumque minori.

Lemma I.

Lemma I.

Inter duas inæquales quantitates media proportionalis neutri æqualis est: Et ratio primæ ad tertiam vt dupla, maior est ratione primæ ad secundam vt simplici.

Lemma II.

Sub circulo figura multorum laterum & æqualium, vel conscripta vel inscripta fuerit: possibile est alij circulo aliam figuram vel conscribere, vel inscribere, parium numero laterum, & præcedenti similem.

Probl. IV. *Prop.* V.

Dato circulo, duabusque magnitudinibus inæqualibus, polygonum conscribere circulo, eidemque aliud inscribere, ita vt conscriptum habeat ad inscriptum minorem rationem, quàm maior magnitudo ad minorem.

Manifestum I.

Similiter ostendemus, quod duabus magnitudinibus inæqualibus datis & sectore, possibile est circa sectorem, multangularem figuram conscribere, & aliam similem eidem inscribere, ita vt conscripta ad inscriptam minorem habeat rationem, quàm maior magnitudo ad minorem.

Manifestum II.

Manifestum & illud est, quod si detur circulus vel sector, & aliquod spatium possibile sit inscriptas haberi, & conscriptas figuras circulo, vel sectori æquilateras, tum reliquis partibus semper alias, donec segmenta superfint circuli vel sectoris, quæ sint minora subiecto plano. Hæc enim in elementis tradita sunt. *Fortè quia deduci potest ex* I. *decimi Euclidis.*

Lemma.

In data ellipsi figuram describere similem alij in alia ellipsi descriptæ: hoc est, quæ ad suam ellipsim eandem habeat rationem quàm prima ad suam ellipsim.

Probl. V. *Prop.* VI.

Demonstrandum est, quod dato circulo vel sectore & plano: possibile sit circulo vel sectori conscribere figuram, ita vt circumsepta à circumscripta & circulo segmenta, minora sint plano dato.

Theorema II. *Prop.* VII.

✠ Si in cono isosceles pyramis inscribatur, æquilateram habens basim: superficies ipsius sine base, æqualis est triangulo basim quidem habenti æqualem ambitui basis, altitudinem verò perpendiculari demissæ à vertice in vnum ex lateribus basis.

Theor. III. *Prop.* VIII.

✠ Si circa conum isoscelem pyramis conscribatur: superficies pyramidis sine base, æqualis est trigono, basim quidem habenti æqualem ambitui basis, altitudinem verò lateri coni.

Theor. IV. *Prop.* IX.

Si in coni cuiusdam isoscelis circulum, qui coni sit basis, ceciderit linea recta, à cuius extremitatibus protrahantur lineæ rectæ ad verticem coni: triangulus definitus & ab incidente & à lineis actis ad verticem, minor est superficie coni, quæ est à vertice intra protractas.

Theor. V. *Prop.* X.

Si ducantur tangentes circulum qui sit basis coni, & quidem in eodem quo circulus plano existant, & in se mutuò incidant, à punctis verò contactuum, & mutuæ intersectionis ad coni verticem lineæ protrahantur: comprehensa triangula à tangentibus & lineis ad verticem coni protractis, maiora sunt superficie conica inter ipsa comprehensa.

Theor. VI. Prop. XI.

Si in superficie recti cylindri duæ rectæ lineæ fuerint: superficies cylindri inter duas rectas, maior est parallelogrammo comprehenso duabus rectis lineis in superficie cylindri ductis, & lineis earum extrema iungentibus.

Lemma.

In duobus circulis æqualibus si duæ lineæ agantur æquales, diametris minores, à quarum extremis punctis lineæ ducantur tangentes circulos, ab eodem latere concurrent, & erunt tangentes vnius circuli æquales tangentibus alterius. Ab extremitatibus verò diametri non possunt duci tangentes quæ concurrent.

Theor. VII. *Prop.* XII.

Si in superficie cuiusdam cylindri recti capiantur duæ lineæ rectæ, à quarum extremis punctis educantur lineæ tangentes circulos qui bases sunt cylindri, existantque in eodem cum circulo plano, & simul concurrant: parallelogramma comprehensa sub tangentibus & cylindri lateribus, maiora sunt cylindricæ superficie, quæ est inter rectas ductas in superficie cylindri.

Manifestum III.

✠ His ergo demonstratis, ex dictis patet, quod si in isoscele conopyramis inscribatur, superficies pyramidis sine base minor erit conicâ superficie.

Manifestum IV.

✠ Et quod si circa conum isoscelem pyramis conscribatur ; superficies pyramidis sine base maior est superficie coni sine base quæ illi contermina est.

Manifestum V.

✠ Ex iisdem demonstratis manifestum, quod si in recto cylindro prisma inscribatur, superficies prismatis ex parallelogrammis composita, minor est superficie cylindri sine base.

Manifestum VI.

✠ Etiam, si circa rectum cylindrum prisma conscribatur, superficies prismatis quæ constat parallelogrammis, maior est cylindrica superficie sine base.

Theor. VIII. *Prop.* XIII.

✠ Omnis cylindri recti superficies sine base, æqualis est circulo, cuius ea, quæ ex centro, media proportionalis est inter latus & diametrum basis cylindri.

Theor. IX. *Prop.* XIV.

✠ Omnis coni isoscelis superficies sine basi, æqualis est circulo, cuius radius medius est proportionalis inter latus coni & radium circuli, qui est coni basis.

Theor. X. *Prop.* XV.

✠ Cuiuscumque coni isoscelis superficies ad basim, eam habet rationem, quam latus coni ad radium circuli qui basis est coni.

Lemma I.

Si duæ rectæ prima & secunda secentur: rectangulum comprehensum sub vtraque, æquale erit tribus rectangulis, primo sub prima parte primæ, & prima parte secundæ: secundo sub secunda parte primæ, & eadem prima secundæ: tertio sub secunda parte primæ & tota secunda.

Lemma II.

Si conus isosceles plano secatur basi parallelo, intersectione fit circulus.

Lemma III.

Circulum ex circulo auferre vt remaneat circulus.

Theor. XI. *Prop.* XVI.

Si conus isosceles plano secatur basi parallelo: superficiei coni mediæ inter plana parallela, æqualis est circulus, cuius radius medius est proportionalis inter partem lateris coni comprehensam parallelis planis, & lineam æqualem radiis duorum circulorum qui habentur in planis parallelis.

Lemma I.

Coni æqualem habentes altitudinem, eam inter se rationẽm habent, quam baſes.

Lemma I.

Coni verò habentes æquales baſes, eam inter se rationem habent quam altitudines.

Lemma III.

Si cylindrus plano ſecatur parallelo ad baſim: cylindrus eſt ad cylindrum, vt axis ad axem.

Lemma IV.

Coni qui eaſdem baſes habent, & altitudines, cum cylindris, in eadem ſunt ratione quàm cylindri.

Lemma V.

Et æqualium conorum reciprocæ ſunt baſes altitudinibus: Atque quorum reciprocæ fuerint baſes altitudinibus, ipſi æquales ſunt.

Lemma VI.

✣ Et coni quorum diametri baſium eandem rationem habent, quam axes, ſeu quam altitudines: ſe habent in triplicata ratione dimetientium quæ in baſibus. *Quæ omnia apud Euclidem lib.* 12. *Elementorum habentur.*

Theor. XII. *Prop.* XVII.

✣ Si fuerint duo coni iſoſceles, & fuerit alterius ſuperficies æqualis baſi alterius, linea verò à centro baſis educta perpendiculariter in latus coni, altitudinis extiterit æqualis; coni erunt æquales.

Theor. XIII. *Prop.* XVIII.

✣ Cuilibet rhombo ex iſoſcelibus conis compoſito, æqualis eſt conus, qui baſim habeat æqualem ſuperficiei alterius coni eorum qui rhombum componunt: altitudinem verò æqualem perpendiculari à vertice alterius coni, in vnum latus primi illius deducto.

Theor. XIV. *Prop.* XIX.

Si conus æquicrurius plano æquidiſtanti baſi ſecetur; tum à circulo facto conus contraſcribatur, verticem habens centrum baſis, factuſque rhombus auferatur à toto cono: reſiduo æqualis eſt conus qui baſim habeat æqualem ſuperficiei coni mediæ inter parallela plana: altitudinem verò æqualem perpendiculari ductæ à centro baſis in vnum latus.

Lemma problematicum.

Duorum conorum inuerſim ſumptorum in trunco coni ſecto plano parallelo baſi, eandemque habentium cum trunco altitudinem, differentiam notare.

Theor. XV. *Prop.* XX.

Si rhombi ex æquicruriis conis compositi alter conus plano secetur parallelo basi: à circulo verò tum facto conus deorsum describatur verticem habens eundem quàm alter conus: à toto verò rhombo diuellatur factus rhombus: residuo æqualis erit conus habens basim æqualem superficiei coni, mediæ inter parallela plana: altitudinem verò parem perpendiculari à vertice huius coni in illius coni latus demissæ.

Lemma I.

Binæ quælibet rectæ lineæ circulo descriptæ, quarum extrema distant æqualibus arcubus, sunt inter se parallelæ.

Lemma II.

Si à puncto in circumferentia circuli capiantur duo arcus æquales, quorum extrema iungantur recta linea: diameter à puncto sumpto ducta per centrum circuli, hanc lineam iungentem arcuum extrema bifariam diuidet, & ad angulos rectos.

Theor. XVI. *Prop.* XXI.

Si circulo multangularis, parilatera, & æquilatera figura inscribatur: atque aganturrectæ iungentes latera figuræ, ita vt parallelæ sint vni ex his quæ duobus figuræ lateribus subtenduntur: omnes iungentes ad circuli diametrum eam habent rationem, quam altera subtendens dimidium vnius ex minimis habet ad multangularis figuræ latus.

Theor. XVII. *Prop.* XXII.

Si in sectione circuli polygonum inscribatur, latera habens sine basæ æqualia, & numero pari: agantur verò rectæ parallelæ basi, coniungentes figuræ latera: omnes hæ ductæ lineæ cum dimidio basis ad altitudinem sectionis, eandem rationem habebunt quam habet recta linea ducta ab extremitate diametri in figuræ latus, ad ipsum figuræ latus. *Vide longum corollarium Archimedis.*

Theor. XVIII. *Prop.* XXIII.

Inscriptæ in sphęra figurę superficies ęqualis est circulo, cuius radius potest rectangulum comprehensum sub latere figuræ & lineæ æquali omnibus iungentibus latera figuræ, ita vt fiant quadrilatera in ipsa, existentibusque parallelis rectæ lineæ duo latera figuræ subtendenti.

Theor. XIX. *Prop.* XXIV.

✠ Figuræ in sphæra inscriptæ superficies comprehensa sub conicis superficiebus, minor est quàm quadrupla maximi circuli eorum qui sunt in sphæra.

Theor. XX. *Prop.* XXV.

✠ Inſcriptæ in ſphæra figuræ comprehenſæ ſub conicis ſuperficiebus, æqualis eſt conus qui baſim quidem habeat circulum æqualem ſuperficiei figuræ inſcriptæ in ſphæra: altitudinem verò æqualem lineæ à centro ſphæræ in vnum ex lateribus figuræ planæ perpendiculariter eductæ.

Theor. XXI. *Prop.* XXVI.

✠ Inſcripta ſphæræ figura ſolida, comprehenſa ſub ſuperficiebus conicis, minor eſt quàm quadrupla coni, qui baſim quidem habeat æqualem maximo circulo eorum qui ſunt in ſphæra: altitudinem verò æqualem radio ſphæræ.

Lemma.

Figuræ æquilateræ & æquiangulæ circulo conſcriptæ, circulum conſcribere eodem cum primo centro. *Vide corollarium Archimedis.*

Theor. XXII. *Prop.* XXVII.

✠ Superficiei conſcriptæ ſolidæ figuræ circa ſphæram, æqualis eſt circulus, cuius linea ducta à centro poteſt æquale comprehenſo ſub vno latere figuræ, exiſtentibus parallelis alicui earum quę duo latera figuræ ſubtendunt.

Theor. XXIII. *Prop.* XXVIII.

✠ Solidę figurę conſcriptæ circa ſphæram, ſuperficies maior eſt quàm quadrupla maximi circuli eorum qui in ſphęra.

Lemma.

Si duo circuli idem centrum habuerint, & aliqua linea ducta ſit ab extremitate diametri maioris tangens minorem circulum, maiorem que ſecans: linea ducta ab altero extremo huius lineæ ſecantis ad alterum diametri maioris circuli extremum, æqualis eſt diametro minoris circuli.

Manifeſtum VII.

Circumſcriptę figurę ſolidę circa minorem ſphæram æqualis eſt conus, qui baſim quidem habeat circulum æqualem ſuperficiei ſolidæ figuræ, altitudinem verò æqualem radio ſphærę.

Manifeſtum VIII.

Figura ſolida circumſcripta circa minorem ſphęram, maior eſt quadruplo coni baſim quidem habentis maximum circulum eorum qui in ſphæra, altitudinem verò radium ſphæræ.

Lemma I.

Propoſitarum quatuor magnitudinum ſi prima fuerit ad tertiam, vt ſecunda ad quartam: media proportionalis inter primam & ſecundam erit ad mediam proportionalem inter tertiam & quartam,

vt est prima ad tertiam, vel secunda ad quartam.

Lemma II.

Duarum figurarum similium, quarum altera conscribitur, altera inscribitur eidem circulo, vel circuli portioni, lineæ latera iungentes eam habent inter se rationem quàm figurarum latera.

Theor. XXIV. *Prop.* XXIX.

Si fuerit in sphæra figura solida inscripta, & alia circumscripta sub similibus figuris planis eodem quo suprà modo reuolutis: superficies circumscriptæ figuræ solidæ ad inscriptæ superficiem, duplicatam rationem habet, scilicet quam latus circumscriptæ figuræ planæ circa maximum circulum ad latus inscriptæ planæ figuræ in eodem circulo. Ipsa verò solida figura quæ circumscribitur ad figuram solidam quæ inscribitur, triplam rationem habet eiusdem rationis.

Theor. XXV. *Prop.* XXX.

✠ Cuiuscumque sphæræ superficies quadrupla est maximi circuli eorum qui sunt in ipsa. *Hinc constat, datæ sphæræ superficiei dari circulum æqualem.*

Lemma Problematicum I.

Inter duas datas magnitudines inæquales, duas alias reperire continuè proportionales in ratione Arithmetica.

Lemma II.

Inter duas datas magnitudines quantitatem reperire ad quam datarum prima minorem rationem habeat, quàm sit ea quæ triplicata producit eam rationem quam prima datarum habet ad secundam.

Theor. XXVI. *Prop.* XXXI.

Omnis sphæra quadrupla est coni basim quidem habentis æqualem maximo circulo eorum qui in sphæra, altitudinem verò radium sphæræ.

Manifestum IX.

Manifestum quod omnis cylindrus basim quidem habens maximum circulum eorum qui sint in sphæra, altitudinem verò æqualem diametro sphæræ, sesquialter est sphæræ. Et superficies ipsius cum basibus etiam sesquialtera est superficiei sphæræ.

Lemma.

Si sit in sphæra circulus, per cuius diametrum planum agatur perpendiculare ad ipsum circulum, secat hoc planum sphæram in æqualia, & maximum sphæræ circulum offert.

Theor. XXVII. *Prop.* XXXII.

Superficies inscriptæ figuræ solidæ in portione sphæræ, æqualis est circulo, cuius radius potest æquale comprehenso rectangulo sub

vno latere inscriptæ planæ figuræ in portione maximi circuli, & linea æquali omnibus parallelis basi portionis cum semisse diametri basis.

Lemma.

Per punctum axis sphæræ agere planum perpendiculare ad axem, quod sphæram dirimat in duo segmenta. *Videatur porisma, seu coroll. Archim.*

Theor. XXVIII. *Prop.* XXXIII.

Superficies inscriptæ figuræ in portione sphæræ minor est circulo, cuius radius est æqualis lineæ eductæ à vertice portionis in circumferentiam circuli qui basis est portionis.

Theor. XXIX. *Prop.* XXXIV.

Figura solida inscripta in portione sub conicis superficiebus contenta, vnà cum cono, basim quidem eandem habenti quam figura, verticem verò centrum sphæræ, æquale est cono basim habenti æqualem superficiei figuræ, altitudinem verò perpendiculari ductæ à centro sphæræ in vnum ex figuræ lateribus. *Quod intellige de portione sphæræ hemicyclio minori.*

Lemma I.

Figura solida in sphæræ portione hemisphærio æquali inscripta, conicisque superficiebus contenta, æqualis est cono basim habenti æqualem superficiei figuræ: altitudinem verò æqualem perpendiculari excidenti à centro sphæræ, & basis portionis in figuræ planæ latus.

Lemma II.

Figura item solida in sphæræ portione hemisphærio maiore descripta, & enata ex reuolutione planæ ęquilateræque figuræ, ac laterum quaternario dimensorum, demũ ita in portione circuli sphæræ maximi descriptę, vt diameter circuli coniungat duos figurę ipsius planæ angulos, ęqualis est duobus conis, quorum primus habeat basim parem superficiei ipsius solidę figuræ, altitudinem verò æqualem perpendiculari ductæ à centro basis in figuræ planæ latus: secundus verò qui basim habeat basim portionis, verticem verò in centro sphæræ.

Lemma III.

Figura solida in sphærę portione hemisphærio maiore descripta conica simul ac cylindrica superficiebus contenta, æqualis est septuplo coni qui basim habeat eandem quam figura, verticem verò centrum sphæræ.

Lemma IV.

Figura ſolida in ſphæræ portione hemiſpæhrio maiore deſcripta, & nata ex reuolutione figuræ planæ in circuli ſphæræ maximi portione, ita inſcripta vt diameter ſphæræ vel circuli maximi incidat in latera oppoſita ad angulos obliquos, æqualis eſt tum cono qui baſim habeat parem ſuperficiei figuræ, & altitudinem æqualem perpendiculari à centro ſphæræ demiſſæ in plan figur latus, tum alij cono qui baſim habeat baſim figuræ ſolidæ, verticem verò centrum ſph æræ : ſi tamen demeris differentiam coni ad baſim trunci qui fit prope centrum à cono ad verticem, qui fit ſuper circulo tanquam baſi, cuius eſt diameter pars diametri ſphæræ. *Videatur coroll. Archim.*

Manifeſtum X.

Et patet quod ſuperficies deſcriptæ figuræ ſolidæ circa ſegmentum ęqualis eſt circulo, cuius radius poteſt rectangulum comprehenſum ſub vno latere figuræ planę, & omnibus iungentibus angulos figurę planę, & adhuc dimidia baſe ductæ planę figurę. Inſcripta ſolida figura inſcripta eſt in portione maioris ſphęræ. Hoc verò manifeſtum per hoc quod priùs ſcriptum eſt.

Theor. XXX. *Prop.* XXXV.

Figurę ſolidę circa ſphæræ portionem conſcriptæ ſuperficies maior eſt circulo, cuius radius æqualis eſt lineæ ductę à vertice portionis in circumferentiam circuli, qui baſis eſt portionis.

The. XXXI. *Prop.* XXXVI.

Fit verò & circumſcripta ſolida figura circa portionem cum cono, cuius baſis eſt circulus circa diametrum; vertex verò centrum æqualis eſt cono, cuius baſis quidem ęqualis eſt ſuperficiei figurę, altitudo verò lineæ à centro in latus perpendiculari ductæ, quæ vtique ęqualis eſt radio ſphæræ. *Videantur duo corollaria; & manifeſtum* II. *quod ita concludit.*

Manifeſtum XI.

Circumſcriptæ figurę ſolidæ ſuperficies ad inſcriptę ſolidę figurę ſuperficiem duplicatam rationem habet quam latus circumſcriptæ figuræ planę habet ad latus inſcriptæ figuræ planæ. At verò figura ſolida cum cono, triplicatam hab et eiuſdem rationem.

Th. XXXI. *Prop.* XXXVI.

Cuiuſcumque portionis ſphæræ minoris ſemicirculo ſuperficies ęqualis eſt circulo, cuius radius æqualis eſt lineæ à vertice portionis in peripheriam ductæ circuli, qui baſis eſt portionis ſphæræ.

Th. XXXII. *Prop.* XXXVII.

✠ Et si maior fuerit hemispherio portio, similiter ipsius superficies æqualis est circulo, cuius radius æqualis est lineæ ductæ à vertice ad circumferentiam circuli, qui basis est portionis.

Th. XXXIII. *Prop.* XXXVIII.

Omni segmento sphærę æqualis est conus qui basim quidem habeat æqualem superficiei segmenti sphæræ, quæ sectioni respondet, altitudinem verò æqualem radio sphærę.

ARCHIMEDIS
DE SPHÆRA
ET CYLINDRO.
LIBER SECVNDVS.
Dositheo S.

ANTEA quidem mandasti mihi, scriberem eorũ problematum demõstrationes, quæ priùs ipse proposuerã Cononi. Accidit verò eorũ plurima scribi inter theoremata, quorum priùs ad te misi demonstrationes: sicuti quod prop. 30. 36. 37. manifesto 9. & 38. prop. libri præcedentis demonstratum est. Quotquot enim horum theorematum & problematum inter illa scribuntur, in hoc libro exscripta ad te misi. Quæcumque verò inueniuntur alia, contemplationem puta de helicibus, & de conoidibus, enitar breui mittere. Primum autem problematum erat eiusmodi, sphærę datæ planum spatium inuenire æquale superficiei sphæræ. Est verò hoc manifestum & demonstratum ex dictis theorematibus, præsertim verò ex 30. propositione.

Problema I. *Propositio* I.

Secundum erat · Dato cono vel cylindro, sphæram inuenire cono vel cylindro æqualem.

Lemma I.

Lineam conchoidem describere.

Lemma II.

Linea conchoidis vndequaque verticis accedit ad lineam normalem, (modò ex perpendicularibus distantia perpendatur) quò magis recedit à vertice.

Lemma III.

Inter conchoidem & normalem non potest duci linea quin secet conchoidem.

Lemma IV. *Probl.*

Angulo dato & puncto, extra lineas angulum datum concipientes, ducere à puncto dato lineam, cuius pars à lineis angulum datum concipientibus intercepta æqualis sit alicui datæ lineæ.

Lemma V.

Si primum fuerit ad secundum vt tertium ad quartum, erit primum ad dimidium secundi, vt duplum tertij ad quartum.

Lemma VI.

Inter duas datas lineas inæquales duas medias proportionales inuenire.

Lemma VII.

Si diametri duo sumantur ad normam in dato circulo, & vtrimque alterutrius recesentur duo arcus æquales, à quibus duæ perpendiculares excitentur ad alteram diametrorum, à cuius deinde extremitate ad arcum exteriorem ducatur linea: hæc linea ita diuidit proximam ex perpendicularibus, vt inter partem constituentem angulum rectum cum diametro, & partem maiorem diametri, relinquantur mediæ proportionales secta hæc perpendicularis & reliqua diametri pars. *Qui modus complectitur picturam lineæ cissoideæ, seu hederaceæ Dioclis.*

Lemma VIII. *Probl.*

Inter duas datas inuenire duas medias proportionales, mediante linea cissoide.

Lemma IX.

Modum Spori exponere.

Lemma X.

Si quatuor lineæ continuè proportionales decussatim, & ad angulos rectos constituantur, ita vt prima & quarta angulum simul, tum secunda & tertia alium simul angulum componant, persiciaturque ex secunda & tertia rectangulum, descriptæ parabolæ seu rectanguli coni sectiones, diametris quidem secunda & tertia, rectis verò iuxta quas possunt ordinatim applicatę, prima & quarta sese secabunt

in angulo rectanguli constituti sub secunda & tertia. *Vnde modus Menechmi qui fit corporum sectione explicatur. Sed & vnius solius parabolæ beneficio Mathematicus nobilissimus idem inuenit.*

Lemma XI. *Probl.*

Duas medias proportionales inter duas datas ex modo Menechmi inuenire. *Sed & anguli trisectionem, & alia plurima non inuenta hactenus, is qui supra, parabolæ beneficio reperit.*

Theor. I. *Prop.* II.

✣ Omni portioni sphæræ æqualis est conus qui basim quidē habeat eandem ac portio, altitudinem verò lineam rectam quæ ad altitudinem portionis in ea sit ratione, qua composita ex radio sphæræ, & ex altitudine reliquę portionis ad ipsam altitudinem reliquæ portionis.

Probl. II. *Prop.* III.

Datam sphæram plano secare, ita vt superficies segmentorum rationem inter se inuicem habeant eandem quam sit alia data.

Lemma I.

Si fuerint quatuor rectæ lineæ continuè proportionales, est quadratum secundæ ad quadratum tertiæ, vt prima ad tertiam, vel quadratum primæ ad quadratum secundæ, vt secunda ad quartam.

Lemma II.

Si inter duas quantitates eiusdem speciei, aliquæ aliæ homogenæ ponantur: ratio extremarum, componitur ex rationibus intermediarum.

Probl. III. *Prop.* IV.

Datam sphæram secare, ita vt segmenta sphęræ inter se rationem habeant eandem quam quæ data sit.

Lemma I.

Duabus datis rectis lineis in ratione dupla, & terminis alicuius rationis: diuidere minorem illarum in ratione data; aut efficere vt sicut sunt duo termini simul rationis datæ ad consequentem, ita fiat minor ad inuentam; tum ita secare compositam ex vtraque, vt quadratum maioris sit ad quadratum partis, vt est reliqua pars ad inuentam.

Lemma II.

Duabus datis rectis lineis inæqualibus & rectilineo proposito, ita secare maiorem, vt quemadmodum fuerit altera partium resectæ ad minorem lineam, ita sit spatium propositum rectilineum ad quadratum alterius portionis sectæ lineæ. *Huc Eutocij modus pertinet.*

Lemma III.

Propoſita linea, eaque ſecta, ita vt partes ſint in ratione dupla: parallelepipedum conſtructum baſe quadrato maioris partis, & altitudine minori portione, maximum eſt omnium quæ pariter confici poſſunt ex alia quacumque ſectione eiuſdem lineæ. *Vide confectionem probl. Archimedei: nempe quomodo ſphæra data ita ſecetur, vt ipſius ſegmenta rationem datam habeant.*

Lemma IV.

Si fuerint duo ſphærarum ſegmenta ſimilia, coni recti huiuſmodi ſegmentis æquales, inter ſe quoque ſunt ſimiles.

Probl. IV. *Prop.* V.

Dato ſegmento ſphæræ, ſimile & alij dato æquale idem ipſum conſtituere.

Probl. V. *Prop.* VI.

Datis duobus ſphæræ ſegmentis, ſiue eiuſdem, ſiue non, inuenire ſegmentum ſphæræ, quod ſit alteri datorum ſimile, ſuperficiem verò habeat æqualem ſuperficiei ſegmenti alterius.

Probl. VI. *Prop.* VII.

A data ſphæra ſegmentum plano ſecare, ita vt ſegmentum ad conum baſim habentem eandem cum ſegmento, & æqualem altitudinem, datam rationem habeat.

Lemma I.

Si cuique duarum linearum inæqualium eadem, vel quæque duarum æqualium addatur: erit maior inæqualium ad minorem inæqualium in maiori ratione, quàm compoſita ex maiori inæquali & altera æquali ad compoſitam ex minori inæquali, & altera æquali.

Lemma II.

Trium linearum, ſi prima ad ſecundam in minori ratione eſt quàm ſecunda ad quartam; rectangulum ſub prima & tertia minus erit ſecundæ quadrato. Contra maius erit, ſi prima ad ſecundam maiorem rationem habeat quàm ſecunda ad tertiam.

Lemma III.

Si quatuor magnitudinibus propoſitis, quod fit ſub prima & quarta minus eſt eo quod fit ex ſecunda & tertia: prima ad ſecundam minorem rationem habebit quàm tertia ad quartam.

Lemma IV.

Si trium linearum primæ quadratum habeat maiorem rationem ad quadratum ſecundæ quàm ſecunda habet ad tertiam: prima habebit ad tertiam maiorem rationem quàm ſit ratio ſeſquialtera rationis

ſecundæ ad tertiam.

Lemma V.

Si linea duobus punctis inæqualiter diuiditur: rectangulum quod ſit ex duabus partibus medietatis ſigno proximioribus, maius eſt eo quod ſit ex inæqualioribus partibus, magiſque à medio diſſitis.

Theor. II. *Prop.* VIII.

Si ſphæra plano ſecetur non per centrum, maius ſegmentum ad minus minorem quidem rationem habet quàm ſit dupla eius quam habet maioris ſegmenti ſuperficies ad minoris ſuperficiem, maiorem verò quàm ſit ſeſquialtera eiuſdem.

Lemma I.

Si proponantur duo coni, quorum baſis primi habeat maiorem rationem ad baſim ſecundi, quam altitudo ſecundi ad altitudinem primi, primus conus eſt maior ſecundo.

Lemma II.

Lineæ datæ lineam reperire potentia ſubduplam.

Lemma III.

Si fuerint quinque lineæ continuè proportionales, vt erit prima ad quintam, ſic erit quadratum ſecundæ ad quadratum quartę.

Theorema II. *Prop.* IX.

Sphæricorum ſegmentorum ſub æquali ſuperficie contentorum maximum eſt hemiſphærium.

ARCHIMEDIS DE CIRCVLI Dimensione Liber.

Propositio I. *Theorema* I.

OMNIS circulus æqualis est triangulo rectangulo, cuius radius est par vni eorum quæ sunt circa rectum angulum: circumferentia verò basi.

Prop. II. *Theor.* II.

✠ Circulus ad quadratum suæ diametri, rationem habet quam vndecim ad quatuordecim.

Lemma I.

✠ Si duæ lineares quantitates in aliquot partes diuidantur: rectangula quæ ex singulis partibus vnius fiunt per alterius segmenta, æqualia sunt toti ab integris comprehenso.

Lemma II.

✠ Si rectangulum continetur sub duabus congeneis & linearibus quantitatibus, vt se habebit mensura ad alteram ipsarum, ita se habebit quod fit ex altera, & mensura ad totum rectangulum.

Lemma III.

✠ Si fuerint quatuor quantitates proportionales, numerus qui multiplicauerit aut diuiserit primum vt faceret secundum, idem multiplicat aut diuidit tertium vt producat quartum.

Lemma IV.

Dato rectangulo eiusque altero latere, dare ignotum latus.

Lemma V.

Dati in numeris quadrati latus inuenire.

Lemma VI.

Noti quadrati latus ignotum Geometricè cognoscere.

Lemma VII.

Si quatuor magnitudinum prima ad secundam maiorem rationem habuerit quàm tertia ad quartam, sumantur autem primæ & rer-

quemultiplices: æquemultiplex primæ habebit maiorem quotiæ æqu

ni sectionè vocetur rectangula conois, vel rectangulum conoides.

2. Et axem quidem ipsius, illam manentem diametrum vocari.

3. Verticem verò punctum secundùm quod axis tangit superficiem conoidis.

4. Et si planum tetigerit figuram rectangulæ conoidis, aliudque planum illi parallelum ductum secuerit aliquam particulam conoidis: basim quidem resectę portionis vocari planum comprehensum à conoide in resecante plano.

5. Verticem verò punctum, in quo illud aliud planum tangit conoidem.

6. Axem demum conclusam in portione partem rectæ lineæ, quæ ducitur ab apice portionis parallelo axi conoidis.

7. De amblygonia verò conoide supponebamus quidem ista. Si in eodem plano fuerint obtusi anguli coni sectio, & ipsius diameter, tum lineæ quæ dicuntur proximæ sectioni coni, manente verò diametro circumuoluatur planum, in quo sunt dictæ lineæ proximę, donec redierit vnde profectum fuerit: istæ quidem lineæ sectioni obtusi anguli coni proximæ, manifestò conum isoscelem comprehendent, cuius vertex erit punctum, in quod concurrunt lineæ proximę: axis verò diameter manens.

8. Fihura verò comprehensa sub obtusi anguli coni sectione, amblygoniam seu obtusiangulum conoidem vocari.

9. Axem verò ipsius manentem, diametrum.

10. Verticem autem punctum secundùm quod tangit axis superficiem conoidis.

11. Cæterùm conum conceptum sub proximis sectioni amblygonij coni comprehendentem conoidem appellari.

12. Lineam verò rectam, mediam inter verticem conoidis, & verticem coni comprehendentis conoidem adhærentem axi nuncupari.

13. Et si amblygoniam conoidem tetigerit aliquod planum, & huic tangenti plano, aliud planum agatur parallelum, quod secet portionem conoidis: basim quidem resectæ portionis appellari planum comprehensum sub sectione conoidis, in secante plano.

14. Verticem verò punctum secundum, quod planum conoidem tangens ipsam attingit.

15. Axem verò comprehensam in segmento partem lineæ: quæ ducitur per verticem segmenti, & apicem coni comprehendentis conoidem.

16. Et quæ demum media est inter dictos vertices adiectam axi vocitari.

Lemma.

Duabus datis lineis duas alias inuenire & efficere, vt quemadmodum fuerit prima datarum ad secundam, ita sit quadratum prioris inuentæ ad quadratum posterioris.

Problma 1. 2. *&* 3.

Parabolem, hyperbolem, & ellipsim in plano describere.

Lemma.

Dato quadrato, & altero latere eorum, sub quibus contineatur rectangulum illi quadrato æquale, reliquum latus cognoscere.

Problema.

Ex data ellipseos portione integram ellipsim cognoscere.

✠ 17. Rectangulæ igitur conoides omnes similes sunt.

✠ 18. Amblygoniarum verò conoidum similes illæ vocentur quarum & coni comprehendentes conoides similes fuerint. Similes portiones sectionum coni Apollonius definiuit.

In quarum singulis ductis lineis basi parallelis numero æqualibus, sũt ipsæ parallelæ & bases ad abscissas diametrorum partes sumptas à verticibus in iisdem rationibus, tum abscissæ ipsæ ad abscissas.

19. De sphęroidibus verò figuris supponebamus ista. Si acutianguli coni sectio manente maiori diametro reuoluatur, donec redeat rursus vnde profecta est, comprehensam figuram ab oxygonij coni sectione oblongam sphæroidem vocari. Si verò manente minore diametro rouoluatur acutianguli coni sectio, donec redeat vnde prodierit, constitutam figuram ab acutianguli coni sectione, prolatam sphæroidem nuncupari.

20. Vniuscuiusque verò sphæroidis axem appellari manentem diametrum.

21. Verticem verò punctum quo axis tangit superficiem sphæroidis.

✠ 22. Centrum autem vocati medium axis.

23. Diametrum denique per centrum ad angulos rectos ductam axi.

✠ 24. Et si sphæroidum figurarum vtramuis plana parallela tetigerint non secantia: tangentibus verò his planis aliud parallelum planum agatur secans sphæroidem: factarum quidem portionum basim vocari comprehensam in sphæroide particulam plani secantis.

✠ 25. Vertices verò puncta quibus parallela plana sphæroidę tãgunt

26. Axès autem receptas in portionibus particulas rectæ earum apices coniungentis.

27. Similes verò vocari sphæroideas figuras, quarum axes ad diametros eandem rationem habent.

28. Segmenta verò spæroidearum figurarum & conoidearum similia vocari, si dirempta fuerint ex similibus figuris, & similes habuerint bases, & axes eorum vel recti existentes ad plana basium, vel angulos æquales constituentes ad homologas basium diametros eandem rationem habuerint mutuò ad homologas basium diametros.

Demonstratis verò huiusmodi theorematibus, per ipsa reperiuntur theoremata multa & problemata, quale est istud: Quod similes sphæroides & similium tam sphæroidearum figurarum quàm conoidearum segmenta triplicem axium rationem inter se habeant.

Et rursus, quod in æqualibus sphæroideis figuris quadrata dimetientum reciprocè æquipollent axibus.

Et si in sphæroideis figuris quadrata dimetientium æquipollent reciprocè axibus, æquales sunt sphæroides.

Præscribentes igitur & theoremata & subsidia, quæ necessaria sunt ad demonstrationes illorum, postea tibi quæ proposita sunt, scribemus. Vale.

SVBSIDIA.

1. SI conus plano secatur in omnia coni latera coincidente, sectio erit vel circulus vel acutianguli coni sectio.

2. Si quidem ergo circulus fuerit sectio: manifestum est comprehensum ab ipsa segmentum ad verticem vsque coni, conum esse.

3. S verò sectio fuerit ellipsis: deducta à cono figura vsque ad verticem coni, segmentum coni nuncupetur.

4. Segmenti verò basis dicatur planum comprehensum sub ellipsi.

5. Vertex autem punctum quod idem est apex coni.

6. Axis demum iuncta linea à vertice ad centrum ellipseos.

7. Atque si cylindrus duobus planis parallelis secatur coincidentibus in omnia cylindri latera: fient vel circuli vel acutiangulorum conorum sectiones æquales, & inter se similes.

8. Si quidem igitur sectiones circuli fiant: manifestum quod resecta à cylindro figura inter parallela plana, cylindrus erit.

9. Si verò & sectiones acutiangulorum conorum sectiones fuerint:

excepta è cylindro figura inter parallela plana, frustum cylindri appelletur.

10. Huius autem frusti basis quidem dicatur, quodlibet planorum conceptorum sub acutiangulorum conorum sectionibus.

11. Axis verò recta quæ coniungit centra sectionum acutiangulorum conorum: eritque ipsa in eadem recta linea cum axe cylindri.

12. Diametrum voco cuiuscumque segmenti lineam quæ bifariam secat omnes rectas ductas in segmento basi ipsius æquidistantes.

13. Similia cylindri frusta, similiaque coni segmenta sunt, quæ similibus insistunt basibus, quarumque axes facunt æquales angulos ad similes basium diametros, ad easque pares rationes habent.

Propositio prima.

Si fuerint magnitudines quotcumque æquali sese excedentes, fueritque excessus æqualis minimę: Et aliæ item magnitudines, numero quidem æquales illis, magnitudine verò singulæ pares maximæ: omnes quidem magnitudines, quarum vnaquæque æqualis est maximæ omnium æquali sese excedentium, minores sunt quàm duplę: reliquarum verò verò sine maxima maiores, quàm duplæ.

Prop. II.

Si magnitudines quotlibet multitudine aliis magnitudinibus æqualibus numero binæ, eandem rationem habuerint similiter ordinatæ: ponantur verò primæ magnitudines ad alias magnitudines, vel omnes, vel aliquæ, earum in quibusuis rationibus, tum secundæ ad alias magnitudines homologæ in iisdem rationibus: omnes primæ magnitudines ad omnes, quibus conferantur, eandem rationem habebunt, quam habent omnes secundæ magnitudines ad omnes, quibus proponuntur.

Prop. III.

Si fuerint lineæ inter se æquales quotlibet numero, ad quarum vnamquamque accedat spatium excedens forma quadrata, fuerint verò latera excedentium quadratorum, ex æquo alia aliis maiora, & excessus æqualis eorum minimo: assumantur verò & alia spatia superioribus æqualia numero, sed magnitudine singula sint æqualia maximo illorum: hæc ad omnia quidem alia spatia minorem rationem habebuut ea, quam habet linea æqualis duabus, lateri scilicet maximi excedentis quadrati, & vni ex æqualibus assumptis ad æqualem duabus, tertiæ nimirum parti dicti lateris maximi quadrati, & dimidiæ vnius æqualium: maiorẽ verò hac eadem ad reliqua spatia inæ-

qualia dempto maiori habebunt.

Manifestum I.

Si coni sectionem aliquot lineæ tetigerint ab eodem puncto ẽductæ: fuerint verò & aliæ ductæ in ipsa coni sectione parallelæ tangentibus, & se mutuò secantes: comprehensa parallelogramma sub earum segmentis, eandem habebunt rationem ad alia, quæ existunt, quadrata sub tangentibus. Eiusdem autem rationis erit contentum sub segmentis alterius lineæ, cum quadrato tangentis sibi eiusdem parallelæ.

Lemma I.

✠ In antiqua parabola linea, iuxta quam possunt, quæ in sectione ordinatim ducuntur, dupla est illius quæ à vertice sectionis vsque ad axem coni: in recentibus verò maior esse potest aut minor quàm dupla.

Lemma II.

✠ Sumptis duabus paraboles portionibus secundùm duas lineas, quarum altera rectè, altera obliquè abscindat diametrum sectionis. Tum ab extremitate secantis obliquè ducatur perpendicularis in diametrum portionis, & vt semissis lineæ obliquæ ad perpendicularem, ita fiat linea quæpiam ad eam iuxta quam possunt, quæ in recta portione: hæc quæpiam erit linea iuxta quam possunt, quæ in non recta portione ordinatim ducuntur.

Prop. IV.

Si ab eadem rectanguli coni sectione duo segmẽta quomodocumque resecentur, quæ partes diametros habeant: ipsa etiam segmenta æqualia erunt, vt & triangula in ipsis inscripta, eandem habentia basim cum segmentis, & altitudinem eandem.

Prop. V.

✠ Planum comprehensum sub acutianguli coni sectionẽ, ad circulum qui habeat diametrum æqualem maiori diametro sectionis acutianguli coni, eam rationem habet, quam minor diameter ad maiorem, hoc est, ad circuli diametrum.

Prop. VI.

Omne planum sub acutianguli sectione contentum ad quemlibet circulum eandem rationem habet, quam rectangulum contentum sub diametris sectionis acutianguli coni ad quadratum diametri circuli.

Prop. VII.

Plana sub acutianguli coni sectionibus contenta eandem habent rationem inter se, quam comprehensa rectangula sub damctris se-

ctionum acutiangulorum conorum inter se.

Manifestum II.

Ex hoc verò manifestum est, quod comprehensa plana sub similibus acutiangulorum conorum sectionibus, eandem rationem habent inter se quam habent potentia inter se sectionum diametri similis rationis.

Lemma I.

Si fuerint tres lineæ in eodem ordineratione, sicuti tres aliæ, rectangulum sub extremis vnius ordinis erit ad quadratum mediæ, sicuti rectangulum alterius ordinis ad quadratum quoque mediæ.

Lemma II. *Problematicum.*

Dato angulo secto bifariam, datoque puncto in alterutro crure, à puncto dato lineam rectam educere in alterum crus, quæ ita dirimatur à linea angulum secante, vt rectangulum comprehensum sub eductę segmentis partibus contentis inter ambo crura, sit ad quadratum secantis angulum in ratione data.

Prop. VIII.

Acutianguli coni sectione data, & linea à centro acutianguli coni sectionis excitata recta ad planum in quo est acutianguli coni sectio: possibile est conum inuenire, qui verticem habeat extremitatem excitatæ lineæ, & in cuius superficie sit data acutianguli consectio.

Prop. IX.

Acutianguli coni sectione data, & linea non rectò excitata à centro sectionis acutianguli coni sectio; possibile est conum inuenire qui verticem habeat extremitatem exsuscitatæ lineæ, in cuius superficie sit data trianguli coni sectio.

Prop. X.

Acutianguli coni sectione data, & linea à centro acutianguli coni sectionis erecta in plano, quod ab altera diametro assurgit rectò ad planum in quo est acutianguli coni sectio: possibile est cylindrum inuenire qui habeat axem in linea recta erecta, in cuius superficie erit data acutianguli coni sectio.

Prop. XI.

Quod quidem omnis conus ad conum compositam habeat rationem, tam ex ratione basium quàm ex ratione altitudinum, demonstratur ab iis, qui ante fuerunt: Eademque demonstratio concludit quod omne segmentum coni ad segmentum coni compositam rationem habet, tum ex basium, tum ex altitudinum ratione. Et quod

omnis portio cylindri, tripla est segmenti coni eandem basim habentis, quam portio, & eandem altitudinem. Hæc ipsa demum demonstratio ostendit quòd cylindrus triplus est coni basim habentis eandem cum cylindro, altitudinemque eandem.

Lemma I.

✣ Omne segmentum coni, tertia pars est frusti cylindri easdem cum segmento coni habentis basim & altitudinem.

Lemma II.

Sub eodem fastigio existentia frusta cylindri, vel segmenta coni, sunt inter se sicuti bases.

Lemma III.

Si cylindri frustum plano secetur parallelo oppositis planis: erit portio ad portionem, vt altitudo ad altitudinem.

Lemma IV.

Quæ inæqualibus fuerint basibus frusta cylindri, aut segmenta coni, sunt inter se sicut altitudines.

Lemma V.

Cylindrorum æqualia frusta, vel conorum æqualia segmenta habent reciprocas bases verticibus: & quæ reciprocas bases habent verticibus, illa sunt æqualia.

Lemma VI.

Frusta cylindrorum, & segmenta conorum, sunt inter se in ratione composita ex rationibus basium, & altitudinum.

Lemma VII.

Similia cylindrorum frusta, seu coni segmenta, se habent inter se in triplicata ratione diametrorum, quæ in basibus, vel axium ipsorum.

Propositio XII. continens quinque conclusiones.

I. Si rectangulum conois plano secetur per axem, vel æquidistanter axi, sectio erit rectangulæ conoidis sectio eadem quæ comprehendit figuram: diameter verò ipsius erit communis sectio planorum, & eius quod secat figuram, & eius quod per axem ducitur rectum ad planum secans. Et si scindatur plano recto ad axem, sectio circulus erit centrum habens in axe.

✣ 2. Si amblygonia conois plano secatur per axem, vel æquidistans axi, vel per verticem coni comprehendentis conoidem, sectio erit amblygonij coni sectio.

3. Et si quidem per axem eadem erit quæ comprehendit figuram: sed si æquidistanter axi, similis erit ipsi. Si autem per verticem coni conoidē comprehendentis, non erit similis. Cæterùm diameter

ſectionis erit communis ſectio planorum, & eius quod ſecat figuram, & eius quod per axem ducitur rectum ad planum ſecans. Si ſecatur recto plano ad axem, ſectio circulus erit centrum habens in axe.

✠ IV. Si ſphæroidearum figurarum aliqua plano ſecatur per axem, vel æquidiſtanter axi, ſectio erit acutianguli coni ſectio. Et ſi quidem per axem, ipſa erit quæ comprehendit figuram; ſi verò æquidiſtanter axi, ſimilis ipſi. Diameter verò ſectionis erit illa communis planorum, & eius quod ſecat figuram, & eius quod ducitur æquidiſtanter axi, recto ad ſecans planum. Si porrò ſecatur plano recto ad axem, ſectio circulus erit centrum habens in axe.

✠ 5. Denique quibuſlibet dictarum figurarum plano ſectis per axem, lineæ à punctis, quę in ſuperficie figurę ſunt, non in ipſa ſectione, perpendiculares ductæ ad planum ſecans, intra figuram ſectionis cadunt. Harum autem omnium facilè eſt dare demonſtrationes.

Lemma I.

Quæcumque conois vel ſphærois per axem ſecetur, redditur eadem coni ſectio, ex cuius circumvolutione nata eſt expoſita vel conois, vel ſphærois', eſtque redditæ ſectionis diameter linea communis duobus planis, & figuram ſecanti, & illi, quod per axem figuræ actum, ſuper ſecante plano erigitur.

Lemma II.

Conoide vel ſphæroide ſecta plano ad axem perpendiculari, fit ſectione circulus, centrum habens in axe.

Lemma III.

Quibuſlibet dictarum figurarum plano ſectis per axem, lineæ à punctis, quæ in ſuperficie figuræ ſunt, non in ipſa ſectione perpendiculares ductæ ad planum ſecans, intra figuram ſectionis cadunt.

Lemma IV.

✠ Si parabolica conis ſecatur æquidiſtantes axi, fit parabole, eadem nempe ei quæ figuram comprehendit: eſtque diameter ipſius communis ſectio planorum, & eius, quod ſecat figuram æquidiſtanter axi, & eius, quod per axem figuræ ducitur perpendiculare ad illud planum ſecans.

Lemma V.

Si recta linea duobus punctis ſecatur, fueritque rectangulum ex partibus vnius ſectionis æquale rectangulo ex partibus alterius, erunt ipſæ partes inter ſe ęquales, maior maiori, minorqne minori.

Lemma VI.

✠ Si hyperbolica conois plano ſecatur æquidiſtanter axi, ſectio erit

erit hyperbole ſimilis illi quæ figuram deſcripſit, eiuſque diameter erit communis interſectio planorum; & eius quod figuram ſecat, & eius quod ducitur per axem rectò ad planum ſecans.

Lemma VII.

✠ Si conois hyperbolica plano per verticem coni ipſam continentis conoidem, ducto ſecetur: fit hyperbole, diſſimilis illi quæ figuram complectitur: eiuſque diameter eſt linea communis duobus planis & illi ſecanti, & ei quod per axem conoidis ducitur perpendiculare ad prius illud ſecans per verticem coni conoidem comprehendentis eductum.

Lemma VIII.

✠ Si ſphæroidearum figurarum aliqua plano ſecatur æquidiſtanter axi, ſectio erit ellipſis ſimilis ipſi quæ figuram comprehendit. Diameter verò ſectionis erit illa communis planorum, & eius quod ſecat figuram, & eius quod ducitur æquidiſtanter axi recti ad planum ſecãs.

Lemma IX.

✠ Lineæ in ſectione coni obliquè ad axem ductæ parallelam ducere, quæ coni ſectionem tangat.

Prop. XIII.

✠ Si rectangula conois plano ſecetur, non quidem per axem, neque æquidiſtanter axi, neque ad rectos angulos cum axe, ſectio erit acutianguli coni ſectio: diameter verò ipſius maior linea concepta in conoide ab interſectione facta planorum, & eius ſcilicet quod ſecat figuram, & eius quod ducitur rectò per axem ad planum ſecans. Minor verò diameter æqualis erit diſtantiæ linearum ductarum æquidiſtanter axi, ab extremis diametri maioris.

Prop. XIV.

Si obtuſiangula conois plano ſecatur coincidente in omnia coni latera conoidem comprehendentis non rectis ad axem angulis; ſectio erit acutianguli coni ſectio: diameter verò maior ipſius erit concepta in conoide à ſectione facta planorum alterius quidem ſecantis figuram, & alterius acti per axem recto ad planum ſecans.

Prop. XV.

Si oblonga ſphærois plano ſecetur non recto ad axem, ſectio erit acutianguli coni ſectio: diameter verò ipſius maior erit concepta in ſphæroide ſectio duorum planorum, eius ſcilicet quod ſecat figuram, & eius quod ducitur per axem rectò ad planum ſecans.

Coroll 1.

Si prolata ſphærois plano ſecetur, alia quidem eadem erunt: Atque diametrorum minor erit concepta in ſphæroide linea.

Corollarium II.

Ex ipsis manifestum est in omnibus figuris, quod si planis parallelis secentur, omnes sectiones similes erunt: quadrata enim à perpendicularibus facta ad parallelogramma intersectionum easdem rationes habebunt.

Prop. XVI.

In rectangula conoide, à quocumque puncto superficiei conoidis ducantur lineæ rectæ parallelæ axi: quæ ad eas partes ducuntur, in quas tendit cauitas conoidis, cadunt extra conoidem; quæ verò ad contrarias, intra. *Propositionis secunda pars.*

In amblygonia conoide, à quolibet puncto superficiei ipsius ductis rectis parallelis alicui lineæ, quæ in conoide agitur à vertice conj comprehendentis conoidem: quæ quidem ducuntur in easdem partes, ad quas tendit figuræ curuitas, extra cadent; quæ verò in contrarias, intra. *Propositionis tertia pars.*

Si conoideas figuras planum tetigerit non secans conoidem: in vno tantùm puncto tanget, & per contactus punctum axemque actum planum, rectum erit ad planum tangens.

Prop. XVII.

Si sphæroidearum figurarum quamlibet planum attingat non secans figuram, in vno tantùm puncto tanget, & per contactum & axem planum actum fuerit, rectum erit ad planum tangens. *Idemque de conoide dicendum eadem omnino ratione.*

Prop. XVIII.

Si aliquam ex sphæroideis figuris duo plana parallela tetigerint: linea iungens contactu ũ pũcta, per cẽtrum sphæroidis porrigetur.

Prop. XIX.

Si quamcumque sphæroidearum figurarum duo parallela plana ducta tangant: agatur verò & aliquod planum per centrum sphæroidis æquidistanter tangentibus: quæ per factam sectionem aguntur, parallelę ei quæ coniungit contactuum puncta, extra sphæroidem cadent. *Propositionis secunda pars.*

Siverò parallelum planum tangentibus signis (seu planis) non agatur per centrum; manifestum est ductarum à sectione linearum partes versus minus segmentum protractas, extra sphæroidem cadere: actas verò ad maius segmentum, intra.

Prop. XX.

Omnis figura sphæroidea à plano secta per centrum bifariam secatur à plano, & ipsum & superficies ipsius.

Prop. XXI.

Dato segmento cuiuslibet conoidis resecto plano recto ad axem: aut sphæroidis cuiuscumque frusto non maiore dimidia sphæroide similiter auulso: possibile est segmentum solidum inscribere, & aliud circumscribere ex cylindris æqualem altitudinem habentibus simul compositis, ita vt circumscripta figura inscriptam minori exsuperet omni proposita solida magnitudine.

Prop. XXII.

Portione data cuiusuis conoidis plano secta non recto ad axem, vel cuiuscumque sphæroidis non maiore dimida sphæroide similiter resecta: possibile est in ipsa figuram solidam inscribere, & aliam circumscribere ex cylindrorum frustis constantes, ita vt circumscripta figura inscriptam exsuperet quantitate minori, quàm sit quælibet exposita solida magnitudo

Lemma.

Si quatuor magnitudinum prima sit quàm secunda maior: prima verò minori quantitate superet tertiam quàm secunda quartam: quarta minor erit quàm tertia. Inuerso verò ordine, si prima sit minor secunda, minorique quantitate tertia excedat primam, quàm quarta secundam, erit quarta maior tertia.

His autem præscriptis (*inquit Archimedes*) demonstrabimus quæ proposita fuerant de figuris.

Prop. XXIII.

✠ Omnis portio rectangulæ conoideos resectæ plano recto ad axem, sesquialtera est coni basim habentis eandem cum portione, & axem.

Prop. XXIV.

✠ Etiam si plano non recto ad axem resecetur portio à rectangula conoide similiter sesquialtera erit segmenti coni basim habentis eandem cum portione, & axem eundem.

Lemma I.

Datis circulo & ellipsi, descriptaque in circulo figura laterum æqualium longitudine & numero parium: describere in ellipsi figuram, ad quam inscripta circulo sit, vt circulus ad ellipsim.

Lemma II.

Si sub eodem fastigio existant cylindrus, & frustum cylindri, vel conus & segmentum coni: erunt inter se sicuti bases.

Lemma III.

✠ Cylindri & frusta cylindrorum, tum coni & segmenta conorum, habent inter se rationem compositam ex rationibus basium & altitudinum.

Prop. XXV.

Si rectangulæ conoidis duæ portiones secentur planis, altero quidem recto ad axem, altero obliquo, fuerint verò ambarum portionum axes æquales, sectiones erunt æquales.

Prop. XXVI.

✠ Si rectangulæ conoideos duæ portiones secentur planis quomodocumque ductis: portiones huiusmodi rationem inter se habebunt, quàm quadrata axium earumdem.

EPIPHORA.

Hinc deducimus in diuersis conoidibus rectangulis sumptas quomodocumque portiones, quarum axes sint æquales, ipsas esse æquales: & si axes fuerit inæquales, easdem se habere inter se sicuti axium earumdem quadrata.

Prop. XXVII.

Omnis sectio obtusiangulæ conoideos secta plano recto ad axem, ad conum basim habentem eandem cum sectione & altitudinem eandem, hanc habet rationem quam habet linea composita, & ex æquali axi sectionis, & ex tripla adiecta axi, ad lineam æqualem duabus, axi scilicet sectionis, & duplę adiectæ axi.

Prop. XXVIII.

✠ Et proinde si non recta ad axem plano secetur: portio amblygoniæ conoideos ad coni segmentum basim habentis eandem ac segmentum, eundemque axem, eandem habebit rationem quam linea æqualis duabns, & axi portionis & triplę additę ad axem, ad æqualem binis & axi & duplę adiectæ axi.

Prop. XXIX.

✠ Cuiuscumque figuræ sphæroideæ plano sectæ per centrum recto ad axem, dimidium duplum est coni basim habentis eandem cum portione, & eundem axem.

Prop. XXX.

✠ Et proinde si sphæroides non rectum ad axem plano per centrum secatur, similiter dimidium sphæroidis duplum erit segmenti coni basim habentis eandem cum portione, & axem eundem.

Lemma.

Si duæ quantitates quomodocumque bisecentur, & prima fuerit ad alteram ex suis partibus in minori ratione, quàm secunda ad alteram ex suis partibus: erit prima ad reliquam sui partem in maiori ratione quàm secunda ad reliquam sui partem, & contra.

Prop. XXXI.

Cuiuscumque figuræ sphæroideæ plano non per centrum sectæ, sed rectò ad axem: minor portio ad conum, eandem cum ipsa basim

habentem, eundemque axem, hanc habet rationem, quam linea composita ex dimidio axe sphæroidis, & ex axe maioris portionis, habet ad axem maioris portionis.

Prop. XXXII.

Et proinde si non rectò ad axem secetur sphærois, neque per centrum, minor ipsius portio ad segmentum coni basim habentis eandem cum portione, & axem eundem, hanc habebit rationem quam composita linea ex dimidia eius, quæ coniungit vertices factarum portionum, & ex axe maioris portionis ad axem maioris portionis.

Prop. XXXIII.

✣ Cuiuscumque figuræ sphæroideæ plano sectæ rectò ad axem non per centrum, maior portio ad conum, qui basim habeat eandem quam portio, & axem eundem, eam habet rationem, quam æqualis duabus, & dimidiæ axis sphæroidis, & axi minoris portionis habet, ad axem minoris portionis.

Prop. XXXIV.

Et proinde si non rectò ad axem plano secetur sphærois, neque per centrum: maior portio ipsius ad segmentum coni basim habentis eandem quam portio, & eundem axem, eam habebit rationem, quam composita ex dimidia coniungentis vertices factarum portionum, & ex axe minoris portionis ad axem minoris portionis habet. *Quæ sequuntur, vt & lemmata præcedentia, Riualti sunt.*

Theoremat I. *tres partes continens.*

✣ 1. Similes sphæroideæ figuræ triplicatam suorum axium rationem habent.

✣ 2. Similes sphæroideon figurarum portiones triplicatam suorum axium rationem habent.

3. Conoideæ figuræ similes, portionesque conoideon figurarum similes triplicatam suorum axium rationem habent. *Hinc inueniri potest conus qui conoidi vel sphæroidi, vel portioni conoidis aut sphæroidis sit inæqualis.*

Theorema II.

Æqualium sphæroideon figurarum quadrata, quæ sub diametris consimilibus reciprocè respondent axibus, sphæroides figuræ sunt æquales.

EPIPHORA.

Idem concludendum est de æqualibus conoidibus parabolicis, tum de portionibus æqualibus conoideon rectangularum, quarum rectangula sub diametris basium reciproca sunt basibus.

Lemma I.

Duorum conorum inæqualium differentiam ostendere, quæ quoque sit conus.

Lemma II.

Duorum conorum rationem exprimere superficiebus ac lineis.

Lemma III.

Dato plano seiuncto à sphæroide data, planum agere quod datam sphæroidem tangat, & parallelum sit dato plano.

Problema.

A data sphæroidea vel conoidea portione, portionem abscindere plano æquidistanter ad datum planum acto, ita vt resecta portio æqualis sit dato cono, vel cylindro, vel datæ sphæræ.

ARCHIMEDIS DE QVADRATVRA PARABOLES.

Archimedes Dositheo.

CVM audiissem defunctum esse Cononem, qui nobis reliquus erat in amicitia, tibique admodum fuerat familiaris, putà in Geometria maximè versatus, virum quidem mortuum amarè planxi, vt amicissimum, & hominem in Mathematicis planè mirabilem. Atque tunc derepente statui mittere ad te, sicuti antea ad Cononem solebam, Geometricum theorema, quod nemo quidem priùs est contemplatus, nunc verò à nobis ostenditur, mechanicè quidem primò inuentum, deinde & Geometricè demonstratum. Nonnulli ante nos qui Geometriam tractare nouerunt, conati sunt scribere quomodo possibile esset circulo, vel circuli segmento dato inuenire æquale rectilineum: & posteà tentarunt quadrare spatium sub totius coni sectione, & recta linea comprehensum, incertæ fidei lemmata assumentes, quæque à multis non inuenta, damnata sunt. Cęterùm qui statuerit quadrare portionem rectanguli coni sectione comprehensam neminem scimus. Hoc verò à nobis iam tandē inuenitur. Demonstratur enim quod omne segmentum comprehensum sub recta & rectanguli coni sectione sesquitertium sit trianguli basim habentis eandem & æqualem altitudinem cum sectione: assumpto scilicet lemmate ad hoc demonstrandum: quod possibile sit inæqualium spatiorum excessum quo maius excedit minus, totiens compo-

nere, vt ipsum excedat quodcumque propositum spatium. Vtebantur & illi superiores Geometræ eodem lẽmate. Etenim per hoc axioma demonstrarunt omnes circulos habere rationem inter se duplicatam suarum dimetientium. Et sphæras habere inter se rationem triplicatam suarum diametrorum, Adhuc & omnem pyramidem tertiam partem esse cylindri eandem habentis basim cum cono, & parem altitudinem. Ita hoc assumentes lemma, scripserunt. Contingit verò vt vnumquodque ex his demonstratis theorematibus, non minus fidei quàm ipsum lemma, nactum sit. Nuper verò in similem fidem adduximus ea quæ à nobis data sunt. Cùm itaque huiusce theorematis demonstrationes scripsissemus, mittimus primum quidem quemadmodum mechanicè cognitę sint: postea verò qua ratione geometricè fuerint ostensę. Prędscribuntur etiam & elementa conica quæ demonstrando vsui sunt. Vale.

Propositiones & Theoremata.

I.

SI fuerit rectanguli coni sectio, in qua A B G, & linea B D parallela diametro vel ipsa diameter, tũ linea A B parallela ei quę tangit sectionem coni in puncto B, æqualis erit A D ipsi D G: & si ęqualis fuerit A D ipsi D G, parallelæ erunt tum A G, tum ea quæ coni sectionem tangit in B.

2. Si fuerit rectanguli coni sectio A B G, fuerit verò recta B D, vel parallela diametro; vel ipsamet diametrus: tum linea A B G, parallela lineæ tangenti sectionem rectanguli coni in puncto B, demum linea E G coni sectionem tetigerit in G, erunt B D, B E ęquales.

3. Si fuerit rectanguli coni sectio, A B G, linea verò B D vel parallela diametro, vel ipsamet diametrus, & ducantur quędam rectæ A D, E Z parallelæ tangenti sectionem coni in B, erit vt B D, longitudine ad B Z, sic potentia linea A D ad lineam E Z.

Lemma. Si fuerint tres lineę, quarum prima sit ad secundam potentia, sicut est ad tertiam longitudine, erunt tres illę lineæ proportionales,

4. Sit portio contenta sub recta & rectanguli coni sectione, A B G, agaturque linea B D è medio lineæ A G parallela diametro, vel ipsa sit diametrus, tum recta B G iuncta producatur: si quidem demittatur aliqua alia puta Z T parallela ipsi B D secans vtramque rectarum A G, & B G, eandem habebit rationem Z T ad T I, quam D A ad D Z.

5. Sit portio cõtenta ſub recta, & rectãguli coni ſectione ABG, & à puncto A ducatur parallela diametro ZA. à pũcto verò G tãgẽtes coni ſectionem in puncto G, quæ ſit GZ. ſi quidem aliqua recta ducatur in triãgulo ZAG, parallela ipſi AZ. in eadẽ ratione ipſa ducta ſecabitur à ſectione rectanguli coni, ac linea AG ab ipſa ducta proportionaliter. Similis verò rationis erit portio lineæ AG, quæ eſt A portioni ductæ lineę quæ eſt ab A.

Lem. Si duæ portiones ſimiles punctum vnum in extremo angulo commune habuerint, baſeſque in eadem recta linea, & deſcribantur ita vt altera alteram includat: quæcumquc lineæ ducentur à puncto communi ſecantes minorem portionem, & eductæ vſque ad ambitum maioris, omnes ſecentur à minori in eadem ratione, & erit ſicut vna ad ſui partem portionibus incluſam: ſic ſingulæ reliquarum ad ſingulas ſui partes ſimiliter incluſas.

Problema. Data ſectione, maiorem vel minorem ſimilem ſuper eadẽ recta baſis extenſa, & à puncto communi initio ſcilicet baſis, deſcribere, quouis axe dato, vel qualibet baſe propoſita. *Videantur* 3. *coroll Riualti.*

Intelligatur verò quod eſt, hoc vnum iam contemplandum & conſpiciendum in ſtatu recto ad horizontem, & in linea AB. Poſtea quæ ſunt ad partes D ſupponantur deorſum, quæ verò in oppoſitum tendunt, ſurſum. Triangulum verò BDG ſit rectangulum rectum, habens ad B angulum, & latus BG æquale dimidio ſtateræ: Manifeſtum quod exiſtente AB æquali ipſi BG, ſi ſuſpendatur triangulum à punctis BG, ſuſpendatur verò & aliud ſpatium Z ab altera parte ſtateræ iuxta A, & æquiponderet ſpatium Z à puncto A ſuſpenſum cum triangulo BGD ſic exiſtente vt nunc iacebat: dico ſpatium Z trianguli BGD tertiam partem eſſe. *Vide Riualtum.*

7. Si rurſus trutina AG, linea, cuius medium ſit B, & appendatur ſecus B, triangulum GDI. ſit verò GDI triãgulum amblygoniũ baſim habẽs DI, altitudinem verò lineã æqualem dimidio trutinæ, appendatur triangulum DGI à pũctis B & G. Rurſus ſpatium Z appenſũ ab A æquiponderet cum triangulo BDI, ſic habente vt nũc iacet. ſimiliter demonſtrabitur ſpatium Z tertiam partem eſſe trianguli GDI.

8. Sit trutina AB; mediũ verò ipſius ſit B, & appendatur poſt B triangulum GDE rectangulum rectum habens angulũ E: & appẽdatur è trutina ſecus GE. Verùm ſpatium Z appẽdatur puncto A, & æquiponde. et cum GDE ſic ſe habente vt nunc iacet. Quam verò rationem habet AB ad BE, eam habeat GDE triangulum ad ſpatium C: dico ſpatium Z triangulo GDE minus eſſe, ſpatio verò C maius.

9. Sit rurſum

IX.

Sit rursum trutina A G, medium verò ipsius B. Tum triangulum G D C amblygonium basim habens D C, altitudinem verò E G, & suspendatur è trutina ad G E. Spatium verò Z appendatur ex A, & æquiponderet cum trigono D G C sic se habenti vt iacet: quam verò rationem habet A B ad B E, eam habeat G D C triangulum ad L. Dico Z maius quidem esse quàm L; minus verò D G C triangulo. *Vide atur Lemma Rivalti.*

X

Sit rursum A B G trutina, mediumque ipsius B, trapezium verò B D I C angulos rectos habens in punctis B I. Latus verò C D tendens ad G, & quam habet rationem B A ad B I, eandem habeat trapezium B D C I ad L. Suspensum verò fuerit istud trapezium B D I C in trutina è punctis B I. Appensumque itidem fuerit spatium Z puncto A, & æquiponderet cum trapezio B D I C sic habenti vt nunc subiacet. Dico spatium Z minus esse ipso L.

XI.

Sit rursum bilanx A G, & medium ipsius B. Sit verò trapezium C D T R habens latera C D, & T R ad G tendentia; reliqua verò D R, & T C perpendicularia ad B G: Tum D R cadat in B. Quam verò rationem habet A B ad B I eandē habet trapezium D C T R ad L. Et quidem trapezium D C T R suspendatur è libra secus puncta B I, vt & Z è puncto A, & æquiponderet Z cum trapezio D C T R sic se habente vt nunc iacet: similiter demonstrabitur vt priùs, minus esse Z spatium ipso L.

XII.

Sit rursus statera A G, mediumque ipsius B. Sit verò trapezium D E I C in punctis quidem E & I angulos rectos habens, lateraque C D & E I ad punctum G tendenria. Atque quam rationem habet A B ad B I, eandem habeat trapezium D C I E ad spatium M. Quam verò rationem habet A B ad B E, eandem rationem habeat D C I E trapezium ad L. Appensum autem fuerit istud trapezium D C I E ad stateram è punctis E I. Sed spatium Z appendatur ab A, & æquiponderet trapezio sic sē habenti vt nunc iacet. Dico spatium Z spatio L maius esse, spatio verò M minus.

XIII.

Sit rursus trutina A G, cuius medium circa B. Sit verò trapezium C D T R, itaut latera ipsius C D, & T R tendant ad G, reliqua verò D T, C R perpendicularia ad B G. Appensum autem fuerit in statera è punctis E I. Tum spatium Z suspendatur ad punctum A, & æquiponderet cum trapezio D C T R sic se habente vt nunc est. Et quam ratio-

nem habet A ad B E, eandem habeat D C T R trapezium ad L ſpatium. Quam verò rationem habet A B ad B I, eam habeat idem trapezium ad M. Similiter demonſtrabitur vt priùs, ſpatium Z ſpatio L maius, ſpatio verò M minus.

XIV.

Sit portio B K G comprehenſa ſub recta & rectanguli coni ſectione. Sit etiam primum B G ad rectos angulos diametro, & educatur à B puncto linea B D parallela diametro: â puncto verò G linea G D tangens ſectionem coni in puncto G. Erit quippe B G D triangulus rectangulus Diuidatur itaque illa B G in portiones quotcunque B E, E Z, Z H, H I, & à ſectionibus huiuſmodi æquidiſtantes diametro ducantur lineæ E S, Z T, H V, T X. A punctis autem quibus ipſæ ſecant coni ſectionem, iungantur lineæ ad G, & vltra producantur. Dico quod trianguli B D G, trapeziorum quidem C E, L Z, M H, N I, & trianguli X I G minus ſit quam triplum: trapeziorum verò Z F, H K, I P, & trianguli I O G maius ſit quàm triplum.

XV.

Sit rurſum ſectio B K G comprehenſa ſub recta & rectanguli coni ſectione: linea verò B G non ſit ad rectos diametro: neceſſe quidem eſt vel lineam à puncto B æquidiſtanter diametro ductam ad eaſdem partes ſectioni, vel eam quæ trahitur à puncto G, obtuſum facere angulum ad B G. Sit itaque quæ obtuſum angulum facit ea quæ ad G B. Et ducatur à puncto B parallela diametro linea B D. Et à puncto G agatur G D tangens coni ſectionem in puncto G. Et diuidatur B G in quotlibet partes æquales, quæ ſint B E, E Z, Z H, H I, I G. Et à punctis E, Z, H, I, parallelæ diametro ducantur E S, Z T, H V, I X, & à punctis quibus ſecant ipſam coni ſectionem iungantur ad G, & vltra producantur. Dico quippe & nunc triangulum B D G, trapeziorum quidem B F, L Z, K H, P I, & trianguli G I X minus eſſe quàm triplum: aliorum verò Z F, H K, I P, & trianguli G O I maius eſſe quàm triplum.

XVI.

Sit rurſum portio hæc B K G comprehenſa ſub recta, & rectanguli coni ſectione, & agatur per B linea quidem B D parallela diametro; à puncto verò G alia G D tangens coni ſectionem in puncto G, ſit adhuc trianguli B D G, tertia pars ſpatium z. Dico portionem B K G æqualem eſſe ſpatio Z.

XVII.

✠ Hoc demonſtrato, manifeſtum quod omnis portio comprehenſa ſub recta & rectanguli coni ſectione, ſeſquitertia eſt trianguli habentis baſim eandem cum ipſa portione, & altitudinem æqualem.

Ministerio de Cultura

DEFINITIONES.

I. SEctionum comprehensarum sub recta & curua linea: basim quidem appello rectam.

II. Altitudinem verò maximam perpendicularem, à curua linea decidentem in basim portionis.

III. Verticem verò punctum, à quo maxima perpendicularis agitur.

Propositiones & Theoremata.

XVIII.

Si in portione quæ comprehenditur sub recta & rectanguli coni sectione, à medio basis ducatur recta parallela diametro, vertex erit portionis punctum, in quo quæ acta est parallela diametro, secat coni sectionem.

XIX.

Si in portione comprehensa sub recta & rectanguli coni sectione ducantur duæ rectæ diametro parallelæ, altera quidem à media basi, altera verò à medio dimidiæ: quæ quidem à medio ducta fuerit, alterius quæ à dimi dia agitur, longitudine sesquitertia erit.

XX.

S in portione comprehensa sub recta & rectanguli coni sectione triangulus inscribatur eandem basim habens cum portione eandemque altitudinem: maior est inscriptus dimidio portionis.

Manifest. Liquet quod sic in hac portione possibile sit polygonum inscribere, ita vt relictæ portiones omni proposito spatio sint minores.

XXI.

✝ Si in portione comprehensa sub recta & rectanguli coni sectione triangulus inscribatur eandem basim habens cum portione, & eandem altitudinem: inscribantur verò & alia trigona eandem basim habentia cum portionibus, & altitudinibus eandem: vniuscuiusque triangulorum in reliquis portionibus descriptorum, octuplum est triangulum quod in tota portione describitur.

XXII.

Si portio comprehensa sub recta & rectanguli coni sectione, & spatia ponantur deinceps quotlibet in quadrupla ratione: fuerit verò maximum spatiorum æquale triangulo portioni inscripto easdem basim, & altitudinem habente cum portione: omnia simul spatia minora sunt portione.

✠ *Lem.* Tertia pars quartæ partis totius, iuncta eidem quartæ, tertiam totius partem efficit.

XXIII.

✠ Si magnitudines ponantur deinceps in quadrapla ratione: omnes ciuſmodi magnitudines, & adhuc minimæ tertia pars in vnum compoſitæ, ſeſquitertiæ erunt maximæ.

XXIV.

✠ Omnis portio comprehenſa ſub recta, & rectanguli coni ſectione, ſeſquitertia eſt trianguli eandem baſim habentis cum ipſa & æqualem altitudinem. *Hinc ſpatium parabolicum in quadratum mutari poteſt.*

ARCHIMEDIS

ΠΕΡΙ ΕΛΙΚΩΝ

ſeu de Spiralibus.

Archimedes Doſitheo ΧΑΙΡΕΙΝ.

IN iis quæ ad Cononem miſſa ſunt theorematibus, eorum quidem, quorum à me flagitabas aſſiduè demonſtrationes, multorum à Hercule latas conſcriptas habes; nonnullas rurſus eorumdem in hoc libro ad te ſcriptas mitto. Ne mireris verò ſi longum tempus conſumpſerimus antequam horum demonſtrationes dederimus. Hoc enim contigit quod cupiuerim priuſquam eas darem, & ipſis, inquirere eos qui in Mathematicis exercitati ſunt. Quot enim in Geometria theoremata viſa primùm impoſſibilia, tempore perfectionem capiunt? Conon quidem non ſufficiens tempus ſortitus in eorum diſquiſitione, vitam cum morte commutauit, & ea dubia reliquit, quamquam omnia inuenerat, vt & alia multa, quibus plurimùm Geometriam adauxit. Scimus quippe in illo fuiſſe non vulgarem Mathematicarum artium peritiam, laboriſque ſupra modum tolerantiam. Poſt obitum verò Cononis multi exacti ſunt anni, quibus à nemine, quod nouerimus, vllum ſit horum problematum tentatum. Volo autem eorum ſingula perſequi. Etenim contigit duo quædam eorum, quæ apud Cononem erant, hoc libro inſerta fuiſſe, finem tandem conſecutura: vt qui prædicant omnia ſe inueniſſe, demonſtrationem verò eorum nullam proferentes, ſophiſticè agunt, ea aliquando ſpondere videantur reperiſſe, quæ ſunt impoſſi-

bilia. Quotquot itaque ſunt huiuſmodi problematum, tum quorumdam quorum demonſtrationes nullas habes, denique cæterorum, quas in hoc libro latas probamus, tibi declarabo. Primum itaque fuerat: *ſphæra data planum ſpatium reperire æquale ſuperficiei ſphæræ.* Quod quidem primùm factum eſt manifeſtum dato de ſphæra libro. Cùm enim illic demonſtratum fuerit, *quod omnis ſphæræ ſuperficies quadruplæ eſt circuli maximi eorum qui ſunt in ſphæra*, manifeſtè poſſibile eſt, ſpatium planum inuenire æquale ſuperficiei ſphæræ. Secundũ verò: *cono dato vel cylindro inuenire ſphærã ipſi cono vel cylindro parẽ.* Tertium autẽ: *datã ſphæram plano ſecare itaut ſegmẽta ipſius inter ſe ordinatã rationem habeant.* Adhæc quartũ; *datam ſphæram plano ſecare, itaut ſuperficiei portiones ordinatam rationem inter ſe habeant.* Præterea quintum: *datum ſphæræ ſegmentum dato ſphæræ ſegmento aſſimilari.* Tandum ſextum: *datis duobus ſphæræ ſegmentis, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ, inuenire ſegmentum ſphæræ, quod ſit quidem ſimile alteri ſegmentorum, ſuperficiem verò habeat æqualem ſuperficiei alterius.* Denique ſeptimum fuerat: *à data ſphæra ſegmentum reſecare plano, itaut ſegmentum ad conum baſim habentem eandem cum ſegmento, & altitudinem æqualem, ordinatam rationem habeat non minorem ea, quam habent tria ad duo.* Horum quidem omnium demonſtrationes Hercules tulit. Quod verò ab ipſis ſeiungebatur, falſum erat. Eſt autem huiuſmodi. Si ſphæra plano ſecatur in inæqualia, maius ſegmentum ad minus duplam habet rationem eius quam habet maior ſuperficies ad minorem. Quod verò iſtud falſum ſit, per ea quæ prius miſſa ſunt, manifeſtum eſt, Diſtinguebatur enim & hoc in ipſis. Si ſphæra plano ſecatur in inæqualia, ad rectos angulos cuidam diametro eorum quæ ſunt in ſphæra, maius ſegmentum ad minus eandem habebit rationem, quam portio diametri maior ad minorem. Segmentum enim ſphæræ maius, ad minus minorem quidem rationem habet dupla eius, quam habet maior ſuperficies ad minorem: maiorem verò quàm ſeſquialteram. Erat rurſus & extremum ſeparatorum problematum falſum: Nempe ſi diameter alicuius ſphæræ ſecatur, itaut quadratum quod fit à maiori portione, triplum ſit quadrati, quod à minore fit portione, & per ſectionis punctum planum agatur rectum ad diametrum, ipſum ſphæram ſecare in talem ſpecie figuram, quale eſt maius ſphæræ ſegmentum, maximum ſcilicet ſegmentorum æqualem habentium ſuperficiem. Quod verò ſit hoc falſum, apparet ex præmiſſis ad te theorematibus. Demonſtratum enim eſt quod hemiſphærium maximum eſt comprehenſorum ſub æquali ſuperficie ſphæræ ſegmentorum. Poſt autem iſta de cono, hæc etiam proponebantur. Si rectanguli coni ſectio, manente diametro, circumuoluatur, itaut ſit diameter axis: deſcripta figura à ſectione re-

ctanguli *conois*, siue *conoides* appelletur. Tum si conoideam figuram planum quod iam tetigerit, tangenti verò plano aliud planum ductum secuerit aliquam conoidis portionem, resectæ portionis basis quidem vocetur ipsum planum secans: Vertex verò punctum quo alterum planum conoidem tangit. Porrò si dicta figura plano secatur recto ad axem, manifestum est sectionem fore circulum. Quod autem resecta portio sesquialtera sit coni basim habentis eandem, quam portio, & altitudinem æqualem, demonstrare oportet. Ac si conoidis duæ portiones resecentur planis, quomodocunq; ductis, fore vt fiant acutiangulorum conorum sectiones, patet. Cæterùm, si secantia plana non recta fuerint ad axem, segmenta ad se inuicem eandem habere rationem, quam potentiâ inter se habent lineæ à verticibus eorum axi æquidistanter ductæ, vsque ad secantia plana, etiam est demonstrandum. Horum autem demonstrationes similiter ad te mittuntur. Post ista verò hæc de spirali proposita sunt, quæ aliud longéque diuersum problematum genus redolent, nihil commune habens cum prædictis. Horum porrò demonstrationes in hoc libro tibi rescripsimus. Res autem ita se habet.

DEFINITIONES.

I. SI in plano recta linea altero termino manente, æquali celeritate circumlata redeat deinceps eò, vnde profecta est: simul verò cum linea circvmuoluta feratur punctum pari velocitate sibi ipsi, secundum lineam rectam ducto, motus initio ab immobili termino: istud punctum lineam spiralem in plano describet.

II. Vocetur igitur hoc quidem manens punctum rectæ lineæ, quæ circumuoluitur, principium Helicis.

✠ III. Positio verò lineæ, à qua incipit recta circumferri, principium circulationis.

✠ IV. Linea porrò quam quidem in prima reuolutione pertranserit punctum latum secundum rectam, prima vocetur: quam verò in secunda gyratione idem punctum perambulauerit, secunda: atque de aliis similiter, quæ circumuolutionibus proportionaliter denominentur.

✠ V. Spatium verò comprehensum sub Helice in prima reuolutione descripta, & linea recta quæ prima est, primum appelletur. Quod verò comprehenditur sub Helice in secunda reuolutione descripta, & linea recta secunda, secundum nominetur. Et alia deinceps sic vocentur.

VI. Atquè ſi à puncto, quod eſt principiuṁ Helicis, agatur aliqua linea recta : ea quæ ſunt ad eaſdem huius rectæ partes, ad quas circumuolutio fertur, antecendentia vocentur : quæ verò in contraria, conſequentia.

✠ VII. Deſcriptus autem circulus centro quidem puncto, quod eſt principium ſpiralis ; interuallo verò hac recta, quæ eſt prima, primus appelletur : deſcriptus verò centro quidem eodem, interuallo verò dupla recta, ſecundus dicatnr : & alij deinceps eodem modo denominentur.

Præmittuntur verò, vt fit in aliis Geometricis, quæ quaſdem vtilitates habent ad illorum demonſtrationes.

Aſſumo præterea vt rata lemmata, quæ in aliis libris iàm euulgatis habentur, cuiuſmodi eſt.

✠ *Lemma.* Inæqualium linearum, & inæqualium ſpatiorum exceſſum, quo excedit maior minorem ſibi ipſi coadditum : poſſibile eſſe excedere quamcumque earum, quæ inter ſe comparantur, quantitatum.

PROPOSITIONES.

Propoſitio I. *Theorema* I.

✠ SI ſecundùm aliquam rectam feratur quoddam punctum æquè velociter ſibi ipſi latum, & ſumantur in ipſa duæ lineæ : ſumptæ eandem habebunt rationem inter ſe, quam tempora, in quibus punctum iſtas lineas pertranſierit.

Prop. II. *Theor.* II.

✠ Si duorum punctorum vnoquoque pariformiter ſecundùm rectam lineam lato, non quidem æquali ſimul celeritate, capiantur in vnaquaque linearum duæ lineæ, quæ primæ in æqualibus ſub punctis diſcurrentibus teritur, & item ſecundæ, eandem inter ſe rationem habent accëptæ lineæ.

Prop. III. *Probl.* I.

Circulis quotlibet datis, poſſibile eſt rectam ſumere, quæ ſit maior circulorum datorum peripheriis.

Prop. IV. *Probl.* II.

Duabus datis lineis inæqualibus, recta, & circuli circumferentia, poſſibile eſt ſumere rectam, maiore quidem linearum datarum minorem, minore verò maiorem. *Vide Lemma.*

Prop. V. *Probl.* III.

Circulo dato, & linea recta tangente circulum, possibile est à centro circuli ducere rectam ad tangentem, itaut quæ recta fuerit inter tangentem & circuli circumferentiam, ad radium circuli minorem rationem habeat, quàm circumferentia circuli, quæ est inter contactam & productam ad datam cuiuscunque circuli circumferentiam.

Lemma.

Si circulum tetigerit quæpiam linea, impossibile est ducere aliam lineam à puncto contactus, quæ circulum non secet ab ea parte, qua angulum recto minorem efficit cum radio ducto à centro ad punctum contactus.

Prop. VI. *Probl.* IV.

Circulo dato, & in circulo linea minore, diametro, possibile est à centro circuli ad peripheriam ipsius eiacularí rectam, secantem eam quæ in circulo data est, lineam; ita vt comprehensa recta inter peripheriam & rectam in circulo datam ad coniunctam à termino eiacu-latæ, qui est in circumferentia ad alteram partem eius rectæ, quæ in circulo data est, ordinatam rationem habeat; modo tamen vt data ratio minor fit ea quam habet dimidia datæ in circulo, ad eam quæ à centro perpendiculariter in ipsam ducitur.

Prop. VII. *Probl.* V.

Iisdem datis, & recta data extra circulum porrecta possibile est à centro lineam eiacularí ad extrà porrectam, itaut quæ fuerit inter circumferemtiam & porrectam ad lineam iunctam à termino eiaculatæ ad terminum porrectæ ordinatam rationem habeat: dummodo tamen data ratio maior fuerit ea, quam habet dimidia datæ in circulo, ad eam quæ à centro perpendiculariter in ipsam agitur.

Lemma I.

Si recta in circulo ab alia rectá bifariam secatur, & ad angulos rectos: impossibile est ab eodem puncto, à quo secans ducitur, aliam secantem agere in sectam, itaut partes inter sectam, & peripheriam circuli æquales sint: quod tamen fieri potest, si secta linea bifariam non dirimitur. *Videatur Lemma* 2.

Prop. VIII. *Probl.* VI.

Circulo dato, & in circulo linea minore ipsa diametro, & alia tangente circulum in termino lineæ in circulo datæ; possibile est à centro circuli eiacularí aliquam rectam ad rectam datam, itaut pars ipsius contenta inter peripheriam circuli, & datam lineam in circulo ad partem comprehensam à tangente, ordinatam rationem habeat: si modo data ratio sit minor ea quam habet dimidia datæ in circulo, ad eam quæ à centro circuli perpendiculariter in ipsam ducitur.

Prop. IX.

Prop. IX. *Probl.* VII.

Iisdem datis, & in circulo data linea vlterius porrecta: possibile est à centro circuli eiacularì rectam in datam porrectam, itaut pars inter circumferentiam & porrectam ad conceptam in tangente à puncto contactus, ordinatam rationem habeat: si modo data ratio maior fuerit ea quam habet dimidia datæ in circulo ad eam quæ à centro perpendiculariter in ipsam ducitur.

Prop. X. *Theor.* III.

✠Si lineæ deinceps ponantur quotcumque, æquali sese inuicem excedentes, fuerit verò excessus æqualis minimæ: Et aliæ lineæ ponantur numero quidem æquales illis, magnitudine vero singulæ pares maximæ: quadrata ab æqualibus maximæ, comprehensa, & quod fit à maxima quadratum, & quod comprehenditur sub minima & linea æquali omnibus æqualiter sese excedentibus, tripla erunt omnium quadratorum linearum sese æqualiter excedentium.

Lemma.

✠ Si fuerint duæ quantitates eiusdem speciei in aliqua ratione, antecedentisque pars sit ad partem consequentis in minori ratione quàm tota ad totam; reliquum antecedentis erit ad reliquum consequentis in maiori ratione quàm tota ad totam

Manifestum I.

✠ Indeigitur patet quod quadrata omnia quæ ab æqualibus maximæ describuntur, eorum quadratorum quæ ab æquali sese inuicem excedentibus fiunt, minora sint quàm tripla.

Minifestum II.

Reliquorum verò sublato maximæ quadrato, maiora sunt quàm tripla.

Manifestum III.

Propterea si similes figuræ describantur ab omnibus quæ sese æquali inuicem superant, & ab iis quæ sunt illarum maximæ æquales: quæ sanè fiunt ab æqualibus maximæ, eorum quæ fiunt ab iis quę sese æqualiter excedunt, minora sunt quàm tripla: Sublata verò figura quæ describitur à maxima reliquarum sunt plusquam tripla.

Prop. XI. *Theor.* IV.

Si lineæ deinceps quotlibet ponantur, æqualiter sese mutuo excedentes, & aliæ lineę constituantur, multitudine quidem vna pauciores quàm sint illę æqualiter sese inuicem excedentes, magnitudine verò singulę æquales illarum maximæ, quadrata omnia quæ ab æqualibus maximę, ad quadrata quę sese æqualiter mutuo excedunt, fiunt, sine minima, minorem rationem habent, quàm quadratum

quod à maxima ad æquale duobus, ſcilicet comprehenſo ſub maxima & minima, & tertiæ parti quadrati exceſſus quo maxima minimam ſupetat: ad quadrata autem quæ fiunt ab æqualiter ſeſe inuicem excedentibus, ſine eo quadrato, quod fit ab omnium maxima, hæc ipſa maiorem rationem habent.

EPIΦORA.

Hinc concludimus, quod ſi exceſſus maximæ ſupra minimam fuerit minimæ æqualis, fore vt ratio quadrati maximæ ad rectangulum ſub maxima & minima, cum tertia parte quadrati exceſſus maximæ ſupra minimam, ſit vt 12. ad 7.

Manifeſtum IV.

Idcirco ſi ſimiles figuræ deſcribantur ab omnibus, tum ab iis quæ ſeſe mutuo æqualiter excedunt, tum ab æqualibus maximæ: figuræ omnes ab æqualibus maximæ deſcriptæ ad eas quæ ab iis quæ mutuo ſeſe æqualiter excedunt, ſine ea quæ à minima fit figura, minorem rationem habebunt quàm quadratum quod à maxima ad æquale duobus tam ei, quod comprehenditur à maxima, & minima, & tertiæ parti eius, quod ab exceſſu fit, quo maxima minimam ſuperat: ad eas verò quæ ab iiſdem lineis fiunt figuris, ſine ea quæ à maxima deſcribitur eadem illa ratione maiorem.

Prop. XII. *Theor.* V.

Si in ſpiralem vna quidem circumuolutione deſcriptam, à principio ſpiralis, rectæ quotlibet cadant, quæ æquales inter ſe angulos contineant, ſeſe mutuò æqualiter excedent. *Vide Corollarium.*

Lemma I.

Si tres lineæ ordine ſeſe inuicem æquali exceſſu ſuperauerint, maxima, & minima ſimul duplæ ſunt mediæ.

Lemma II.

Si à iugo trianguli decidit linea in baſim bifariam diuidens angulum iugi, duo latera angulum hunc continentia maiora ſunt quàm dupla eius quæ à iugo demiſſa linea.

Prop. XIII. *Theor.* VI.

Si recta linea ſpiralem tetigerit, in vno tantùm puncto tanget.

Prop. XIV. *Theor.* VII.

✠ Si in ſpiralem ex prima reuolutione ortam incidant duæ lineæ à puncto, quod eſt principium ſpiralis, & producantur ad circumferentiam vſque primi circuli: eandem rationem inter ſe habebunt iſtæ in ſpiralem incidentes, quam arcus circuli, medij inter terminum ſpiræ, & limites linearum productarum in circumferentia factos, ſumptis in conſequentia arcubus à fine ſpiralis.

Prop. XV. *Theor.* VIII.

Si in Helicem in secunda reuolutione factam lineæ rectæ ceciderint à principio Helicis; eandem rationem eiusmodi rectæ ad inuicem quàm dicti arcus cum tota circuli circumferentia circuli simul assumpta, habebunt.

Manifestum V.

Hoc ipso demonstrabitur, quod si in spiralem ex tertia reuolutione ortam ceciderint rectæ linëæ, eandem inter se rationem habebunt quam dicti arcus cum integra circuli circumferentia bis accepta. Similiter verò omnes cadentes in alias spirales demonstrantur eandem habere rationem quam dicti arcus cum integra circuli citcumferentia toties assumpta, quotus est vnitate minor, reuolutionum numerus, licet alterutra cadens in finem spiralis incidat.

Prop. XVI. *Theor.* IX.

✠ Si spiralem ex prima reuolutione ortam recta linea tetigerit, & à contactu recta linea ducta fuerit ad punctum quod sit principium spiralis, quos facit angulos tangens cum hac ducta inæquales erunt, & quidem qui in antecedentia vergit, obtusus est; qui in consequentia acutus.

Manifestum VI.

Similiter verò demonstrabitur, quod si tangens spiralem in fine ipsius tetigerit, idem omnino sequetur.

Prop. XVII. *Theor.* X.

Quinimo si spiralem ex secunda reuolutione natam recta linea tetigerit, idem accidet.

Manifestum VII.

Eadem verò accident, & si taingens per terminum spiralis attingat. Similiter verò demonstrabitur: Quod si spiralem ex quacunque reuolutione natam recta tetigerit, etiam in fine ipsius, quod inæquales angulos faciet ad eam, quæ à tactu ad principium spiræ coniungitur: & eum quidem qui fiet in antecedentibus, obtusum, alium verò in consequentibus acutum.

Lemma.

Si quatuor magnitudinum prima fuerit minor tertia, & secunda maior quarta: prima minorem rationem habebit ad secundam, quàm tertia ad quartam. Contrà verò si prima fuerit maior tertia, & secunda minor quarta, prima maiorem habebit rationem ad secundam, quàm tertia ad quartam.

Prop. XVIII. *Theor.* XI.

Si spiralem ex prima circumuolutione ortam recta linea tetigerit

in termino ſpiræ : A puncto verò quod eſt in principio ſpiræ, quæ-dam ducatur ad angulos rectos ei quæ eſt principium reuolutionis, ducta incidet in tangentem, & ipſius quæ pars media erit inter tangentem, & principium ſpiræ, æqualis erit peripheriæ primi circuli.

Prop. XIX. *Theor.* XII.

✠ At ſi ſpiralem ex ſecunda reuolutione ortam in termino tetigerit linea recta, & à principio ſpiræ ducatur aliqua ad angulos rectos lineæ, quæ ſit initium reuolutionis : ipſa coincidet in tangentem, & erit recta media inter tangentem & principium ſpiræ dupla circumferentiæ ſecundi circuli.

Manifeſtum VIII.

Hoc ipſo modo demonſtrandum eſt, quo ſi ſpiralem ex quacunque circumuolutione natam tangat quædam recta in termino ſpiræ : tum ab initio ſpiralis ducatur linea recta ad principium reuolutionis, cadet in tangentem, totuplexque erit circumferentiæ circuli, quotus eſt numerus reuolutionis denominatus ab eodem numero.

Prop. XX. *Theor.* XIII.

✠ Si ſpiralem in prima reuolutione factam recta linea tetigerit non in termino ſpiræ, à contactu verò ad principium volutæ recta iungatur, tum centro quidem principio ſpiralis, interuallo verò illa iuncta, circulus deſcribatur : à principio præterea ſpiralis agatur aliqua ad rectos angulos : quæ à contactu ad principium helicis iungitur, cadet in tangentem, & erit recta inter concurſum & principium helicis, æqualis arcui deſcripti circuli, qui intercedit inter contactum & ſectionem qua ſecat deſcriptus circulus principium reuolutionis, capto in antecedentibus arcu à puncto qui eſt in principio circumuolutionis.

Manifeſtum IX.

Hoc verò ipſo modo demonſtrabitur, ſi recta ſpiralem ex ſecunda natam reuolutione tetigerit, non in termino ſpiralis, & cætera alia præparentur, quod quæ pars eſt media cadentis in tangentem à principio ſpiralis, æqualis eſt toti deſcripti circuli circumferentiæ, & adhuc arcui medio inter dicta puncta ſimiliter accepto. Et rurſus ſi aliqua linea ſpiralem quamcumque ex reuolutione ortam tetigerit, non quidem in termino, & cætera ſtruantur, quod recta quæ eſt inter dicta puncta, multiplex quædam eſt peripheriæ circuli, qui deſcribitur ſecundùm numerum vno minorem eo quo reuolutiones appellantur, & adhuc æqualis arcui qui eſt inter dicta puncta ſimiliter ſumpto.

Prebl. XXI. *Prop.* VIII.

Circa ſumptum ſpatium comprehenſum ſub helice in prima reuolutione orta, & prima linea quæ principium facit reuolutionis : poſ-

sibile est figuram planam describere, & aliam eidem inscribere, ex similibus sectionibus compositam, ita vt circumscripta maior sit quàm inscripta quocumque proposito spatio.

Manifestum X.

Inde manifestum est, quod possibile est circa dictum spatium figuram, qualis dicta sit, scribere, ita vt circumscripta figura maior sit spatio, & quidem quantitate minori quocumque proposito spatio: & rursus aliam inscribere, ita vt spatium similiter maius sit inscripta figura quantitate minori, quocumque proposito spatio.

Prop. XXII. *Probl.* IX.

Circa sumptum spatium quod comprehendatur sub helice ex secunda reuolutione descripta, & recta linea que est secunda earum quæ principium faciunt reuolutionis: possibile est figuram planam conscribere ex similibus sectoribus constantem, & aliam in ipso inscribere, ita vt circumscripta maior sit inscripta minori quantitate quàm sit quodcumque propositum spatium.

Manifestum XI.

Liquet itaque quod possibile sit & circumscribere figuram circa sumptum spatium, quæ maior sit quantitate minori, omni proposito spatio, & rursus sumptum spatium maius esse inscripta figura quantitate minori, omni proposito spatio.

Manifestum. XII.

Hoc ipso autem modo manifestum est, quod possibile sit circa sumptum spatium comprehensum sub spirtali ex quantacumque reuolutione orta, & recta linea quæ sit in principio reuolutionis ab eodem numero quam reuolutio denominata, conscribere figuram planam qualis dicitur; ita vt circumscripta hæc figura maior sit assumpto spatio, quantitate minori quolibet proposito spatio, & rursus inscribere, ita vt assumptum spatium maius sit hac inscripta figura quantitate minori omni proposito spatio.

Prop. XXIII. *Probl.* X.

Sumpto spatio comprehenso sub spirali, quæ sit minor ea quæ ex vna reuolutione generatur, nec habeat terminum principium spiralis, & lineis rectis, quæ à principio spiralis ducantur; possibile est circa huiusmodi spatium figuram planam circumscribere ex similibus sectoribus conflatam, & aliam inscribere, ita vt circumscripta figura inscripta sit maior minori quidem quantitate quàm sit propositum spatium.

Manifestum XIII.

Hinc igitur manifestè pater quòd possibile sit circa dictum spatium planum, quale dictum est, conscribere, itaut circumscripta figura

maior sit spatio quantitate minori, quàm sit propositum spatium.

Prop. XXIV. *Theor.* XIV.

✣ Comprehensum à spirali ex prima reuolutione nata, & prima linea quæ principium est reuolutionis: spatium, tertia pars est primi circuli.

Corollar. 1. Hinc sequitur reliquum circuli, quod supereſt, post spatium illud ablatum, esse duas tertias circuli, scilicet spatij duplum.

Corollar. 2. Hinc etiam deducimus, quòd si à principio spiralis in ipsam recta linea ducatur, spatium contentum spirali, & hac recta linea tertiam partem esse eius partis circuli, qui centro principio spiralis & interuallo linea in spiralem incidente describitur, contentæ circumferentia huiusce circuli, & duabus lineis, nempe incidente, tum parte eius quæ principium est reuolutionis, à circulo resecta.

Prop. XXV. *Theor.* XV.

Spatium sub helica ex secunda reuolutione descripta, & recta linea, secunda eius quæ est in pricipio reuolutionis, ad secundum circulum hanc habet rationem, quam habent 7. ad 12. quæ eadem est quam habent hæc duo, nempe quod comprehenditur sub radio secundi circuli, & radio primi circuli, & tertia pars quadrati excessus quo excedit radius secundi circuli radium primi circuli, ad quadratum à radio secundi circuli.

Manifestum XIV.

Hoc ipsomet modo demonstrabitur, & quod comprehensum spatium sub spirali ex quacumque circumuolutione generata, & recta eodem numero quo reuolutiones denominata, ad circulum eodem rursus numero significatum, quo circumuolutiones, rationem habet quam complexum, tum ex eo quod comprehenditur sub radio ipsiusmet circuli secundùm ipsum numerum dicti, & radio circuli secundùm numerum vnitate minorem, quàm sit reuolutionum numerus denominati, tum ex tertia parte quadrati quod fit ab excessu, quo excedit radius maioris circuli prædictorum, radium minoris circuli prædictorum, habet ad quadratum eius, quæ ducitur à centro maioris circuli prædictorum.

Prop. XXVI. *Theor.* XVI.

Comprehensum spatium sub spirali, quæ est minor ea quæ ex vna reuolutione fit, nec habet terminum principium spiralis, & rectis quæ à terminis ipsius in principium spiralis ducuntur, ad sectorem habentem radium æqualem maiori earum, quæ à termino ad principium spiralis ducitur: arcum verò qui intercipitur inter rectas ductas secun-

dùm eaſdem partes ſpiralis, hanc habet rationem, quam habent hæc duo, rectangulum comprehenſum ſub rectis à terminis in principium ſpiralis, ductis, & tertia pars quadrati exceſſus quo maior dictarum linearum ſuperat minorem, ad quadratum maioris linearum à terminis ad ſpiralis principium coniunctarum. *Vide Lemma, & Corollarium.*

Lemma. Expoſitis tribus lineis inæqualibus, rectangulum ſub maiori & media ſuperat id quod fit à media & minima, quantitate rectanguli ſub media & parte, qua maxima ſuperat minimam comprehenſi.

Prop. XXVII. *Theor* XVII.

✠ Spatiorum comprehenſorum ſub ſpiralibus, & rectis lineis quæ in circumuolutione ſunt, tertium quidem ſecundi duplum eſt: quartum verò triplum: quintum autem quadruplum, & ſemper quod ſequitur, ſecundum numeros qui deinceps ſunt, multiplex eſt ſecundi ſpatij. Primum verò ſpatium ſexta pars eſt ſecundi.

Prop. XXVIII. *Theor.* XVIII.

Si in Helica ex quacumque reuolutione generata duo puncta ſumantur, quæ non ſint ipſius termini: à ſumptis verò punctis iungantur rectæ ad principium Helicis: & centro quidem principio ſpiralis interuallis verò lineis à punctis ad principium ſpiralis ductis, circuli deſcribantur: comprehenſum ſpatium ſub maiori arcuum medio inter ductas lineas, & helica media inter eaſdem rectas, ac recta linea producta, hanc habebit rationem ad comprehenſum ſpatium ſub minori arcu, & eadem ſpirali, & alia recta coniungedte vtriuſque terminos, quam radius minoris circuli cum duabus tertiis exceſſus, quo excedit radius maioris circuli radium minoris, ad radium minoris circuli cum vna tertia parte eiuſdem exceſſus.

Prop. XXIX. *Theor.* XIX.

✠ Si in ſpiralem ex vna reuolutione ortam, & à principio ſpiralis recta linea ceciderit: ſpatium comprehenſum ſub ſpirali, & linea prima eam rationem habet ad ſpatium contentum ſub prima ſpiralis parte & linea incidente, quam habet cubus primæ lineæ ad cubum lineæ incidentis. *Videatur Corollarium.*

Lemma. Si fuerint duo quantitatum inæqualium ordines, in quorum primo ſit prima ad ſecundam, & ſecunda ad tertiam, vt in ſecundo prima ad ſecundam, & ſecunda ad tertiam: erit in illo differentia primæ & ſecundæ ad differentiam eiuſdem primæ & tertiæ, vt in hoc differentiam primæ & ſecundæ, ad differentiam primæ & tertiæ.

Problema 1. Propoſiti anguli imperatam partem aſſignare.

Problema 2. Omnes figuras quotquotlibet laterum in circulo describere. Cognosces autem facilè quot rectis æquiualeant anguli figuræ propositæ; duplicatus enim triangulorum numerus, in quot figura diuiditur, prædictum numerum constituit. Exempli gratia, Heptagonum in quinque triangulos dirimitur, quapropter decem angulos rectos angulis suis continet, quorum vnusquisque recto & $\frac{3}{5}$ recti par est. Idem reperies (mi THEOTIMR) si à numero laterum duplicato quaternarium auferas.

ARCHIMEDIS DE PLANIS ÆQVIPONDERANTIBVS SEV ISORROPICIS, VEL CENTROBARICIS. LIBER PRIMVS.

Petitiones.

I. ÆQVALIA pondera ab æqualibus distantiis æquiponderare.
II. Æqualia verò pondera ab inæqualibus distãtii non æquiponderare, sed inclinari ad grauitatem quæ à distantia maiori tendet.
III. Si ponderibus æquiponderantibus ab aliquibus distantiis alteri ipsorum ponderum adiiciatur aliquid, non ampliùs æquiponderare, sed inclinari ad pondus illud quod additum est.
✠ IV. Similiter verò, & si ab altero ponderum auferatur aliquid: non æquiponderare, sed inclinari versus illud pondus à quo nihil ablatum fuerit.
✠ V. Æqualium & similium figurarum planarum inter se mutuo conuenientium, centra grauitatum inter se mutuo conuenire.
✠ VI. Puncta verò similiter poni in similibus figuris, à quibus ad æquales angulos ductæ rectæ, angulos ad latera similium rationum æquales efficiunt.
✠ VII. Inæqualium verò, sed similium centra grauitatum similiter esse posita.
✠ VIII. Si magnitudines ab æqualibus distantiis æquiponderant, etiam alias ipsis æquales ab iisdem distantiis æquiponderare.

9. Cuiuſcunque figuræ ſi fuerit ambitus in eaſdem partes cauus, centrum grauitatis figuræ intus eſſe.

10. Planum contentum ſub recta linea, & rectanguli coniſectione, planum parabolicum appellari.

11. Similes ſectiones coni eſſe, in quarum ſingulis, ductis lineis baſi parallelis numero æqualibus, ſunt ipſæ parallelæ, & baſes ad abſciſſas, ab ipſis parallelis à vertice partes diametrorum, in eadem ratione, tum abciſſæ ipſæ ad abſciſſas.

12. Figuras euidenter deſcriptas in portionibus parabolicis eſſe ſimiles, quæ deſcribuntur numero laterum pares.

Propoſitiones & Theoremata.

1. Æquiponderantia grauia ab æqualibus diſtantijs, æqualia ſunt.

2. Inæqualia grauia non æquiponderant ab æqualibus diſtantijs, ſed inclinabuntur ad maius.

3. Inæqualia grauia ab inæqualibus diſtantiis æquiponderant, & quidem maius à minori.

4. Si duę æquales magnitudines non habent idem centrum grauitatis: magnitudinis ex vtriſque magnitudinibus compoſitæ centrum grauitatis eſt in medio rectæ lineæ centra grauitatum ipſarum magnitudinum coniungentis.

5. Si trium magnitudinum cẽtra grauitatis in rectam lineam fuerint poſita, & magnitudines æqualem grauitatem habuerint. Tum quæ inter centra lineæ, fuerint æquales: magnitudinis ex omnibus compoſitæ centrum grauitatis erit punctum, quod eſt mediæ ipſarum centrum grauitatis. *Videatur corollarium.*

Manifeſtum I.

Vnde manifeſtum eſt, quod ſi quotcunque magnitudinum numero imparium centra grauitatis in recta linea fuerint conſtituta, ſique æqualiter abfuerint à media magnitudine & æqualem habuerint grauitatem, nempe ſi rectæ lineæ inter earum centra fuerint æquales: magnitudinis ex omnibus compoſitæ centrum grauitatis erit punctum quod & mediæ ipſarum centrum eſt grauitatis.

Manifeſtum II.

Si quoque pares fuerint multitudine magnitudines, & centra grauitatis earum in rectam fuerint conſtituta & media ipſorum æqualem grauitatem habuerint, fuerintque lineæ inter centra rectæ æquales: magnitudinis ex omnibus illis magnitudinibus compoſitæ grauitatis centrum erit medium rectæ lineæ coniungentis centra grauitatis magnitudinum, vt dictum eſt. *Vide lemma.*

6. Commensurabiles magnitudines ex distantijs reciprocis eandem rationem habentibus quam pondera, æquiponderant.

7. At vero si incommensurabiles fuerint magnitudines, similiter æquiponderabunt à distantijs permutatim rationem habentibus eandem quam magnitudines.

Lemma I. Quolibet plano in duas partes secto, si partium centra recta linea coniungantur, agetur hæc recta per centrum totius.

Lemma II. Si æquiponderantibus æquiponderantia addantur, omnia æquiponderant: aut ab æquiponderantibus si æqualiter ponderantia auferantur, etiam reliqua æquiponderant.

8. Si ab aliqua magnitudine resecetur quædam portio non habens idem centrum cum tota: reliquæ magnitudinis centrum grauitatis est in recta linea coniungente centra grauitatum totius magnitudinis, & ablatæ portionis, producta ad easdem partes versus quas centrum est totius magnitudinis, nempe si assumpta aliqua pars ex producta coniungente dicta centra, habeat eandem rationem ad illam quæ est inter centra, quam habet grauitas detractæ magnitudinis ad grauitatem reliqui, erit centrum illud assumptæ terminus.

9. Cuiuscunque parallelogrammi centrum grauitatis est in recta linea coniungente opposita parallelogrammi latera bifariam facta.

10. Cuiuscunque parallelogrammi centrum grauitatis est punctum quó diametri coincidunt.

11. Si duo triangula similia inter se fuerint, & in ipsis puncta similiter posita ad ipsa triangula alterúmque punctum trianguli in quo stet erit, centrum grauitatis fuerit, reliquum quoque punctum centrum est grauitatis eius in quo stat trianguli: similiter verò dicimus puncta iacere in similibus figúris illa, à quibus rectæ ad æquales angulos ductæ lineæ æquales, ad similia latera angulos faciunt.

12. Si duo triangula similia fuerint, vnius verò triãguli centrum grauitatis fuerit in recta, quę ducta est ab vno angulo in mediam basim: etiam reliqui trianguli centrũ grauitatis erit in linea similiter ducta.

Lemma I. Si triangulus bifariam dirimatur linea à superiori angulo in oppositum laus educta ipsúmque bifariam dirimente: basis autem semisses in partes æquales distribuantur, & à sectionum punctis rectæ intra triangulum ducantur parallelæ illi bifariam triangulum secanti harum parallelarum binæ æqualiter remotæ à centro æquales erunt.

Lemma 2. pendet à figura.

Lemma 3. Si trianguli bina latera lineæ secuerint basi æquidistantes & ab angulo opposito in reliquam basim lineæ demittantur, hæc illas, & basim secant proportionaliter: tum vicissim hæ, & latera sectas

2009 Ministerio de Cultura

ab illis,& basi proportionaliter secantur.

Lem. 4. Si trianguli omnia latera bifariam secẽtur, lineisque iungantur sectionum puncta, fient quatuor similia toti,& inte se & æqualia triangula.

18. Cuiuscumque trianguli centrum grauitatis est in recta linea, quæ ab angulo in mediam basim ducitur.

19. Cuiuscunque trianguli centrum grauitatis est punctum, in quod coincidunt linęę ductæ ab angulis trianguli in media latera oppositã. *Vnde sequitur lineam ab angulo trianguli per centrum ipsius grauitatis actam in oppositum latus, ipsum bifariam secare.*

Lemma I. Si trapezium duo latera habuerit inæqualia & parallela, quæ bifariam secta recta linea iungantur è sectionum punctis, reliqua vero latera producantur vnà cum linea iungente: latera producta in iũgẽre cõcurrent: Eritque in iungente centrum grauitatis trapezij.

Lemma II. Si per centrum grauitatis trianguli agatur linea parallela vni ex lateribus : inter eam & ductum parallelum latus resecabitur tertia pars aliorum laterum. Et si linea ducta parallela vni lateri resecuerit tertiam reliquorum partem, centrum grauitatis trianguli in ea continebitur.

Hinc sequitur lineæ cuiuslibet eductæ ab angulo per centrum grauitatis trianguli in oppositum latus, tertiam partem contineri inter centrum, & oppositum latus.

Lemma III. Quatuor magnitudinum proportionalium, duplum primæ cum secunda est ad duplum secundæ cum prima, vt duplum tertiæ cum quarta ad duplum quartę cum tertia.

Lemma 4. Si è duobus trianguli lateribus in latera opposita lineæ agantur, quæ ea similiter secent: ipsæ quoque se diriment in ratione quam habet quodlibet latus ad suam partem angulo proximam, tum si à reliquo angulo per punctum intersectionis præcedentium tertia linea ducatur in oppositum latus, ipsum bifariam secabit.

13. Cuiuscumque trapezij duo latera parallela habentis, centrum grauitatis est in recta linea coniungente bisectiones parallelorum, ita diuisa, vt portio ipsius terminata in bisectione minoris parallelorum ad reliquam sectionem, habeat eam rationem quam habet æqualis duplæ maioris cum minori ad duplam minoris cum maiori parallelorum laterum. *Ex dictis sequens problema nascitur:* Cuiuscumque rectilineæ figuræ centrum grauitatis reperire.

Theorema.

Si fuerint duæ qualitates inæquilibrio, quæ ambæ vel ambarũ vna, adijs adhæserint: à centris autem grauitatum earumdem in radios,

quibus appenduntur, perpendiculares agantur: incidẽt hæ in radio. rum puncta, à quibus si appensæ fuerint eædem quantitates, ita vt iam radijs non toto corpore adhæreant, sed tantùm ab illis punctis appendeant, manebunt rursus inæquilibrio. *Vide corollarium.*

ARCHIMEDIS

Βαπέδων ἰσορροπιῶν.

LIBER SECVNDVS.

Problema Riualti.

PLANO subrecta linea & parabolica sectione contento parallelogrammum æquale reperire, ipsúmque ad datam rectam lineam applicate, ita vt recta hæc illud bifariam dirimat.

Propositiones & Theoremata.

1. Si duo spatia comprehensa sub recta linea & rectanguli coni sectione, quæ possumus ad datam rectam lineam applicare, idem grauitatis centrum non habeant, compositæ ex vtrisque magnitudinibus centrum grauitatis erit in recta linea coniungente grauitatis eorum centrum, quæ dictam rectam sic diuiserat, vt portiones ipsius permutatim eandem rationem ac ipsa spatia habuerint.

Manifestum I.

Si in portione sub recta & rectanguli coni sectione, comprehensa triangulum inscribatur eandem basim habens ac portio, & altitudinem æqualem: & rursus in reliquis portionibus triangula inscribantur easdem habentia bases cum portionibus & altitudines æquales, & semper in reliquis portionibus triangula fiant hoc ipso modo: Nata hinc figura in portione euidenter inscribi dicatur. Manifestum verò est, quod figuræ sic inscriptæ angulos à vertice quidem portionis deinceps proximos iungentes lineæ sint parallelæ basi portionis, & quod à diametro portionis bifariam diuidantur, diametrum verò diuidant in rationes numerorum deinceps imparium vna dicto ad verticem portionis. Hoc autem demonstrandum fuit in ordinibus.

Si verò in portione comprehensa sub recta linea & rectanguli coni sectione rectilineum euidenter inscribatur: inscripti centrum grauitatis erit in diametro portionis.

Lemma 1. Parabolæ omnes sunt similes.

Lemma 2. Si fuerit sicut totum ad ablatum; & rursus vt totum ad reliquum, sic totum ad reliquum: Erit ablatum ad reliquum, vt ablatum ad reliquum, & vt totum ad totum, sic totum ad totum.

Mapa Ministerio de Cultura

Lemma 3. Si fuerit prima ad ſecundam vt tertia ad quartam, prima verò fuerit ad partem ſecundæ, vt tertia ad partem quartæ, erunt ſecunda & quarta diuiſæ in eadem ratione, & contra.

Lemma 4. Si duæ lineæ ſimiliter ſecantur, & à punctis tam extremitatum quam ſectionum lineæ aſſurgant parallelæ in ſimilibus rationibus quarum extrema rectis iungantur: trapezia quæ hinc naſcentur, eruntinter ſe ſicuti trapezia quæ orientur illinc. *Vide coroll.*

3. Si in vtraque duarum portionum ſimilium comprehenſum ſub recta & rectanguli coni ſectione rectilineæ figuræ euidenter deſcribãtur, quarum latera ſint multitudine æqualia: figurarum centra grauitatum ſimiliter ſecant diametros portionum.

4. Cuiuſcumque portionis comprehenſę ſub recta linea, & rectanguli coni ſectione, centrum grauitatis eſt in portionis diametro.

Lemma. Si in parabola figura euidenter inſcribatur, duarúmque oppoſitarum portionum relictarum centra grauitatum linea recta copulentur: centrum magnitudinis ex ambabus portionibus compoſitæ incidet in diametrum totius. *Vide corollarium.*

5. Si in portione comprehenſa ſub recta linea, & rectanguli coni ſectione, rectilinea figura euidẽter inſcribatur: totius portionis centrũ grauitatis propius erit vertici portionis quàm inſcriptæ figuræ cẽtrũ.

Corollarium. Ex demonſtratis deducere poſſumus, quod ſi ex quatuor magnitudinibus prima in maiori fuerit ratione ad ſecundam quàm tertia ad quartam, eſſe ſecundam minorem quarta.

Lemma 1. Quatuor magnitudinum ſi prima quàm ſecunda maior fuerit, & tertia quàm quarta, prima eſt ad quartam in maiori ratione, quàm ſecunda ad tertiam.

Lemma 2. Figuræ πωλύγωνοι inſcriptæ in parabola; quanto pluribus lateribus conſtabit, tanto propiùs centrum grauitatis accedet ad verticem portionis.

6. Portione data comprehenſa recta linea, & rectãguli coni ſectione, poſſibile eſt in ipſa ſectione figuram euidenter inſcribere, ita vt recta linea quæ media fuerit inter centra grauitatum portionis, & inſcriptæ figuræ minor ſit, qualibet linea recta propoſita.

7. Duarum portionum ſimilium comprehenſarum ſub recta linea, & rectanguli coni ſectione, centra grauitatum in eadem ratione ſecant diametros.

Lemma. Si prima magnitudo fuerit quadrupla ſecundæ, & ſecunda tripla tertiæ, prima ſecundæ & tertiæ ſimul, tripla erit.

8. Cuiuſcumque portionis comprehenſæ ſub recta, & rectanguli coni ſectione, centrum grauitatis dirimit portionis diametrum, ita

vt pars ipsius quę est ad verticem, sit sesquialtera partis, quę est versus basim. *Videantur duo corollaria.*

Lemma I. Quatuor magnitudinum inæqualium in continua proportione existentium excessus in eadem proportione existunt.

Lemma II. Si fuerint aliquot magnitudines, & aliæ totidem in eadem ratione: vt fuerint in primo ordine omnes præcedentes ad vltimam, sic erunt in alio ordine omnes præcedentes ad vltimam: *Videcorollarium.*

Lemma III. Magnitudo magnitudinis sesquialtera, trium eiusdem quintarum est dupla sesquialtera.

IX.

Si quatuor fuerint lineæ proportionales in continua proportione, & quam habet rationem minima ad excessum quo maxima excedit minimam, eandem aliqua assumpta habeat ad tres quintas excessus, quo superat maxima proportionalium tertiam: quam verò rationem habet æqualis duplæ maximæ proportionalium & quadruplæ secundæ & sextuplæ tertiæ & triplæ quartæ ad æqualem quintuplæ maximæ, & decuplæ secundæ & decuplæ tertiæ, & quintuplæ quartæ, eadem habeat quædam assumpta ad excessum quo maxima proportionalium tertiam superat: hæ duæ assumptæ simul erunt duæ quintæ ipsius maximæ.

Lemma. Si in aliqua parabola lineæ ordinatim ducantur: portiones ab ipsis constitutæ se habent inter se vt cubi basium, vel semissium basium ipsarum portionum.

X.

Cuiuscumque frusti à rectanguli coni sectione dirempti centrum grauitatis est in recta linea quæ diameter est frusti: eo scilicet modo iacens in media quinta huius rectæ lineæ in quinque partes æquales sectæ, vt particula ipsius quintæ propior minori basi frusti ad reliquam particulam eam rationem habeat quam habet solidum habens quidem basim quadratum maioris basis frusti, altitudinem verò lineam æqualem vtrique, & duplæ maioris basis & minori ipsarum.

Hisce de æquiponderantibus libris tractatus Commandini, & Valerij subiungendus essent, vt centrum grauitatis perfectiùs in omni corpore intelligeretur; nisi illud in mechanicorum libris facturi essemus, quos si placet (mi THEOTIME) expectabis; accipiesque interim libros qui ad hydraulicam attinent; de qua etiam, Deo iuuante, in mechanicis agendum erit.

Ministerio de Cultura

ARCHIMEDIS περὶ τῶν ὀχουμένων, hoc est de insidentibus in humido.

LIBER I.

Positiones, seu Hypotheses.

I.

✠ PONATVR humidi eam esse naturam, vt partibus ipsius æqualiter iacentibus, & continuatis inter sese, minus pressa à magis pressa expellatur: vnaquæque autem pars eius premitur humido supra ipsam existente ad perpendiculum, si humidum sit descendens in aliquo, aut ab alio aliquo pressum.

II.

✠ Ponatur eorum quæ in humido sursum vel deorsum feruntur, vnumquodque sursum vel deorsum ferri secundùm perpendicularem, quæ per centrum grauitatis ipsorum ducitur. *His addit. 3, Riualtus*, nempe.

III.

✠ Humidum omne pondus habere.

Propositiones & Theoremata.

I.

✠ SI superficies aliqua plano secetur per idem semper punctum, sitque sectio circuli circumferentia centrum habens punctum illud, per quod plano secatur: sphæræ superficies erit.

II.

✠ Omnis humidi consistentis atque mouentis superficies sphærica est, cuius sphæræ centrum est idem quod centrum terræ.

III.

✠ Solidarum magnitudinum quæ æqualem molem habentes æquè graues sunt atque humidum in humidum consistens demissæ mergentur, ita vt ex humidi superficie nihil extet: non tamen adhuc deorsum ferentur.

IV.

✠ Solidarum magnitudinum quæcumque leuior humido fuerit, demissa in humidum manens non demergetur tota, sed aliqua pars ipsius ex humidi superficie extabit.

✠ Solidarum magnitudinum quæcumque leuior humido fuerit

demissa in humidum *manens*, vsque eo demergetur vt tanta moles humidi, quanta est partis demersæ, eandem quam tota magnitudo grauitatem habeat. VI.

Solidæ magnitudines humido leuiores in humidũ impulsæ, sursum ferũtur tanta vi, quanto humidum molem habẽs magnitudini æqualẽ, grauius est ipsa magnitudine. VII.

✠ Solidæ magnitudines humido grauiores demissæ in humidum ferentur deorsum, donec descendant: & erũt in humido tanto leuiores, quanta est grauitas humidi molem habentis solidæ magnitudini æqualem.

Lemma. Si circuli se secuerint, iunganturque eorum sectiones lineâ: ipsa dirimetur bifariam, & ad angulos rectos ab alia linea quæ eorum centra coniunget. VIII.

✠ Si aliqua magnitudo solida leuior humido, quæ figuram portionis sphæræ habeat, in humidum demittatur, ita vt basis portionis non tangat humidum: figura insidebit recta, ita vt axis portionis sit secundùm perpendicularem.

Et si ab aliquo inclinetur figura, vt basis portionis humidum contingat: non manebit inclinata si demittatur, sed recta restituetur.

IX. Quod si figura humido leuior in humidum demittatur, ita vt basis tota sit in humido: insidebit recta, ita vt axis ipsius secundùm perpendicularem constituatur.

Accuratè legendi sunt isti libri, cùm in ijs multorum arcanorum, & machinarum admirabilium semina insint; nec possit afferri ratio plurimorum effectuum, qui tam in arte, quàm in natura quotidie cernuntur, nisi ex istis libris depromatur: quibus alia de differentiis ponderum in aëre, & aqua iungi possent; quod in mechanicis commodius fieri poterit.

ARCHIMEDIS DE IIS QVÆ vehuntur in humido.

LIBER II.

Propositiones & Theoremata.

I.

✠ SI magnitudo aliqua humido leuior demittatur in humidum, ea in grauitate proportionem habebit ad humidum æqualis molis

molis, quam pars magnitudinis demersa habet ad totam magnitudinem.

Lemma. Si parabolem contingat linea in puncto, sumatur vero in diametro paraboles linea æqualis ei quæ vsque ad axem: tum à puncto contactus ducatur linea æquidistans diametro, in quam ab initio lineæ assumptæ ducatur perpendicularis secans æquidistantem & tandem à fine lineæ assumptæ per punctum sectionis æquidistantis ducatur linea in tangentem, ad eandem linea ducta erit perpendicularis.

II.

✠ Recta portio conoidis rectanguli, quando axem habuerit minorem, quàm sesquialterum eius quæ vsque ad axem, quamcumque proportionem habens ad humidum in grauitate: demissa in humidum, ita vt basis ipsius humidum non contingat, & posita inclinata non manebit inclinata, sed recta restituetur. Rectam dico consistere talem portionem, quando planum quod ipsum secuit, superficiei humidi fuerit æquidistans.

III.

✠ Recta portio conoides rectangulæ quando axem habuerit minorem quàm sesquialterum eius, quæ vsque ad axem, quamcunque proportionem habens ad humidum in grauitate, demissa in humidum, ita vt basis ipsius tota sit in humido, & posita inclinata, non manebit inclinata, sed ita restituetur, vt axis ipsius secundùm perpendicularem fiat.

IV.

✠ Recta portio rectangulæ conoidis, quando fuerit humido leuior, & axem habuerit maiorem quàm sesquialterum eius, quæ vsq; ad axem, si in grauitate ad humidum æqualis molis, non minorem proportionem habeat ea, quam quadratum quod fit ab excessu, quo axis maior est, quàm sesquialter eius, quod vsque ad axem, habet ad quadratum quę ab axe: demissa in humidum, ita vt basis ipsius humidum non contingat, & posita inclinata, non manebit inclinata, sed recta restituetur.

Lemma 1. Si prima ad secundam non maiorem habuerit rationem, quàm tertia ad quartam; habebit conuertendo secunda ad primam, non minorem proportionem quàm quarta ad tertiam.

Lemma 2. Si fuerit tota ad partem sui in non minori ratione quàm alia tota ad partem sui: erit quoque conuertendo tota prima ad sui reliquum in non maiori ratione quàm secunda tota ad sui reliquum.

V.

✠ Recta portio conoidis rectangulæ quando leuior humido axem habuerit maiorem quàm sesquialterum eius, quæ vsque ad axem, si ad humidum in grauitate non maiorem proportionem habeat, quàm ex-

ceſſus, quo quadratum quod fit ab axe maius eſt quadrato, quod ab excellus, quo quadratum quod fit ab axe maius eſt quadrato, quod ab exceſſu, quo axis maior eſt quàm ſeſquialter eius quæ vſque ad axem, ad quadratum quod ab axe: demiſſa in humidum, ita vt baſis ipſius tota ſit in humido, & poſita inclinata, non manebit inclinata, ſed reſtituetur ita, vt axis ipſius ſecundùm perpendicularem fiat.

Lemma. In triangulo, ſi ab altera extremitate baſis, linea ducatur quomodocumque ſecans oppoſitum latus: tum in latere à quo incipit duci linea, ſumantur aliquot puncta, à quibus ſingulis ducantur lineæ parallelæ cùm baſi, tum lineæ recens ductæ: omnes lineæ rectæ inter illas parallelas ductæ æquidiſtanter oppoſito lateri, ſiunt alternatim proportionales. *Vide corollar. & ſcholion.*

VI.

✠ Recta portio conoidis rectangulæ, quando leuior humido axem habuerit maiorem quidem quàm ſeſquialterum eius, quæ vſque ad axem, minorem verò quàm vt ad eam quæ vſque ad axem proportionem habeat, quam 15 ad 4; in humidum demiſſa adeo vt baſis ipſius contingat humidum, nunquam conſiſtet inclinata ita, vt baſis in vno puncto humidum contingat.

VII.

Recta portio conoidis rectangulæ, quando leuior humido axem habuerit maiorem quidem quàm ſeſquialterum eius, quæ vſque ad axem, minorem verò quàm vt ad eam quæ vſque ad axem proportionem habeat, quam 15 ad 4; in humidum demiſſa, adeo vt baſis ipſius tota ſit in humido, nunquam conſiſtet, ita vt baſis contingat humidi ſuperficiem, ſed vt tota in humido ſit, & nullo modo eius ſuperficiem contingat.

VIII.

Recta portio conoidis rectangulæ quando axem habuerit maiorem quidem quàm ſeſquialterum eius quæ vſque ad axem, minorem verò quàm vt ad eam quæ vſque ad axem proportionem habeat quàm 15 ad 4: ſi in grauitate ad humidum habeat proportionem ea minorem quàm quadratum, quod fit ab exceſſu quo axis maior eſt quam ſeſquialter illius, quæ vſque ad axem, habet ad quadratum quod ab axe, demiſſa in humidum, ita vt baſis ipſius humidum non contingat: neque in rectum reſtituetur, neque manebit inclinata, niſi quando axis cum ſuperficie humidi angulum fecerit æqualem ei, de quo infra dicitur.

IX.

Recta portio conoidis rectangulæ, quando axem habuerit maiorem quidem quàm ſeſquialterum eius, quæ vſque ad axem, minorem verò quàm vt ad eam quæ vſque ad axem proportionem habeat, quàm 1 ad 4:

& in grauitate ad humidum proportionem habeat maiorem quàm excessus, quo quadratum quod fit ab axe maius est quadrato quod ab excessu, quo axis est maior quàm sesquialter eius, quæ vsque ad axem, habet ad quadratum, quod ab axe: in humidum demissa, adeo vt basis ipsius tota sit in humido, & posita inclinata, nec conuertatur ita vt axis ipsius secundùm perpendicularem sit, nec manebit inclinata, nisi quando axis cum superficie humidi angulum fecerit æqualem angulo similiter vt priùs assumpto.

Propositio X. habens quinque conclusiones, quarum sit.

I. Recta portio conoidis rectanguli quando leuior humido axem habuerit maiorem quàm vt ad eam, quæ vsque ad axem, rationem habeat quàm 15 ad 4, in humidum demissa, ita vt basis ipsius non contingat humidum: nonnunquam quidem recta consistet: nonnunquam inclinata, vt basis ipsius in vno puncto contingat superficiem humidi, idque in duabus dispositionibus: interdum quidem, ita vt basis in humidum magis demergatur: interdum verò, vt superficiem humidi nullo modo contingat, secundùm proportionem, quam habet ad humidum in grauitate. Eorum quæ dicta sunt, singula inferiùs demonstrabuntur.

II. *Concl.* Si portio ad humidum in grauitate minorem quidem proportionem habeat, quàm quadratum SB ad quadratum BD, maiorem verò quàm quadratum XO ad quadratum BDI demissa in humidum, adeo inclinata, vt basis ipsius non contingat humidum, inclinata consistet, itavt basis superficiem humidi nullo modo contingat, & axis cum humidi superficie angulum faciat maiorem angulo X.

III. *Concl.* Si portio ad humidum in grauitate eam habeat proportionem, quam quadratum XO ad quadratum BD; demissa in humidum inclinata adeo, vt basis ipsius non contingat humidum: consistet, & manebit ita, vt basis in vno puncto humidi superficiem contingat: & axis cum superficie humidi angulum faciat angulo X æqualem. Quod si portio ad humidum in grauitate eam proportionem habeat, quam quadratum PF ad quadratum BD, in humidum demissa, & posita adeo inclinata, vt basis ipsius non contingat humidum, consistet inclinata, itavt basis in vno puncto humidi superficiem contingat, & axis cum ea faciat angulum angulo æqualem.

IV. *Concl.* Si portio ad humidum in grauitate maiorem quidem proportionem habeat, quàm quadratum FP ad quadratum BD, minorem verò quàm quadratum XO ad BD quadratum: in humidum de-

missa, & adeo inclinata, vt basis ipsius non contingat humidum, consistet, & manebit ita, vt basis in humidum magis demergatur.

V. *Cond.* Si portio ad humidum in grauitate proportionem habeat minorem, quàm quadratum FP ad quadratum BD, demissa in humidum, & posita inclinata adeo, vt basis ipsius non contingat humidum: consistet inclinata, ita vt axis ipsius cum humidi superficie angulum faciat minorem angulo φ; & basis nullo modo superficiem humidi contingat.

ARCHIMEDIS

ΨΑΜΜΙΤΗΣ, seu Arenarius.

PVtant quidam, ô Rex Gelon, infinitam esse arenam multitudinẽ. Dico verò non solùm eam quæ circa Syracusas est, reliquámve Siciliam, sed eam quæ omnem regionẽ, cùm habitabilem, tum inhabitabilem circũstat. Nõnulli verò sunt qui ipsam innumeram quidẽ non esse assumũt, sed negãt vllam esse nomenclaturam, quæ ipsius exuperet multitudinem. Qui verò sic sentiũt, manifestum, quòd si intelligãt ex arena tantum compositum esse aceruum, vt eo impleantur, & salsura, & terræ concauitates, vorsuræque vsque ad æqualitatem supremorum montium, repentè pronuntient deesse multo magis numerum qui hanc excedat multitudinem. Ego verò hoc tentabo demonstrare, & quidem Geometricis demonstrationibus, quibus consequeris numerorum à nobis recensitorum, & datorum ad Zeuxippum scriptis, aliquos esse qui non solùm & arenæ multitudinem æqualem terræ repletæ, vti diximus, sed eam, quæ haberetur par toti mundo, exuperent. Non autem ignoras quòd vocetur mundus à multis quidem Astrologis, sphæra cuius centrum est centrum terræ, radius vero æqualis rectæ, quæ à centro solis media est à centro solis media est ad centrum terræ. Ea verò quæ habentur ab Astronomis scripta discutiens Aristarchus Samius, hypotheses quasdam scriptis prodidit, ex quibus suppositis consequitur mundum multiplicem esse eius qui mox præscriptus est. Supponit enim errantia sydera, & solem non moueri. Terram verò ferri in gyrum circa solem qui in medio stadio iacet. Sellarum autem non errantium sphæram, circa ipsum solis centrum motam, ea esse magnitudine, vt circulus in quo terra ferri supponitur, eam habeat rationem ad stellarũ fixarum interuallum, quam habet centrum sphęræ ad superficiem. Hoc ve-

rò manifestò impossibile est. Cùm enim centrum sphęræ nullam habeat quantitatem, neque vllam rationem habere ipsum ad superficiem sphęræ supponendum est. Admittendum verò & istud intellexisse Aristarchum. Ex quo enim putamus terram circa mundi centrum constitutam, statuendum adstruxit demonstrationibus ex apparentiis petitis, quam terra rationem habet ad mundum à nobis dictum, eandem habere analogiam sphæram, cuius est circulus, secundùm quem terra gyrari supponitur ad sphæram stellarum fixarum. Et maximè videtur orbem in quo ponit terram moueri, supponi æqualem magnitudine ei quo mundum præscribi diximus. Dicimus itaque quod si ex arena fiat sphæra mole tanta, quantam Aristarchus esse inerrantium siderum orbem supponit, etiam aliquas demonstrari in principiis numerotum nomen claturas, multitudinem arenæ, quæ congerie dictam stellarum sphęram adęquet: supposítis scilicet aliquibus. Quorum primum est, ambitum terræ esse ter mille millium stadiorum & ampliùs, idque ratum esse, & ab experimentatis demonstrari, sicut & tu assentiris eam ipsam esse trecentorum millium stadiorum. At ego singulatim terræ magnitudinem augens, decuplo maiorem pono ipsius ambitum eo, quem primi illi obseruarunt, nempe ter millies millium stadiorum, & ampliùs. Deinde diametrum terræ maiorem esse diametro lunæ. Tum diametrum solis maiorem esse diametro terræ. Similiter ista sumo & conuenienter multis superiorum Astrologorum. Præterea diametrum solis diametri lunæ esse vt trigecuplum & non maiorem; cùm inter antiquos Astronomos Eudoxo quidem visus sit tantùm noncuplus: Phidiæ verò Acupatris filio vt duodecuplus, Sed Aristarchus nixus sit ostendere diametrum solis maiorem esse quàm duodeuigintuplum diametri lunæ, minorem verò quàm vigecuplum. Ego verò istud excedens, vt hypothesis remaneat sine dubio, & clarè demonstrata, suppono diametrum lunæ vt trigecuplum esse, nec maiorem. Præterea diametrum solis maiorem esse latere figuræ mille angulorum inscriptæ circulo maximo qui sit in mundo. Hoc verò supponimus, cum Aristarchus dicat solem apparere ac si esset vigesima & septingentesima circuli zodiaci pars. Ipse enim considerauit quomodo instrumentis posset excipere angulum, quo sol accommodatur, habentem verticem in oculo. Simile autem quid verè assumere non ita in promptu est: quoniam neque instrumenta, quibus fit obseruatio, digna satis sunt fide, ad accuratè demonstrandum. Verùm de his disputare nunc intempestiuum est, cum & alias frequentiùs ista determinata fuerint. Cæterùm satis mihi est vt propositum demonstrem, angulum sumere, qui maior sit angulo cui sol

accommodatur, habeatque verticem in visu. Et rursum alium angulum sumere, qui non minor sit angulo, cui sol accommodatur, & apicem in visu habeat. Constituta ergo ad normam longa regula super plano recto in loco iacente, vnde sol oriens conspici queat: Tum paruo cylindro tornatili super regula posito confestim ab aurora & ortu solis, postquam inceperit eiaculari radios in horizontem, potueritque ex opposito videri, conuertatur regula ad solem. Deinde visus statuatur in extremo ipsius regulæ. Cylindrus verò in medio admoueatur inter visum & solem, ita vt adum bretur soli, tum separetur paulatim cylindrus ab oculo: & vbi inceperit quid minimum solis intueri ab vtraque parte cylindri, sistatur cylindrus. Sic enim accidit vt oculus ab vno puncto intueatur sub rectis ductis ab extremo regulæ in loco vbi constitit visus, tangentibus cylindrum, & quidem angulo comprehenso sub istis ductis minori eo angulo, cui sol accommodatur, habenti verticem in oculo: propterea quod apparet aliquid solis vndequaq; cylindri. Porro quoniam visus non respicit ab vno puncto, sed ab aliqua quantitate, sumatur aliqua magnitudo teres, non minor visu, & hoc rotundo corpore collocato in extremitate regulæ vbi oculus sistitur, recta agatur tangens, & hoc teres corpus & item cylindrum: etenim qui comprehenditur angulus sub lineis ductis, minor est angulo, in quo sol accommodatur, habente apicem in visu. Magnitudo autem non minor visu hoc pacto reperietur. Capiantur duo cylindruli leues, æquè crassi inter se, alter quidem albus, alter verò non; præponantur deinde visui, longius quidem à visu albus, qui verò non albus est, propè oculos, ita vt faciem attingat. Si quidem ergo assumpti cylindruli fuerint visu multo tenuiores, intercipitur à visu propior cylindrulus, ita vt appareat albus totus esse, figura multo exiliori. Si verò non multum quædam dumtaxat albi partes conspiciuntur, vndiquaque eius qui prope oculum est. Sumptis itaque cylindrulis eiusmodi vt alter sua crassitie alterum adumbret, & non ampliori loco talis quidem magnitudo qualis est crassities cylindrulorum hoc efficientium maximè est non minor visu. Verùm angulus non minor angulo cui sol accommodatur verticem habens in oculo, sic sumitur. Remoto secus regulam cylindro, ab oculo ita vt applaudat seu conculcet cylindrus totum solem, & recta linea à regulæ extremo in quo est visus, educta stet tangens cylindrum: comprehensus angulus à ductis lineis non minor sit angulo in quo sol accommodatur, verticem habens in oculo. Porro his angulis sic assumptis, dimensoque angulo recto, fiebat qui in signo erat, seu maior angulus, minor quàm vnius partis earum 164, in quas rectus fuerat diuisus: minor verò, maior inuenie-

batur quàm vna 200. partium, in quas rectus fuerat diſſectus. Manifeſtum itaque eſt quod angulus cui ſol accommodatur, verticem habens in oculo, minor eſt quàm vna pars earum 164, in quas rectus diſtribueretur: maior verò quàm vna pars ex 200 in quas rectus diuideretur. His verò perſuaſis, per quæ etiam diameter ſolis exiſtit maior latere figuræ mille angulorum, deſcriptæ in maximo circulo qui ſit in mundo, intelligatur planum eductum per centrum terræ, & per viſum, ſtatim ac ſol fuerit ſupra horizontem. Et quidem traductum planum ſecet mundum ſecundùm circulum A B G: terram vero ſecundùm D E Z; ſolem autem iuxta S H circulum. Centrum quidem terræ ſit θ, ſolis verò C, oculus ſit D. Et ducantur rectæ tangentes circulum S H. à puncto quidem D, hæ D L & D X contingentes in N & T. Sed à puncto θ, hæ θ M, & θ O contingentes in K & R, & ſecantes circulum A B G in punctis A & B. Eſt quippe maior θ C, quàm D C, cùm ſupponatur ſol eſſe ſupra horizontem, ita vt angulus comprehenſus ſub D L, D X maior ſit angulo comprehenſo ſub θ M, θ O.



Qui vero comprehenditur ſub D L, D X maior quidem eſt quàm ducenteſima pars recti, ſed minor parte eiuſdem recti centeſima ſexageſima quarta. Iſte enim angulus eſt æqualis angulo, cui ſol accommodatur, verticem habenti in oculo. Angulus proinde comprehenſus ſub θ M θ O, minor eſt vna parte recti diuiſi in 164. Recta vero linea A B minor eſt ſubtendente portionem circumferentiæ circuli A B G, diuiſæ in 656 partes; peripheria vero huius polygon ad radiũ circuli A B G, minorem rationem habet quam 44 ad 7, quia cuiuſcumq; polygoni inſcripti circulo diameter ad radium minorem rationem habet quàm 44. ad 7. Noſti enim à nobis fuiſſe demonſtratum, omnem circuli circumferentiam maiorem eſſe quàm triplam diametri, parte minori quidem ſeptima, maiore vero decem ſeptuageſimis primis. Minorem ergo rationem habet linea A B ad θ C, quam 11 ad 1148. ita vt minor ſit A B quàm lineæ θ C centeſima pars. Lineæ autem B A æqualis eſt diametrus circuli S H: quoniam dimidia ipſius F A æqualis eſt radio C R. Æquacnim exiſtente θ C lineæ θ A, à punctis A & C iunctæ perpendiculares ad eundem angulum, ſunt æquales. Manifeſtum ergo eſt quod diameter circuli S H minor eſt centeſima parte lineæ θ C. Eſt autem diameter E θ I minor diametro circuli S H, quia minor eſt circulus D E Z. circulo S H: minores ergo ſunt ambæ θ I, & S C centeſimã par-

te lineæ θC, ita vt θC minorem rationem habeat ad IS, quam 100 ad 99. Atque cum θR minor sit quàm θC. Tum IS minor quàm DT, minorem proinde rationem habet θR ad DT, quàm 100 ad 99.

Cùm verò trianguli, θCR & DCT sint rectanguli, lateraque CR CT æqualia, alia verò θR, DT, inæqualia. Et maior angulus TDC comprehensus sub DT, DC ad angulum comprehensum sub θR, & θC, maiorem habet rationem quam θC ad DC, minorem verò quàm θR ad DT. Si enim duorum triangulorum rectangulorum altera quidem latera quæ circa angulum rectum sunt, æqualia fuerint, altera inæqualia: maior quidem angulus eorum qui inæqualibus lateribus adhærent, ad minorem, maiorem quidem habet rationem, quàm maior linea quæ circa rectum angulum est; ad minorem, ita vt angulus comprehensus sub DL, DX ad angulum contentum sub θO, θM minorem rationem habeat, quàm θR ad DT: quæ scilicet minor ratio est quàm 100 ad 99. Inde fit vt angulus comprehensus sub DL, DX, angulum comprehensum sub illis θM, θO, minorem rationem habeat quàm 100 ad 99. Et quoniam est angulus contentus sub DL, DX, maior ducentesima recti parte, erit & angulus comprehensus sub θM, θO, maior quàm partes 99 earum viginti millium in quas rectus secaretur. Ita vt maior fuerit quàm vna portio recti dissecti in 203 partes. Igitur BA maior est subtẽdente portionem circũferentiæ circuli ABG distributæ in 812. Est vero lineæ AB æqualis solis diameter. Manifestum ergo est solis diametrum maiorem esse latere figuræ mille angulorum. His suppositis hæc quoque demonstrantur: Diametrum nempe mundi minorem esse decies millecuplum diametri terræ. Et adhuc diametrum mundi minorem esse quàm stadiorum decies millies millenorum millium. Cùm enim ponatur diametrum solis non esse maiorem quàm trigecuplum diametri lunæ, diametrum verò terræ maiorem esse diametro lunæ: manifestum est diametrum solis minorem esse quàm trigecuplum diametri terræ. Rursus verò cum sit ostensus diameter solis maior esse latere figuræ mille angulorum inscriptæ circulo qui sit in mundo, maximo: patet ambitum dictæ figuræ mille laterum, minorem esse quàm millecuplum diametri solis. Diameter vero solis minor est quàm trigecuplus diametri terræ. Proinde ambitus dictæ figuræ mille angulorum minor est quàm terdecies millecuplus diametri terræ. Cùm itaque ambitus figuræ mille laterum sit mi-



nor

nor quàm trigesies millecuplus diametri terræ, diametri verò mundi maior quàm triplus. Siquidem demonstratum est quòd omnis circuli diameter minor est tertia parte cuiuscumqne polygoni in eo inscripti, quod pluribus quam 6 lateribus contineatur. Quia id tantùm est Hexagoni in circulo inscripti. Sequitur inde diametrum mundi minorem esse quàm decies millecuplum diametri terræ. Cum igitur diameter mundi minor sit quàm decies millecuplus diametri terræ, nempe quàm decies millies millenorum millium stadiorum. Id ex hoc patet. Quoniam itaque supponitur ambitum terræ non maiorem esse quàm trecenties decies millium stadiorum : ambitus verò terræ maior est triplo diametri, quia cuiuslibet circuli circumferentia maior est quàm tripla diametri, patet diametrum terræ minorem esse quàm stadiorum centies decies millium. Itaque cùm mundi diameter minor sit quàm decies millecuplus diametri terræ, manifestũ est quòd ipsa mundi diameter minor est quàm stadiorum 1000000000. Porro de magnitudinibus & distantiis ista suppono.

De arena verò hæc : si aliqua magnitudo conflatur ex arena non maior papauere, numerum ipsius non maiorem esse quàm 10000. Et diametrum papaueris non minorem esse, quàm quadragesimam partem digiti. Hoc autem statuo quod hoc modo sum contemplatus. Super plana regula papaueres dispositi sunt in rectam lineam sese tangentes, occuparuntque 25 papaueres locum ampliorem longitudine digiti. Verùm minorem ponens diametrum papaueris, eam suppono $\frac{1}{40}$ tantùm esse digiti partem, nec minorem, volens ita absque vlla ambiguitate demonstrare propositum. Quæ igitur suppposui, sunt hæc. Nunc vtile esse puto numerorum denominationem recensere, ne errent qui non inciderũt in alios numeros qui habentur libro per Zeuxippum scripto, cùm de ipsis in hoc etiam volumine nihil dictum fuisset. Accidit autem numerorum nomina vsq; ad myriadas esse data nobis, & supra myriadas quidem sufficienter nouimus numerum myriadum exprimentes ipsum semper ad myriadas referentes : verùm numeri qui ad myriadem myradum vsque protenduntur, dicantur nobis primi. Et horum quidem primorum numerorum myrias myriadum vocetur vnitas secundorum, & secundorum numerorum vnitates, & ab vnitatibus decem & centeni, & milleni & decies milleni sint centum millenorum millium. Rursus myrias myriadum secundorum numerorum vocetur vnitas tertiorum numerorum. Et numerentur tertiorum numerorum vnitates, & ab vnitatibus denarij & centenarij & millenarij & decupli millenarij sint centum millena millia. Atque hoc modo tertiorum numerorum myrias myriadum vnitas appelletur quartorum nu-

merorum. Et quartorum numerorum myrias myriadum vnitas nuncupetur quintorum numerorum. Et ſemper ſic procedentes erunt numeri nomina habentes centum millena millia per centum millena millia multiplicata. Ex his igitur cogniti numeri ſat quidem ſunt : quamuis liceat vlterius etiam progredi. Hi ſiquidem nunc recenſiti numeri vocantur primæ periodi. Extremus verò numerus primæ periodi, vnitas vocetur ſecundæ periodi primorum numerorum. Rurſus & centum millena millia ſecundæ periodi ſecundorum numerorum : ſimiliter & horum extremus vnitas vocetur ſecundæ periodi tertiorum numerorum. Et ſemper ſic numeri progredientes nomina habentes ſecundæ periodi ſunt decies millies decem millium numerorum in centum millena millia ductorum. Rurſum & vltimus ſecundæ periodi vnitas vocetur tertiæ periodi primorum numerorum. Et ſemper ſic procedentium ſunt decies millies decem millia periodi, aucta per decies millies decem millia numerorum adhuc ductorum per decies millies decem millia. His verò ſic denominaris, ſi fuerint numeri ab vnitate proportionaliter deinceps poſiti : qui autem poſt vnitatem denarius, & ipſi fuerint octo illis cum vnitate eorum erunt qui primi numeri vocantur. Alij verò poſt ipſos 8. ſecundi vocantur. Et item reliqui hoc mpdo ipſis ſynonymi erunt diſtantia octadis numerorum à prima octade numerorum. Octauus igitur numerus primæ octadis numerorum eſt millies decem millia. Primus verò ſecundæ octadis quoniam decuplus eſt præcedentis, erit centum millena millia : hic verò eſt vnitas ſecundorum numerorum. Octauus verò ſecundæ octadis erit millies decem millia ſecundorum numerorum. Rurſus & tertiæ octadis primus, quoniam decuplus eſt præcedentis, erit centies millena millia ſecundorum numerorum. Idemque eſt vnitas tertiorum numerorum.

Manifeſtum eſt igitur plurimas eſſe poſſe octades, vti dictum eſt. Cæterùm, vtile eſt & hoc nouiſſe. Quòd ſi numeri ab vnitate proportionales fuerint, & aliqui ſeſe mutuò multiplicauerint, eorum qui huius proportionalitis ſunt : quiſque à ſuo multiplicante ſecundùm proportionalitatem tanto abeſt, quanto minor multiplicantium ab vnitate diſtat. Ab vnitate verò aberit vno minus, quàm quantus eſt numerus ex vtriſque conſtans, quibus ſeſe inuicem multiplicantes ab vnitate abſunt. Sint etenim aliqui numeri ab vnitate proportionales A. B. G. D. E. Z. H. T. I. C. L. Sit verò vnitas A; & D multiplicet T, factuſque ſit Q. Aſſumantur autem proportionalitatis T L, diſtetque L à T tanto, quanto D ab vnitate. Oſtendendum Q eſſe æqualem ipſi L. Quoniã enim proportionales ſunt & æquidiſtat D ab A, ac L à T, eandem rationem habet D ad A, quàm L ad T. Verùm D multiplex eſt ip-

sius A per D; multiplex igitur est L ipsius T per D, ita vt æqualis sit L ipsi Q. Manifestum igitur est quod aliquis factus ex proportionalitate à maiori multiplicantium sese inuicem, æquè dissitus est, ac minor ab vnitate dissidet. Patet item quod ab vnitate distat vno minus, quàm quantus est numerus ex vtrisque conflatus, quibus multiplicantes ab vnitate absunt. Quot enim sunt hi A. B. G. D. E. Z. I. T, tot distat T ab A vnitate. Isti verò I, C, L, vno minus sunt, quàm quibus D abvnitate differt. Etenim cum T tot sunt. His autem suppositis, illis quoque demonstratis propositum ostendetur. Cùm enim supponatur diametrum papaueris non minorem esse quadragesima digiti parte Manifestum, quòd sphæra quæ digitalem habuerit diametrum, non maior est quàm vt contineat plures quàm 64. papauerum millia. Sphæræ quippe habentis diametrum quadragesimam partem digiti, multiplex est secundùm numerum ductum. Demonstratur enim quod sphæræ triplam rationem habent eius, quæ est diametrorum inter se. Postquam ergo suppositum est arenam cõaceruatam in molem papaueris, non maiorem esse numero quàm decem millium: manifestum, quod si arenâ impleatur sphæra digitalem habens diametrum, non maior erit arenæ numerus quàm 64000000. Est vero huiusmodi numerus, vnitates, videlicet 6, & numerus secundorum numerorum: tum primorum quadraginta millena millia. Minor ergo est quàm decem vnitates secundorum numerorum. Quæ vero centum digitorum diametrum habet sphæra, multiplex est eius quæ habet digitalem diametrum semel mille millies: quia rationem habet triplicatam diametrorum inter se sphæræ. Si igitur fiat ex arena sphæra tanta magnitudine, quanta est sphæra habens diametrum digitorum centum, patet minorem fore arenæ numerum, quàm sit numerus productus ex multiplicatis decem vnitatibus secundorum numerorum per semel millena millia. Cùm itaque secundorum numerorum decem vnitates decimum constituant numerum ab vnitate, in proportionalitate decuplorum laterum: semel verò millena millia septimus sint ab vnitate in eadem progressione: manifestum est quod factus, sextus erit huius progressionis, & sextusdecimus ab vnitate. Demonstratur enim quod vno minus distat ab vnitate quàm sit numerus ex vtrisque conflatus, quibus distant ab vnitate multiplicantes sese inuicem. Horum porro 16, octo priores cum vnitate eorum sunt qui primi appellati sunt. Qui verò post ipsos, octo, secundorum, & vltimus est decies millena millia, secundorum nempe numerorum. Ergo constat multitudinem arenæ magnitudinis mole æqualis sphæræ diametrum habenti qui sit centum digi-

torum, minorem esse quàm decies millena millia secundorum numerorum. Rursus verò, & sphæra quæ 10000 digitorum habuerit diametrum, multiplex eius est quæ fuerit dimetientis centum digitorum habuerit diametrum, multiplex eius est quæ fuerit dimetientis centum digitorum millies, millies semel. Si igitur fiat ex arena sphæra tanta mole, quanta est ea, quæ habuerit dimetientem 10000 digitorum, patet eam fore minorem, quàm sit arenæ numerus factus ex multiplicatione decies millenorum millium secundorum numerorum per semel millena millia. Cùm ergo secundorum numerorum decies millena millia decimus sextus sit numerus ab vnitate: tum proportionalia semel millena millia septimus ab vnitate in eadem progressione: patet numerum factum esse 22 eorum, qui in hac proportionalitate sunt ab vnitate. Horum verò 22, octo quidem primi cum vnitate eorum sunt qui dicuntur primi: Tum sequentes octo sunt eorum qui secundi appellantur: reliqui sunt tertiorum. Atque vltimus eorum est centum millia tertiorum numerorum. Patet igitur multitudinem arenæ in molem congestæ parem sphæræ, quæ diametrum habeat 10000 digitorum, esse minorem 100000 tertiorum numerorum. Quoniam autem minor est sphæra habens diametrum vnius stadij, sphærâ quæ habuerit diametrum 10000 digitorum: patet multitudinem arenæ cumulatæ in aceruum æqualem sphæræ dimetientis vnius stadij, minorem esse quàm 100000 tertiorum numerorum. Adhuc sphæra quæ habet diametrum centum stadiorum, multiplex est sphęræ diametri vnius stadij semel millies millies. Si igitur fiat ex arena sphæra tanta magnitudine, quanta est habens diametrum centum stadiorum, manifestum quod minor erit arenæ numerus eo qui produceretur ex multiplicatis 100000 tertiorum dumerorum per 1000000. Et quia hæc 100000 tertiorum numerorum sunt 22 numerus proportionalitatis ab vnitate: Hæc verò 1000000 septimus ab vnitate eiusdem proportionalitatis, erit sanè factus 28 ab vnitate istius progressionis. Porrò horum 28, primi quidem 8 cum vnitate sunt eorum qui primi dicuntur. Qui verò post ipsos alij 8, secundorum: alij rursus sequentes 8, sunt tertiorum: reliqui demum 4. sunt eorum qui dicuntur quarti. Et extremus illorum est mille vnitates quartorum numerorum. Manifestum itaque arenæ multitudinem in sphæram deformatæ diametri centum stadiorum, minorem esse mille vnitatibus quartorum numerorum. Præterea sphæra stadiorum 10000, multiplex est sphęræ diametri stadiorum centum, semel millies millies. Sphæra ergo si ex arena fiat tanta mole, vt eam adæquet sphæram quæ habeat diametrum 10000 stadiorum: equidem minor erit arenæ multitudo eo qui nasceretur numero ex mille vnitati-

2015 Ministério de Cultura

bus quartorum numerorum ductis in 1000000. Quoniam verò quartorum numerorum mille vnitates faciunt 28 progressionis numerum ab vnitate: 1000000 verò 7 eiusdem progressionis ab vnitate: patet quod factus numerus erit ipsius progressionis ab vnitate 34. Horum verò 34 primi 8 cum vnitate primorum numerorum sunt. Qui verò post ipsos sunt 8 secundorum, tum qui sequitur 8 alij, tertiorum, & qui sunt deinceps quartorum. Reliqui duo sunt eorum qui vocantur quinti, & vltimus quidem eorum est decem vnitates quintorum numerorum. Clarum itaque est multitudinem arenularum ea mole collectarum quæ sphæræ æqualis sit habenti diametrum 10000 stadiorum, minorem esse quàm decem vnitates quintorum numerorum. Adhæc sphæra habens diametrum stadiorum 1000000, sphęræ diametrum habentis longam 10000 stadiis, est millies millecuplus. Si ergo fiat ex arena sphæra tanta magnitudine, quanta est sphæra habens diametrum stadiorum 10000000, constat arenæ numerum minorem fore eo qui fieret ex ductu 10 vnitatum quintorum numerorum per 1000000.

Atque, quoniam quintorum numerorum 10 vnitates constituunt 34 proportionalitatis numerum ab vnitate: 1000000 verò 7 ab vnitate ipsiusmet progressionis: patet quod factus erit eiusdem proportionalitatis 40 ab vnitate. Atque horum 48 quidem primi cum vnitate sunt primorum numerorum, Secundi 8 sunt secundorum: tertij 8 tertiorum; quarti 8 quartorum, & denique 8 postremi sunt quintorum: & vltimus eorum est 1000000 quintorum numerorum. Apparet etgo arenæ multitudinem magnitudinem habentem æqualem sphęræ diametrum habenti 1000000 stadiorum, non attingere 10000000 quintorum numerorum. Iam verò sphæra habens diametrum stadiorum 10000000. multiplex est sphætæ, cuius diameter sit 1000000 stadiorum, ductorum in 1000000. Si verò fiat sphæra ex arena tanta magnitudine, quanta est sphæra quæ diametrum habeat stadiorum 10000000000, patet quod minor erit arenæ numerus producto numero ex 1000000 quintorum numerorum multiplicatis per 100000. Quoniam autem quintorum numerorum 10000000 quadragesimus est ab vnitate proportionalis: at 1000000 septimus ab vnitate eiusdem ordinis: constat genitnm esse 46 ab vnitate. Horum præterea 46, octo quidem primi cum vnitate, eorum sunt qui primi dicuntur: 8 alij proximi sunt secundorum: sequentes 8 sunt tertiorum: tum post tertios, alij 8 sunt quartorum: & qui post quartos, sunt quintorum: reliqui tandem sunt sextorum: & extremus eorum est 100000 sextorum numerorum. Clarum est itaque, quod multitudo arenæ ea quantitate conglobatæ, vt æquetur sphæræ diametrum habenti, stadiorum 10000000000000000, minor est quàm 100000 sextorum

numerorum. Sphæra itidem habens diametrũ ſtadiorum ꝛoooooooooo, ſphæræ hobentis diamettrum ſtadiorum ꝛoooooooo, eſt ſemel millies millecupla. Si igitur fiat ex arena globus tantus craſſitie, quanta eſt ſphæra habens diametrum ſtadiorum decies millies millenorum millium: manifeſtum quod arenæ multitudo minor erit numero prolium: creato ex centum millibus ſextorum numerorum ductis in ſemel millena millia. Cùm autem ſextorum numerorum centum millia, ſextus & quadrageſimus ſit ab vnitate proportionis: ſemel verò millena millia ſeptimus ab vnitate in eadem progreſſione: patet quod genitus numerus fuerit 52 ab vnitate eiuſmodi progreſſionis. Horum vero 52 duorum primi 48 cum vnitate ſunt eorum qui primi dicuntur, ſecundi, tertij, quarti, quinti, & ſexti. Reliqui verò 4 ſunt eorum quos ſeptimos dicimus. Eſt poſtremus eorum eſt mille vnitatum ſeptimorum numerorum. Apparet igitur arenæ multitudinem quæ tantæ molis ſit, vt exæquet ſphæram quæ diametro ſit ſtadiorum decies millies millenorum millium, minorem eſſe mille vnitatibus ſeptimorum numerorum. Quoniam itaque demonſtratus eſt mundi diameter minor eſſe ſtadiorum decies millies millenorum millium; manifeſtum eſt arenæ multitudinem conformatæ in molem mundo æqualem: minorem eſſe quàm ſint mille vnitates ſeptimorum numerorum. Similiter & multitudo arenæ mole pari ei, quod à multis aſtrologis appellatum eſt mundus, oſtenditur minor quàm ſint mille vnitates ſeptimorum numerorum. Quod etiam multitudo arenæ ſphæricæ molis tantæ, quantam Ariſtarchus ſupponit inerrantium ſiderum ſpæram, minor ſit decem millenis millibus octauorum numerorum demonſtrabitur. Cum enim ſupponatur terram eam habere rationem ad hunc dictum à nobis mundum, quam habet rationem dictus mundus ad ſtellarum fixarum ſphæram ab Ariſtarcho poſitam: Et diametri ſphærarum eam ipſam rationem habeant inter ſe, diameter verò mundi oſtenſus ſit minor quàm decies millecuplus diametri terræ: ſequitur diametrum ſphæræ ſtellarum fixarum minorem eſſe quàm diametri mundi decies millecuplum. Cum itaque ſit vt ſphæræ habeant inter ſe triplicatam rationem diametrorum, planum eſt, quod inerrantium aſtrorum ſphæra quam Ariſtarchus ſupponit, minor ſit, quàm ſemel milies, millies, millies, millecuplus mundi. Oſtenditur enim, multitudinem arenæ mundum mole referentis, minorem eſſe, quàm mille vnitatum ſeptimorum numerorum Patet ergo, quod ſi ſphæra ex arena fiat, tanta magnitudine, quantam Ariſtarchus ſupponit inerrantium eſſe ſiderum ſphæram, minor erit huius arenæ numerus, quàm qui ſit ex multiplicatione mille vnitatum per ſemel millies, mille, millenaria, millia. Et quoniam iſtæ

mille vnitatës ſeptimorum numerorum, ſunt progreſſionis 52 ab vnitate: ſemel verò millies mille millenaria millia 13 ab vnitate eiuſdem proportionalitatis, conſentaneum eſt factum fore eiuſdem progreſſionis 64 ab vnitate. Iſte verò eſt octauorum octauus, & decem millia octauorum numerorum. Conſequens ergo eſt quòd arenæ multitudo quæ excreuerit in molem æqualem ſphæræ non errantium ſiderum, quam Ariſtarchus ſupponit, minor ſit quàm decem millena millia octauorum numerorum. Hæc autem, ô Rex Gelon, multis qui non facti ſunt Mathematicarum artium participes, incredibilia apparere intelligo: ijs verò qui eas deguſtarint, quique meditati ſunt diſtantias: & magnitudines terræ, ſolis, lunæ, totiuſque mundi, credibilia ex demonſtratione forent. Propterea exiſtimaui quibuſdam non incongruum videri, iſta contemplari.

SVPPLEMENTVM ARCHIMEDIS.

TRES erunt partes iſtius ſupplementi, Theotime, quarum prima proportiones exhibebit, quibus librum Archimedis de circuli dimenſione Snellius perfeciſſe videtur in ſuo cyclometrico. Secunda continebit propoſitiones Kepleri, quibus demonſtrare voluit quæ deerant libro de ſphæroidibus. Tertia denique complectetur nouam quadraturam parabolæ à Luca Valerio demonſtratam.

PRIMA PARS. CYCLOMETRICI PROPOSITIONES.

✠ I. RECTANGVLVM ſub inſcriptæ à diametro differentia & radio comprehenſum, æquatur quadrato inſcriptæ dimidij complementi ad ſemicirculum.

II.

✠ Rectangulum ſub recta à diametro, plus inſcripta radio comprehenſum æquatur quadrato inſcriptæ quæ & datum & dimidium eius complementum ad ſemicirculum ſimul ſubtendit.

III.

✠ Rectangulum è figuræ ordinatæ circulo inscriptæ laterē vno & totidem radiorum semissibus, quot ipsum habet latera, æquatur areæ polygoni ordinati sub duplo laterum numero in eodem circulo.

IV.

✠ Dodecangulum æquatur quadrato à latere trianguli æquilateri in eundem circulum inscripti.

V.

✠ Sexangulum est duplum trianguli æquilateri in eodem circulo.

VI.

✠ Dodecangulum est sesquialterum quadrati eidem circulo inscripti & subsesquitertium circumscripti.

VII.

✠ Triens lateris trianguli æquilateri circulo inscripti æquatur semissi lateris circumscripti sexanguli.

VIII.

✠ Differentia diametri à latere inscripti trianguli æquilateri æquatur lateris dodecanguli circumscripti dimidio.

IX.

✠ Inter figuras ordinatas similes eidem circulo adscriptas, inscripta duplo laterum numero media proportionalis est.

X.

✠ Differentia radij circularis à latere inscripti quadrati æquatur lateris octanguli circumscripti dimidio.

XI.

✠ Ambitus rectilinei circulo inscripti eius peripheriæ cedit: circumscripti verò eandem excedit.

XII.

✠ Sectio semicirculo non maior cedit trianguli æquicruri sibi inscripti duplo.

XIII.

Spatium à duabus ex eodem puncto tangentibus & peripheria comprehensum, minus est duplo trianguli æquicruri ab earumdem segmentis & tertia eandem peripheriam tangente comprehensi.

XIV.

Rectilineum circulo inscribi potest maius dato quocumque spatio, quod eodem circulo sit minus: & aliud circumscribi minus dato quocumque spatio, quod eodem circulo sit maius.

XV.

Duæ rectæ lineæ inueniri possunt, quarum maior ad minorem rationem

tionem habeat minorem, quàm data magnitudo quælibet maior ad minorem.

XVI.

Datæ peripheriæ duo similium multangulorum latera ita abscribi possunt, vt latus circumscriptum ad inscriptum minorem habeat rationem, quàm maior datarum magnitudinum ad minorem.

XVII.

Circulo duæ similes figuræ ita adscribi possunt vt circumscripta ad inscriptam maiorem habeat rationem, quàm data quælibet maior ad minorem.

XVIII.

Circulo dato poligonum circumscribere, vt spatia ab eius lateribus & peripheriæ conuexo comprehensa minora sint dato quocumque spatio.

XIX.

✠ Circulus æquatur triangulo, cuius altitudo radio basis peripheriæ eiusdem sit æqualis.

XX.

✠ Si diameter radio æqualiter continuetur, & recta à termino continuata circulum contingat, segmentum conuexi à contacta ad diametrum erit totius circuli sextans, reliquum triens.

XXI.

Si à termino diametri radio æqualiter continuata recta circulum contingens, rectæ in reliquo diametri termino eundem contingenti occurrat, intercipiet ab ea ad contactum rectam æqualem inscriptæ vtriusque contactum connectenti.

✠ *Consectarium*. Perpendicularis à vertice trianguli æquilateri circumscripti est triplaradij circuli inscripti.

XXII.

Si à puncto, quod diametri interuallo ab eius centro distat, duæ rectæ peripheriam secantes educantur, segmentum peripheriæ conuexum ab iis interceptum minus est concaui dimidio, maius triente.

XXIII.

✠ Si à termino diametri radio æqualiter continuatæ, rectæ per peripheriam educta eundem in reliquo diametri termino tàngenti occurat, absumet ad contactum rectam maiorem, quàm sit ea quæ peripheriæ absumptæ est inscripta.

XXIV.

✠ Circulorum peripheriæ, quorum anguli in centro peripheriáve suis radiis sunt reciprocè proportionales, sunt æquales.

XXV.

Si recta inter peripheriæ conuexum & diametrum continuatam sit radio æqualis, segmentum concaui inter eas interceptum erit conuexi triplum, & contra.

Lemma. Diameter circuli maior est quinque lateribus circumscripti

2009 Ministerio de Cultura

ſedecanguli *vel*, Complementum lateris inſcripti ſedecanguli maius eſt ciuſdem lateris quintuplo.

XXVI.

Si recta inter diametrum continuatam, & peripheriæ contactum radio æqualis, occurrat rectæ circulum in remotiſſimo diametri termino contingenti, abſumet rectam maiorem peripheria inter has tangentes comprehensâ.

XXVII.

Si à termino diametri radio æqualiter continutæ recta per periphe-riam educta, tangenti eam in reliquo diametri termino occurrat, abſumet rectam minorem quàm ſit trientis concauæ peripheriæ inter eas interceptæ tangens tripla.

XXVIII.

Si à termino diametri radio æqualiter continuatæ recta per periphe-riam educta, tangenti eam in reliquo diametri termino occurrat, abſumet rectam minorem quàm ſit peripheria inter eaſdem intercepta.

XXIX.

Linea quæ à limite triſectionis cuiuſque peripheriæ rectæ in reliquo diametri termino tangenti occurrit, abſumet è tangente ſegmentum maius quàm ſit peripheriæ concauum inter ipſam & diametrum interceptum.

XXX.

Linea recta quæ à limite triſectionis peripheriam in reliquo diametri termino tangenti occurrit, abſumit ex ea ſegmentum duobus ſinibus & vni tangenti, qui ad eiuſdem trientem pertinent, æqualem.

XXXI.

Rationem diametri ad ſuam peripheriam ſecundùm expoſitos limites tam accuratè quàm cuique collibitum erit, definire.

XXXII.

Diametro binario, & poſtpoſitis quotlibet circulis taxatâ, ratio diametri ad peripheriam in duplo tot circulis conſtans erit, quot nouenarij coutinui à principio in inſcripta cõplementi dati lateris inuenietur.

Conſectarium. Licet itaque hinc, quouſque ratio diametri ad peripheriam benè accuratè è ſingulis eruatur, quàm proximè definire.

XXXIII.

Lineam datæ peripheriæ quamlibet proximè æqualem exhibere.

XXXIV.

Datæ rectæ æqualem peripheriam è dato circulo aſſumere, & contra.

XXXV.

Datam peripheriam data ratione ſecare.

XXXVI.

Datæ inſcriptæ debitam peripheriam tam verè propinquam in numeris exhibere, quàm erit ratio diametri ad ſuam peripheriam data.

2008 Ministerio de Cultura

Lemma. Triens sinus datæ peripheriæ minor est sinus trientis datæ peripheriæ. XXXVII.

Si duorum sinuum vtrimque à centro eidem diametro perpendicularium ille huius sit triens, recta per eorum vertices lineæ in hoc diametri termino tangenti occurens absumet segmentum tangentis maius peripheriâ sibi contiguâ. XXXVIII.

Datæ cuicumque peripheriæ inscriptam veræ tam propinquam in numeris exhibere, quàm erit ratio diametri ad suam peripheriam data. XXXIX.

✠ Si trienti datæ peripheriæ sinus æqualis vltra centrum constituatur, recta vtriusque verticem connectens, & continuata occurret diametro continuatæ intra limitem trisectionis & diametri continuationem radio æqualem. *His autem sequentia problemata praxi seruientia subiungit.*

I. Triangulum dato sectori æquale construere, & contra.
II. Dato sectori super data peripheria æquale trilaterum construere.
III. Dato trilatero in basi circulari æqualem sectorem construere.
IV. Datæ sectioni æqualem sectorem constituere.
V. Datis trianguli rectanguli lateribus eius angulos inuenire.
VI. Datis trianguli rectanguli angulis oppositorum laterum rationem inuenire.

SECVNDA PARS THEOREMATVM STEREOMETRIÆ nouæ Kepleri.

I. RAtionem circumferentiæ ad diametrum esse proximè eam, quæ est 22. ad 7. *ex Archimede.*

Episagma. Longitudo lineæ ellipticæ, id est describentis ellipsim, sese habet ad medium Arihmeticum inter duas eius diametros, quæ axis rectus, & transuersus dicuntur, vt 22. ad 27. ferè.

II. Circuli area ad aream quadratam diametri comparata, rationem habet eam quàm 11. ad 14. ferè.

Corollarium 1. Sectoris in circulo area æqualis est rectangulo sub semidiametro, & dimidio arcu.

Coroll. 2. Segmenti circuli minoris area minor est sectoris areâ, triangulo sub sectoris & segmenti rectis comprehenso: segmenti verò maioris area tanto maior est sectore suo.

Episag. 1. Circulo hoc est commune cum parabola, quod in vtrisque portiones quomodocumque per vnam rectam abscissæ, si æquales

2009 Ministerio de Cultura

habuerint diametros, & ipsæ inter se in qualibet figura sint æquales.
✠ *Epis.* 2. Paraboles area est sesquitertia areæ trianguli habentis eandem eum parabola basim rectam, & eandem altitudinem. *Ex Archimede.*
✠ *Epis.* 3. Ellipsis area ad aream circuli est, vt minor ellipsis diameter ad maiorem: & vt circulus ad quadratum diametri, sic ellipsis ad rectangulum diametrorum, scilicet etiam vt 11 ad 14. ferè. *Ex Archim.*
✠ III. Cylindri verò ad parallelepipedum columnare rectangulum æquè altum, quod cylindri corpus stringit quadratis suis basibus & parallelis lateribus, ratio est eadem, quæ circuli ad quadratum circumscriptum, hoc est eadem quæ 11. ad 14.
✠ IV. Si columna recta parallelarum basium cum pyramide, si cylinder cum cono eandem basim habuerit, eandemque altitudinem, triplum erit illius.
V. Superficies curua coni rectanguli inscripti hemisphærio, est semidupla baseos, seu circuli maximi in sphæra, dimidia baseos coni rectanguli circa hemisphærium.
✠ VI. Conuexum sphæricum est quadruplum areæ circuli maximi, qui sphæram per centrum secat. *Ex Archimede.*
✠ VII. Conuexum cuiuslibet segmenti sphæræ est æquale plano circuli, cuius semidiameter subtendit segmenti latitudinem à polo ad basim. *Vide corollarium.*
✠ VIII. Sphæricum conuexum & eius axis secantur à plano ad axem recto in eadem proportione.
✠ IX. Cylindri recti superficies est æqualis sphæricæ quam stringit.
✠ X. Superficies globi, eius cylindri, qui globum stringit, resectæ ab eodem plano ad axem recto sunt æquales.
XI. Corpus cylindri est ad corpus sphæræ, quam stringit, in proportione sesquialtera.
XII. Cubi corpus ad corpus sphæræ quam stringit, est duplum paulo minus, nimirum vt 21. ad 11. proximè.
✠ XIII. Corpus coni, cuius altitudo est æqualis diametro sphæræ; basis sphæræ, maximus circulus, est dimidium corporis sphæræ.
Coroll. Conus, *de quo theoremate* 5. in hemisphærio est ad cylindrum qui sphæram stringit, vt octaedron in sphæra ad cubum circa sphæram, sextam scilicet partem cylindri, quartam sphæræ, & sic dimidium hemispærij sui, dimidiumque coni theor. 15. descripti, quippe cuius basim habet integram, altitudinis verò saltem dimidium.
Epis. 1. Eadem est proportio corporis ab ellipsi producti, quod sphæroides dicitur, ad conum æquè altum. *Ex Archim.* 29. & 30 *pr. sphæroid.*
Epis. 2. Sicut sphæroides est coni sui duplum: sic conoides paraboli-

cum̃ eſt coni ſui ſeſquialterum. *Ex eod. l. p.* 23. *&* 24. Conoides verò hyperbolicum ſeſquialteram proportionem magis ad æqualitatem adducit, nam ad lineas ſeſquialteram proportionem coutinentes (quæ habent duplum & triplum eius quæ inter verticem, & centrum figuræ) addit vtrinque diametrum.

XIV. Segmento ſphæræ æqualis eſt conus ſuper eadem baſi, habens altitudinem tanto maiorem, vt ſit eius exceſſus ad ſemidiametrum globi, ſicut eſt altitudo ipſa ſegmenti ad reſiduum diametri. *Vide coroll.*

Epiſ. 1. Vt ſectio globi facta plano axi parallelo ſemper eſt circulus: ſic ſectio ſphæroidis non omnis, ſed quæ fit plano axi parallelo, eſt ellipſis, ſphæroidi ſimilis, ellipſes verò diuerſarum, & diſſimilium ſpecierum, aut circuli fiunt, quoties vel ſphæroides vtcumque, vel conoides per vtrumquue oppoſitorum laterum ſecatur. *Vide Archim. ſphær. p.* 12. 13. 14. *& l.* 5.

Epiſag. 2. Segmentorum ſphæroidis ratio eadem eſt, quæ ſegmentorum globi, ſi recta ſit ratio ad axem: ſin obliqua, tunc vſurpatur non dimidium axis, ſed dimidium eius quæ vertices portionnum factarum) id eſt puncta earum ſuper ſectionem altiſſima, coniungit. Nam in ellipſi quæ gignit ſphæroides, axis quidem eſt inter diametros; diametrorum verò multæ ſunt, diuerſæ longitudinis, quilibet binos oppoſitos vertices coniungens.

XV. Quemadmodum curuis ſuperficiebus ſegmentorum theor. 7. fecit æquales circulos planos: 8 æquè valentes lineas rectas oſtendit, comparabiles inter ſe diuerſarum ſectionum: ſic etiam ſoliditati ſegmentorum aſſignare poſſumus non tantum conos æquales, vt theor 14. ſed etiam plana æquiualentia, ſeu proportionis eiuſdem comparabilia inter ſe diuerſarum ſectionum. *Vide authorem qui hæc exhibet.*

Epiſag. Sic ſegmenta conoidis parabolici ſunt inter ſe in proportione, quæ eſt inter quadrata axium. *Vide Arch. 16. p. ſphæroid.*

Coroll. 1. Segmenta ſegmentorum ſphæræ eaſdem habent leges, quoad corpora atinet, quæ ſupra fuerunt eiuſdem generis ſegmentorum ſuperficie in coroll. ad theor 7.

Coroll. Zona ſphæræ & ſphęroidis, ſeu corpus annulare, contentum parte ſuperficiei ſphęræ vel ſphęroidis media, quæ zona dicitur, & ſuperficie cylindrica intus, ita inueſtigatur. A ſphęra, vel ſphęroide auferuntur bina ſegmenta æqualia, & cylinder zonæ æquè altus, baſibus iiſdem cum ſegmentis ablatis: remanetque corpus zonæ. Quod ſi zona non ſit media globi, vel ſphæroidis, ſed inclinata ad polum ſeu verticem, auferuntur ſegmenta inæqualia, truncus coni, vt remaneat talis zona. Intelligitur autem zona, cui circum circa ſit æquabilis

2009 Ministerio de Cultura

latitudo, & sub qua sit truncus conicus parallelarum basium: cuius dimensiones sequuntur.

XVI. Conus secatur variè: aut enim per verticem & basim, & id vel plano, vel superficie alia coni minoris habentis eundem verticem. In vtroque casu segmenta coni æquè alta sunt vt eorum bases inter se. Verum est autem theor 11. sphæroid. de omni segmento verticali, iuxta quod coni, segmentique verticalis ad conum proportio componitur ex proportione basium interse, & altitudinum inter se. *Vide plura apud authorem in hoc theormate.*

XVII. Segmenta cylindri recta, parallelis axi, superficiebus resciss̀a, sunt inter se, vt segmenta basis: segmenta verò, plano per axem transeunte, dummodo non secet alteram basium, sunt vt segmenta axis inter se. *Vide etiam authorem hîc, vbi explicat prædictas figuras.*

XVIII. Omnis aunulus sectionis circularis, vel ellipticæ, est æqualis cylindro, cuius altitudo æquat longitudinem circumferentiæ, quam centrum figuræ circumductæ descripsit, basis verò eadem est cum sectione annuli. *Vide coroll.*

XIX. Annulus strictus est æqualis cylindro, qui habet basim, circulum sectionis annuli, altitudinem æqualem circuli longitudini. *Vide coroll. & analogiam.*

Coroll. Globus est ad circulum strictum eodem circulo creatum, vt 7. ad 33. nam tertia pars semidiametri ducta in quadruplum circuli maximi, vel duæ tertiæ diametri in aream circuli maximi, creant cylindrum æqualem cubo. At cylinder æqualis stricto, habet basim quidem eandem: altitudinem verò, circumferentiam. Ergo vt circumferentia ad bessem diametri 33 ad 7. ita strictum ad globum.

XX. Zona Mali componitur ex zona globi, & segmento recto cylindri, cuius segmenti basis est segmentum, quod deficit in figura, quæ gignit Malum; altitudo verò, æqualis circulo, quem centrum segmenti maioris describit. *Vide 2. corollaria pro praxi geometrica.*

XXI. Corpus Citrij est differentia inter zonam globi, & dictum segmentum cylindri. *Vide 1. coroll.*

Coroll. 2. Sic corpus Oliuæ, vel Pruni elliptici est differentia inter zonam sphæroidis illic longi, hic lati & inter segmentum cylindri elliptici.

XXII. Zona Citrij truncati vtrinque æqualibus circulis, componitur ex corpore minoris Citrij quod creatur ab eodem circuli segmento, quo zona proposita creata est, & ex segmento cylindri cuius basis idem minus segmentum circuli: altitudo æqualis circumferentiæ circuli truncantis. *Vide coroll. 2 & episag.*

2009 Ministerio de Cultura

XXIII. Coni duo, creati à rectangulo ſcaleno: alter minori, ſaltem maiori latere eorum, quæ circa rectum, pro axe conſtitutis, ſunt in proportione laterum, quæ baſes ipſis conis deſcribunt.

XXIV. Sphęroides longum in inſcriptum ſphęroidi lato ſic vt eaſdem habeant diametros, ſed axes in iis permutatos, eſt ad ſphæroides latum vt diameter breuior ad longiorem.

XXV. Segmentum globi ad Citrium eodem ſegmento circuli deſcriptum, videtur eam habere ptoportionem, quam habet diameter baſis ſegmenti ad axem ſeu altitudinem ſegmenti.

XXVI. Si recta quædam ſectionem conicam, & genitum ab illa ſegmentum ſphæroidis, aut conoidis contigerit in circumferentia baſeos, concurrens cum axe & circumductæ lineæ circa diametrum baſeos immobilem, creauerint ſolida, contingens quidem conum, ſectiones verò conicæ, prunum, Oliuam vel fuſum, quælibet ſuum congenere. eadem verò contingens: circum ducta circa axem immobilem, creauerit conum alium: proportio dimidij Pruni vel Oliuæ ad ſegmentum ſphæroidis, fuſi verò ad ſuum conoides, proximè erit æqualis proportioni prioris coni, ad conum poſteriorem.

XXVII. Si cuiuſlibet trianguli latus alterum circa rectum angulum ſecetur, & in duo æqualia, & in proportione laterum reliquorum: in angulo verò oppoſito concurrant ſectiones conicæ variæ: communiter ſeipſas, & latus recto angulo oppoſitum, tangentes, vertices primarios in latere ſecto habentes: quæ ſunt à ſummo ad medietatem, omnes erunt hyperbolæ: quæ in ipſam biſectionem incidit, parabole; quæ hinc vſque ad ſectionem proportionalem, omnis generis ellipſes rectæ: quæ in ipſam proportionalem incidit, circulus: quæ denique hinc vſque ad rectum angulum, omnis generis ellipſes tranſuerſæ erunt, in quibus vertex impropriè dicitur, pro extremo axis breuioris. *Videantur 2. corollaria.*

XXVIII. Si quatuor ſpecies conicarum ſectionum circulus, ellipſes, parabola, hyperbolæ ſeſe in communi vertice contingunt: preterea-que in duobus aliis punctis, æqualiter à vertice remotis, concurrunt, omnes in duobus punctis ſecantur ab omnibus, & circuli circumferentia intra ſectiones eſt exteriùs, continet que ellipticas: hæ paraboli-cam: intimæ ſunt hyperbolicæ, & ex iis interiores, quæ obtuſiores, eæ-demque ſuis aſymptotis propriores.

XXIX. Si Citrium, Pruna, fuſum parabolicum, fuſa hyperbolica, & conus duplicatus, omnia truncata, habuerint eoſdem circulos, tam truncantes, quàm medium corporum: Citrium erit maximum, reli-qua eodem ordine magnitudinis corporum, quo hic ſunt recenſita.

2009 Ministerio de Cultura

XXX. Proportionem indagare segmentorum Citrij, Oliuæ, Pruni, aut fusi, factorum plano axi parallelo. *Placet autem his adere theormata quæ in gratiam doliorum statuit, postquam hocce 30. proposuit Snellio, vel alteri saluendum, cùm illius solutionem se nescire fateatur.*

THEOREMATA.

CYlindrorum rectorum sectiones per axem, quæ diagonios habent æquales, nisi proportio diametri basis ad altitudinem fuerit, eadem, aut permutata, inæquales habent areas: estque inter has illius area maxima, quæ secat cylindrum æquealtum diametro suæ basis.

II. In truncis conicis reliqua omnia manent, nisi quod inter truncos proximos ab illo, qui latus diametro basis habuerit æquale, plus variatur arearum suarum proportio, quàm si cylindri pro truncis conicis essent, inter truncos remotiores minus.

III. Cylindrorum rectorum quorum sectiones habent eandem diagonium, corpora non habent inter se proportiones analogas proportionibus arearum, quibus secantur per axem: nec cuius est maxima sectrix area, eiusdem & corpus maximum est. *Vide praxim.*

IV. Omnium parallelepipedorum seu columnarum inscriptarum sphęræ eidem, quæ binis ex opposito quadratis basibus constant, cubus est maximo corpore.

V. Omnium cylindrorum; diagonium eandem habentium, maximus & capacissimus est is, cuius diameter basis, est ad altitudinem in proportione semidupla, seu vt latus tetragoni aut diagonios quadrati cubici ad latus cubi in eadem sphæra. *Videantur 2. corollaria, & admonitio.*

Definitio. Cylinder, & trunci coniugati dicantur, quando sectionibus vtrorumque per axem fuerit eadem, vel æquales diagonij, & vt diameter basis cylindri ad eius altitudinem: sic diametri minoris basis truncorum ad eorum latera accliuia.

VI. Dato cylindri & trunci coniugati latere, vel basis minoris diametro, inuenire trunci coniugati lineas reliquas. Oportet autem proportionem lateris vel basis in cylindro ad datum latus vel basim trunci esse minorem proportione diametri, & altitudinis cylindri iunctarum, ad diagonium.

VII. Si fuerit cylinder, & truncus conicus coniugati, & differentia diametrorum in basibus trunci secetur in proportione, quam habent inter se quadrata, diametri basis, & altitudinis cylindri; erit hoc diame-

tri

tri quadratum, æquale rectangulo, sub minore diametro trunci, & sub composita ex hac & segmento, quod diametro cylindri respondet. *Videantur 4. Corollaria practica.*

VIII. In cyliudro & trunco conico coniugatis altitudinum proportio componitur ex proportione diametrorum in basibus, minori conici trunci & vtrâque cylindri, & ex proportione perpendiculi, ad latus accliuertunci.

IX. Si differentia diametrorum trunci secetur in proportione laterum cylindri coniugati & addatur pars respondens diametro basis cylindri ad minorem, fiantque rectangula. 1 sub minore & maiore. 2 sub minore, & modo composita: proportio rectanguli primi, aucti tertia parte quadrati à differentia diametrorum, ad rectangulum secundum, & proportio altitudinis cylindri ad altitudinem trunci, in vnum compositæ, constituunt proportionem corporis trunci ad corpus cylindri coniugati. *Videantur 3. Corollaria, & pulchra analogia.*

X. In omni coniugatione, trunci per augmentum proportionis diametrorum tandem fiunt minores quacumque data quantitate solida.

XI. Cylinder æqualis trunco æquialto, basim habet compositam ex duarum basium trunci & earum medij proportionalis triẽtibus singulis.

XII. Cylindri habentis altitudinem eandem cum trunco recto, & diagonion eandem, diameter basis est medium arithmeticum inter diametros basium trunci.

XIII. Excessus trunci, habentis eandem cum cylindro altitudinem, candémque diagonion, proportionem ad illum habet, quam pars duodecima quadrati differentiæ ad quadratum de diametro cylindri. *Videatur Corol'arium & analogia.*

XIV. Cylinder æqualis trunco & æquealtus, maiorem illo diagonion habet.

XV. Omnes proportiones diametrorum trunci locum habentes in coniugatione proportionis certæ, locum etiam habent in coniugatione proportionis maioris.

XVI. Omnis cylinder, altior maximo, super eadem diagonio, habet ex cylindris maximo humiliõribus, socium sibi æqualem, quem subcontrarium dicemus.

XVII. In vna qualibet coniugatione, quæ quadratum diametri habet minus, quàm duplum quadrati altitudinis, omnes trunci ab ipso cylindro coniugato maiores, nonobstante quod minuitur eorum altitudo, postea decrescunt iterum, semper adhuc maiores cylindro cõiugato, quoad altitudinem habuerint maiorem, quàm cylinder coniugati subcontrarius.

2009 Ministerio de Cultura

XVIII. In coniugatione proportionis dupla minoris, truncus æqualis cylindro coniugato, habet altitudinem minorem altirudine cylindri, qui coniugati ſocius, eidemque æqualis eſt, coniugationis tamen diuerſæ. *Vide corollarium.*

XIX. In omnibus coniugationibus truncorum, & cylindri, quibus diameter baſis minoris eſt minor ſemidupla lateris accliuis, datur bis aliqua proportio diametrorum trunci, per quam truncus fiat æqualis cylindro ex omnibus coniugationibus maximo.

XX. Trunci variarum coniugationum eandem habentes inter ſe diametrorum proportionem, quo propius aſſecuti fuerint altitudine cylindrum ſuper eadem diagonio maximum, hoc erunt maiotes; quo altiores illo, hoc minores.

XXI. Ex omnibus truncis coniugationis eiuſdem, maximus eſt ille, qui habet altitudinem cylindri maximi ſubſemitriplam ſcilicet diagonij: Ab hoc verò faſtigio cæteri omnes, tam qui altiores, quam qui humiliores, iterum decreſcunt.

XXII. In coniugationibus, quæ quadratum diametri habent duplum quadrati altitudinis aut maius, trunci omnes ſunt minores cylindro maximo, coniugato ſcilicet ſuo: & hoc tanto plus, quanto receſſerimus à proportione dupla. *Vide corollar.*

XXIII. Data proportione diametrorum trunci, coniugationem inuenire, in qua talis truncus æquet cylindrum coniugationis maximæ.

XXIV. Data coniugatione, qua quadratum diametri in baſi cylindri, minus eſt duplo quadrati altitudinis, inuenire proportiones duas diametrorum, quæ truncos coniugationis eiuſdem efficiat æquales cylindro maximo. *Hæc duo, 23. & 24. Problemata Geometris proponit.*

XXV. Si diuerſarum coniugationum trunci habuerint eandem inter ſe proportionem diametrorum, conſtituti ſuper eadem diagonio, proportio corporum erit compoſita ex tribus elementis, ex proportione cylindrorum coniugationis, & ex proportionibus cylindri cuiuſque ad ſuum truncum coniugatum, prioris quidem cylindri euerſa, poſterioris verò directa *Videantur 3. corollaria practica.*

XXVI. In dolijs, quæ ſunt inter ſe figuræ ſimilis proportio capacitatum eſt tripla ad proportionem illarum longitudinum, quæ ſunt ab orificio ſummo ad imum calcem alterutrius orbis lignei. *Vide 2. corollaria pro ſtructura virgæ ad dolia menſuranda propoſitæ.*

XXVII. Etiam binæ medietates dolij Auſtrici non planè fuerint ſimiles, ſed orbium ligneorum alter paulo minor & anguſtior reliquo dummodo longitudo in menſoria ſit eadem, inſenſibilis erit capacitatum in vtraque medietate differentia.

09 Ministerio de Cultura

XXVIII. At si longitudo virgæ per vtrumque dolij truncum non sit æqualis, quod vsu venit: medium proportionale inter vtramque virgæ longitudinem, id est medius inter duos ab vno & altera medietate notatos, sine errore pro indice capacitatis vsurpatur.

XXIX. Curuatura tabularum, seu buccositas inter orificium medium & orbem vtrumque ligneum, in dolio Austriaco nihil derogat indicio virgæ, in oblongis doliis auget capacitatem virgâ indicatam (per se quidem, cæteris paribus) in Curtis minuit. *Videatur vsus totius libri circa dolia, quorum mensuram Keplerus varijs modis inuestigat.*

TERTIA PARS. DE QVADRANDA PER FALSVM SIMPLEX PARABOLA.

Propositio prima.

I. SI quælibet figura plana grauitatem acciperet, tanta esset, quanta si nullam grauitatem accepisset.

II. Si quælibet duæ magnitudines eiusdem generis graues fierent; eandem inter se haberent proportionem, quam ante grauitatem habuissent.

III. Si duo quælibet grauia eiusdem generis extra suum locum posita. deinde sibi relicta in eandem aliquam superficiem planam, quam finientem appello, caderent ad perpendiculum: duo verò quælibet grauia eiusdem generis suspensa non secundum sua centra grauitatis in terminis cuiusdam rectæ lineæ, quæ libra dicitur, in vno puncto, quod in ea sit, detentæ, ita vi proprij ponderis grauarent libram, vt ea æqualiter distaret à finiente: ea grauia inter se eandem, quam brachia libræ haberent proportionem: si qui ad contrarias partes attinent proportionis termini, antecedentes, & consequentes inter se comparentur. Brachia autem libræ dicimus duas illas partes, quæ inter punctum, in quo libra suspensa est, & terminos interijciuntur.

Lemma. Sit gtaue A B suspensum in puncto A, quod non sit eius centrum grauitatis: sit autem grauis A B centrum grauitatis C, quod quidem & punctum suspensionis A sit in eodem perpendiculo A H: & punctum perpendiculi, cui congruit C, sit D. Voco autem perpendiculum hîc generaliter rectam lineam, quam describit grauis naturaliter moti centrum grauitatis. Dico graue A B manere vt nunc.

IV. Grauium eiusdem generis pondera inter se sunt vt magnitudines.

Quibus positis sequentes propositiones Lucas demonstrat.

2009 Ministerio de Cultura

Propositio prima.

I. SI à cuiuslibet triãguli vertice recta linea ad medium basis cadat, omnem aliam rectam lineam lateribus interceptam nec basi parallelam sic secabit, vt pars propinquior basi sit maior reliquâ.

II. Omnem parabolem diameter bifariam diuidit, vtraque autem talium partium vocetur semiparabola.

III. Si duæ parabolæ æquales diametros habuerint in directum inter se constitutas, & communem ordinatim applicatam: figuræ ex duabus semiparabolis compositæ diameter erit prædicta communis ordinatim applicata.

IV. Omnem prædictam figuram diameter bifariam diuidit.

V. Si sint duæ rectæ lineæ terminatæ: quotcumque autem magnitudinum centra grauitatis fuerint in vna earum, totidem sint in altera: sint autem & magnitudines, & partes prædictarum linearum, quæ à centris fiunt, binæ deinceps in eadem proportione, sumpto ordine ab iisdem terminis: centra grauitatis duarum magnitudinum cuiusque ex iis, quæ ad eandem lineam pertinent compositarum centra grauitatis, prędictas lineas diuidunt in easdem rationes.

VI. Omnium parabolarum diametri à centris grauitatis ipsarum figurarum in easdem rationes diuiduntur.

VII. Omnis figuræ ex duabus semiparabolis compositæ, cuius diameter sit ad vtriusque parabolæ diametros æquales, & in directum inter se constitutas communis ordinatim applicata, centrum grauitatis est punctum illud, in quo dicta diameter sic diuiditur, vt pars quæ ad verticem, sit ad reliquam vt 5 ad 3.

VIII. Omnis semiparabolæ centrum grauitatis est in ea recta linea, quæ diametro æquidistans basim ita diuidit, vt pars, quæ est ad curuam, sit ad reliquam, vt 5 ad 3.

IX. Omnis parabola sesquitertia est trianguli eandem ipsi basim, & eandem altitudinem habentis.

X. Quelibet parabolæ inter se proportionem habent, eosdem ipsis vertices, & easdem bases habentium triangulorum.

XI. Omnis parabola sesquitertia est trianguli eandem ipsi basim, & eandem altitudinem habentis.

Axioma. Si quodlibet graue secetur in duas partes vtcũque, contiguas autem eas: aliqua causa teneat alterius ad alteram situ non mutato, earum partium simul centrum grauitatis esse in eodem puncto, in quo fuerat centrum grruitatis priusquam diuideretur. FINIS.

Ministerio de Cultura

THEODOSII, MENELAI, ET MAVROLYCI, SPHÆRICA.

VIX quidpiam Astronomi, & Cosmographi demonstrare possunt absque sphęricorum librorum scientia; quapropter omnes libentissimè libros istos excipient, qui solidè de sphæricis agunt, quos libello concludi oportuit, vt passim à quopiam citari possint. Quibus ea pręmitto quæ Pitiscus de triangulorum sphęricorum dimensione suggerit in sua Trigonometria, quibus singuli problemata omnia soluant, quæ ad triangula tam plana quàm sphęrica pertinent. Sequunturergo definitiones, & propositiones, quæ partim ex Euclidis elementis, partim ex aliis locis desumptæ sunt, vt ex Ptolomęo, Regiomontano, Copernico, &c.

Definitiones & propositiones Trigonometriæ.

I. TRigometria est doctrina de dimensione triangulorum.

II. Triangulum est figura tribus lateribus tres angulos comprehendens.

III. Latera duo quęlibet sunt crura anguli à se comprehẽsi; tertium, basis.

IV. Latus vnumquodque dicitur subtendere angulum sibi oppositum.

V. Latera maiora maiores angulos subtendunt: & minora minores, & æqualia æquales.

VI. Anguli mensura est circuli ex angulari puncto descripti arcus, inter crura satis prolongata interceptus.

VII. Circulus omnis diuiditur in 360. gradus, gradus in 60. minuta, minurum in 60. secunda, &c. vsque infinitum. Quæ tanto sunt maiora, quanto circulus est maior, Arcus autem, qui eodem partium numero constant, in circulis æqualibus æquales, in inæqualibus similes dicuntur.

VIII. Hinc fit vt circuli dati quadrans sit arcus 90. partium.

IX. Arcus quadrante minoris complementum est, quod ipsi ad 90. gradus deest.

X. Arcus quadrante maioris excessus supra quadrantem est, quod ipsi supra 90. gradus adest.

XI. Semicirculus est arcus 180. partium.

XII. Arcus semicirculo minoris complementum est quod ipsi ad 180. partes deest.

XIII. Anguli per crucem oppositi sunt æquales.

XIV. Angulus est rectus, vel obliquus.

XV. Angulus rectus est, cuius mensura est quadrans.

XVI. Angulus obliquus est obtusus vel acutus.

XVII. Obtusus est cuius mesura est arcus quadrante maior.

XVIII Acutus verò, cuius mensura quadrante minor est.

XIX. Angulorum complementa dicuntur, vt arcuum.

XX. Anguli quilibet super eadem linea vtrinque protensa concurrentes simul sumpti sunt æquales duobus rectis.

XXI. Igitur obliquorum super prædicta linea concurrentium alter est alterius ad duos rectos complementum.

XXII. Triangulum primò est laterum quorumdam æqualium, vel in æqualium.

XXIII. Si sit æqualium quorumdam laterum, perpendicularis à concursu laterum æqualium bisecat basim & angulum basi oppositum.

XXIV. Triangulum laterum quorumdam æqualium est æquicrurum, vel æquilaterum.

XXV. Æquicrurum, est quod duo tantum habet latera æqualia.

XXVI. Estque ad basim æquiangulum, & contra.

XXVII. Æquilaterum est, quod omnia latera habet inuicem æqualia.

XXVIII. Estque æquiangulum, & contra.

XXIX. Triangulum secundò est rectangulum, vel obliquangulum.

XXX. Illud est quod vel vnum habet rectum.

XXXI. In rectangulis subtendens rectum specialiter hypotenusa dicitur: includentia verò rectum, perpendiculum, & basis.

XXXII. Obliquangulum, est quod omnes angulos habet obliquos.

XXXIII. Estque vel obtusangulum, vel acutangulum.

2009 Ministerio de Cultura

XXXIV. Illud est, quod habet vel vnum obtusum.

XXXV. Hoc autem quod omnes angulos habet acutos.

XXXVI. Triangulum denique est planum vel sphæricum, illud in plano, hoc in globo.

XXXVII. Trianguli plani sub Trigonometriam cadentis latera sunt tantùm lineæ rectæ, *de quibus propterea deinceps agendum est sequentibus septem propositionibus.*

XXXVIII. Linea recta in rectas parallelas incidens angulos similes, similiterque aut alternatim sitos facit: eapropter si plures rectæ in eandem rectam sint perpendiculares, sunt inuicem parallelæ.

XXXIX. Si plures rectæ pluribus rectis parallelis intersecentur, intersegmenta sunt proportionalia.

XL. Si duæ rectæ in se mutuò ducantur, efficitur inde quadrangulum rectangulum.

XLI. Rectangulum è tota vna & segmentis alterius simul sumptæ, sunt æqualia rectangulo ex vtraque tota.

XLII. Si quatuor rectæ sint proportionales, *id est si se habeant vt prima ad secundum, ita tertia ad quartam*, rectangulum mediarum æquatur rectangulo extremarum. *Hinc fit vt datis tribus, detur quarta, cum quatuor rectæ sunt proportionales, rectangulum enim mediarum diuisum per extremarum alteram, relinquit alteram.*

Deinde rectangula æqualia latera habent reciprocè proportionalia hoc est, in rectangulis æqualibus habent sese vt latus minus rectanguli primi ad latus minus secundi, ita latus maius rectanguli secundi ad latus maius primi, & contra.

XLIII. Si tres rectæ sint proportionales, *id est, si secunda ad tertiam se habet vt prima ad secundam*, quadratum mediæ æquatur oblongo extremarum.

XLIV. Si recta bisecta continuetur, oblongum continuatæ & continuationis est æquale quadrato rectæ ex bisegmento & continuatione compositæ, minus quadrato bisegmenti, ex 6. prop. 2. Eucl. *sed ad triangula reuertamur.*

XLV. In triangulo plano parallela basi, crura secat proportionaliter.

XLVI. Si plura triangula comparentur, æquiangula habent latera circa æquales angulos proportionalia, & contra. *Hoc autem theorema ex* 4. 6. *Eucl. sumptum est totius trigonometriæ fundamentum.*

XLVII. Si plura triangula plana componantur, & rectis parallelis intersecentur, intersegmenta sunt proportionalia.

XLVIII. Si trianguli plani quodcumque latus continuetur, angulus exterior per continuationem illam factus, est æqualis angulis duobus interioribus oppositis.

Hinc fit 1. *non posse esse nisi vnum rectum, vel obtusum in triangulo plano.* 2. *vno existente recto, vel obtuso, reliquos duos necessariò acutos esse.* 3. *duorum quorumcumque tertium esse ad duos rectos complementum.* 4. *denique, cum duo triangula, binis angulis sunt æquiangula, prosus esse æquiangula.*

L. In triangulo plano rectangulo, latera includentia rectum æquè possunt hypotenusæ: per penult. 1 Euclid. *Hinc, datis lateribus qui cumque duobus trianguli plani rectanguli, datur terciam.*

LI. In rriangulo plano rectangulo latera includentia rectum ad hypotenusam sępè sunt irrationalia, seu numero exacto datæ mensuræ inexplicabilia.

LII. In eodem, acutorum alter est alterius complementum.

LIII. Si trangulum planum circulo sit inscriptum, anguli ad circferentias oppositas sunt subdupli.

Vnde si latus trianguli plani circulo inscripti sit diameter, angulus illi oppositus est rectus.

Deinde si plura triangula plana eidem circuli segmento ad eandem basim inscribantur, sunt in fastigiis æquiangula.

LIV. Si duo triangula plana eidem circuli segmento ad eandem basim inscripta supernè connectantur, sic vt inde existat figura quadrilatera diagoniis intersecta: rectangulum diagoniorum est ęquale rectangulis oppositorum laterum simul sumptis, ex Ptol. & Copern. *Nunc verò de sphæricis triangulis loquamur.*

LV. Trianguli sphęrici latera sunt arcus circulorum maximorum sigillatim quadrantibus minores.

LVI. Circulus sphęræ maximus est qui totam sphæram in duo hemisphæria diuidir: adeoque à polis suis vndique per quadtantem circuli itidem maximi distat.

LVII. Si maximus sphęræ circulus per maximi polos transeat, rectè eum secat, & contra.

LVIII. Mensura anguli sphærici, si in circulo maximo accipiatur, est arcus circuli maximi ex angulari puncto descripti, inter crura quadrante tenus continuata interceptus.

LIX. Si anguli sphærici crura continuata concurrant, semicirculos efficiunt, & comprehendunt angulum angulo prædicto & opposito æqualem.

LX. Triangulum sphæricum quodlibet ex quouis angulari puncto habet oppositum sibi triangulum aliud, cuius basis est eadem, & angulus basi oppositus: reliquæ partes sunt partium prioris trianguli complementa.

LXI. Trianguli sphærici latera in angulos, & contra, permutiar possunt:

2009 Ministerio de Cultura

possunt: complementis ad semicirculum pro latere & angulo maximo hinc inde sumptis.

LXII. Triangulum sphæricum rectangulum aut vnum habet rectum, aut plures vno.

LXIII. Vnum rectum, vel cum duobus acutis, vel cum duobus obtusis, vel cum obtuso, & acuto.

LXIV. Triangulum sphæricum rectangulum cum duobus acutis habet ex angulo recto oppositum sibi triangulum rectangulum cum duobus obtusis, & contra.

LXV. Trianguli sphærici rectanguli cum duobus acutis latera singula sunt quadrantibus minora.

LXVI. Trianguli sphærici rectanguli cum duobus obtusis latera duo sunt quadrantibus maiora: tertium quadrante minus.

LXVII. Triangulo sphærico rectangulo cum acuto, & obtuso opponitur ex acuto triangulum rectangulum cum duobus acutis.

LXVIII. Trianguli sphærici plures rectos habentis latera rectos subtendentia sunt quadrantes.

LXIX. Triangulum sphæricum plures rectos habens habet tres, vel duos rectos: adeoque de lateribus, tres, vel duos quadrantes.

LXX. Si Trianguli sphęrici duos rectos habentis tertius angulus sit acutus, tertium latus est quadrante minus, sin obtusus, maius.

LXXI. Triangulum sphæricum obliquangulum aut constat ex puris acutis, vel obtusis: aut ex his vtrisque mixtis.

LXXII. Triangulo sphærico purè acutangulo opponitur triangulum sphæricum cum duobus obtusis & vno acuto, & contra.

LXXIII. Triangulo sphærico purè obtusangulo opponitur triangulum sphæricum cum duobus obtusis & vno acuto, & contra.

LXXIV. Trianguli sphærici cuiuscumque, tres anguli sunt duobus rectis maiores.

Hæc sunt, quæ primo libro docet: Omissis autem quæ habet l. 2. de tabulis sinuum, tangentium, & secantium addo 6. axiomata proportionum l. 3. quibus docet triangulorum planotum solutionem. 4. postmodum allaturus l. 4. quibus sphærica triangula soluantur: sic igitur habet pro triangulis rectangulis.

Axioma primum.

Vt hypotenusa ad perpendiculum, ita radius ad sinum anguli perpendiculo oppositi, & contra.

II. Vt basis ad perpendiculum, ita radius ad tangentem anguli perpendiculo oppositi, & contra.

11. Vt basis ad hypotenusam, ita radius ab secantem anguli perpendiculo oppositi. *Iam pro triangulis planis vniuersis*

1v. Latera finibus angulorum oppositorum directè sunt proportionalia.

v. Vt summa duorum laterum ad differentiam eorumdem : ita tangens dimidij summæ duorum angulorum oppositorum, ad tangentem differentiæ infra vel supra dimidium.

v1. Vt latus maximum ad summam reliquorum laterum : ita differentia reliquorum laterum ad segmentum lateris maximi : quo dempto, in relicti dimidium perpendiculum cadit. Sequuntur axiomata 4 proportionum ad triangulorum sphæricorum solutionem sufficientia.

Axioma primum.

In triangulis sphæricis rectangulis pluribus, acutum ad basim eundem habentibus, sinus hypotenusarum & perpendiculorum omnes sunt inter se proportionales.

In iisdem, sinus basium & tangentes perpendiculorum omnes sunt inter sese proportionales.

11. In triangulis sphæricis vniuersis, sinus laterum finibus oppositorum angulorum sunt directè propotionales.

1v. In jisdem, Si duo latera sigillatim quadrantibus minora, primum ipsa inter sese, deinde latus minus cum complemento maioris componas : Et sinui arcus compositi posterioris sinum complementi arcus compositi prioris subtrahas, vel sinum excessus addas, vt est radius ad medietatem rectæ per illam siue substractionem, siue additionem factæ: ita sinus versus anguli à dictis duobus lateribus comprehensi ad rectam, qua subtracta de sinu arcus compositi posterioris, relinquitur sinus complementi terij lateris, vel, de qua subtractus sinus arcus compositi posterioris relinquit sinum excessus tertij lateris. Quorum omnium plures casus, & exempla plurima apud Autorem videri possunt.

De vsu, & constructione canonis triangulorum.

His omnibus addo nonnulla ex eiusdem libro 2. & 5 quæ ad dimensionem triangulorum, & ad tabulas sinuum, tangentium, & secantium attinent, vt latera, vel anguli siue puri, siue mixti reperiantur, & ad calculum redigantur, eapropter præcipua notanda subijcio.

1. Omnis dimensio triangulorum fit per regulam auream, quæ datis tribus numeris inter sese proportionalibus reperit quartum.

11. Partes triangulorum, eorumque proportiones numero certo explicari debent, quod fieri nequit in vllorum angulorum mensura, nec

in sphæricorum lateribus, nisi quidquid est curuilineum ad rectas lineas reducatur, cum proportio recti, & curuilinei necdum inuenta sit.

III. Hæc reductio fit definiendo quantitatem rectarum ad circulum applicatarum respectu radij: quæ sunt sinus recti & versi, & tangentes atque secantes. qua definione tabulæ construuntur.

IV. Sinus rectus est semissis subtensæ dupli arcus, qui est eidem in arcu quadrante minori, & maiori vsque ad semicirculum: cum autem sinum rectum complementi audis, intellige complementi arcus quadrante minoris.

V. Sinus rectus est quæcumque perpendicularis ducta in diametrum ex altero arcus termino.

VI. Sinus rectus complementi est æqualis segmento diametri inter sinum rectum arcus, & centrum intercepti.

VII. Sinus versus est segmentum diametri inter sinum rectum & circumferentiam interceptum, qui est maior, cùm est sinus arcus quadrante maioris, minor vero, minoris.

VIII. Tangens est recta perpendicularis ducta à secante in extremitatem diametri ad alterum arcus terminum.

IX. Secans est recta per alterum arcus terminum vsque ad summitatem tangentis ducta.

X. Cùm autem nullæ tangentes, aut secantes possint esse arcuum quadrante maiorum; tabulæ sinuum rectorum, quæ solæ necessariæ sunt, non vltra quadrantem extenduntur, cum arcum quadrante maiorum sinus sunt ijdem qui minorum: at verò tabulæ sinuum versorum vsque semicirculum extendi possunt.

XI. Tabulæ vulgò construuntur ad singula prima minuta, Rhetico tamen ad decimas minutorum secundorum.

XII. Porrò radius certarum partium assumi debet, ad quem omnes sinus secantes, & tangentes ferè irrationales sunt; quapropter nullæ tabulæ exactæ dari possunt: quæ tamen tales esse debent, vt nullus numerus absit à vero per integram earum partium, quarum radius est assumptus.

XIII. Vt nullus error committatur in tabularum constructione, & fractiones nullum negotium faceſſant, tantus radius assumatur, vt error in tot à sinistra numeris, quot in tabulis collocare volumus, nullus inesse possit, & numeri à dextra versus sinistram erronei post supputationem finitam abscindantur: vt cùm Regiomontanus supputauit tabulas ad partes radij 6000000. sumpsit radium partium 6000000000. vt post supputationem quatuor notas abscinderet. Rheticus verò assumpsit radium partium 10000000000000000. vt haberet radium

partium 1000000000. & post supputationem abscidit 5. notas de singulis finibus à siniſtra dextrorsum: autor verò radium partium 100000, tantùm assumit.

XIV. Primò sinus recti arcuum quadrante minorum in iisdem partibus radij quærendi: ex quibus inuentis deducantur sinus versi, secantes & tangentes: illi autem sinus recti, è quibus alij deducuntur, dicuntur primarii, qui 3. statuuntur, nempe semisses laterum quadranguli, sexanguli, & decanguli circulo inscriptorum: id est, sinus graduum 45. 30. & 18. latus enim quadranguli æquè potest duobus radiis; latus sexanguli æquale est radio; & latus decanguli est maius segmentum radij proportionaliter secti: secatur autem recta quæcumque proportionaliter, cum segmentum maius ita se habet ad minus, vt tota ad segmentum maius.

XV. Reliqui verò sinus, qui secundarij vocantur, ex primariis reperiuntur per inuestigationem sinuum complementorum, arcuum dimidiorum, & duplorum, & sinuum summæ, vel differentiæ duorum arcum inæqualium coniunctim quadrante minorum. Quibus positis addit in quinto libro compendia quædam canonis condendi, & vsurpandi, quæ sequuntur.

XVI. Differentia sinuum arcuum duorum à 60. gradibus hinc inde parirer distantium, est æqualis sinui distantiæ: vnde finibus datis 60. quorumque graduum, sinus reliquorum 30. per solam additionem, vel substractionem reperiuntur.

XVII: Differentia tangentium duorum arcuum quadrantem simul adimplentium est dupla ad tangentem differentiæ arcuum: quapropter datis tangentibus duorum arcuum quadrantem simul adimplentium, datur tangens differentiæ duorvm illorum arcuum, & contra,

XVIII. Secans atcus est æqualis tangenti eiusdem arcus & dimidij complementi: eapropter datis tangentibus arcus & dimidij complementi, datur eiusdem arcus secans; & contra. Dato secante arcus, vna cum eiusdem arcus tangente, datur tangens dimidij complementi, ibi per additionem, hic per substractionem.

XIX. Secans arcus, cum tangente eiusdem, est æqualis tangenti arcus ex arcu dato & dimidio complemento compositi. Hinc data secante cuiuscumque, vnà cum tangente eiusdem, datur tangens ex arcu dato & dimidio complemento compositi. Et contra: data tangente arcus vna cum tangente arcus ex arcu dato, & dimidio complemento compositis, datur arcus primi secans. Ibi per additionē; hic per substractionem.

XX. Vt sinus ad radium, ita radius ad secantem complementi.

XXI. Vt tangens ad radium; ita radius ad tangentem complementi.

Qui plura voluerit, legat περὶχωρίων, Vietæ, c. 19. l. 8. Responsorum: hoc enim ante libros sphæricorum attulisse sufficit, vt ea possint intelligi quæ ad triangula, & ad eorum sinus pertinent.

Est & alius modus quo triangula per logarithmos soluantur, de quibus Neperus, & Keplerus fusè: sed via communis per tabulas sinuum plerisque magis naturalis, & commodior esse videtur; id tamen habet commodi via logarithmica, vt sola multiplicatione, & additione diuisionem in alia meihodo necessariam suppleat. Quidquid sit, vtrôque modo ex latetibus angulos, & ex angulis latera vel purè, vel mixtim assequimur; nam ex sex in triangulo spectandis, nempe tribus lateribus, & tribus angulis, tribus quibuslibet datis, tria reliqua facile innotescunt. Hinc datorum in triangulo quocumque sex species oriuntur: duæ puræ, scilicet vbi tria latera solùm, aut tres anguli solùm dantur: reliquæ 4. mixtæ sunt, cum nempe duo latera, & angulus vnus datus est; qui vel datis lateribus comprehenditur, aut alterutro datorum laterum opponitur: aut cum duo anguli cum vno laterum dati sunt, siue latus illud alterutri datorum angulorum opponatur, siue ei adiaceat: quæ sphæricis præposuisse, *Theotime*, satis superque fuerit,

Nunc autem Theodosij, Menelai, atque Maurolyci sphærica aggredior, quibus omnia complecti possis animo quæ ad singulos sphæræ tam cœlestis quam terrenæ circulos attinent, nihil vt esse possit in vtrôque mundo, ex quo ad mundi conditorem non exurgas.

THEODOSII SPHÆRICORVM ELEMENTORVM ex traditione Maurolyci.

LIBER PRIMVS.

DEFINITIONES.

I. SPhæra est figura corporea vna quidem superficie cõtenta, intra quam vnum punctorum existit: à quo omnes lineæ protractæ, quæ illi superficiei occurrunt, sunt ad inuicem æquales.

II. Et punctum illud est sphæræ centrum.

III. Diameter sphæræ est quælibet linea per centrum eius transiens ad superficiem sphæræ extremitates applicans.

IV. Axis autem sphæræ est diameter fixa, super quam sphæra circumuoluitur.

V. Extrema verò axis poli dicuntur.

VI. Polus circuli punctum eſt in ſuperficie ſphæræ, à quo omnes rectæ lineæ ad circumferentiam circuli protractæ ſunt ad inuicem æquales.

VII. Circulorum in ſphęra à centro elongatio æqualis dicitur, cùm perpendiculares, quæ à centro ſphæræ ad circulorum ſuperficies protrahuntur, ad inuicem ſunt æquales.

VIII. Circulus magis remotus à centro eſt, ſuper quem longior cadit perpendicularis.

IX. Superficies ſuper ſuperficiem inclinata dicitur, cùm ſuper communem ſectionem ſuperficierum quodlibit punctum ſignatur: à quo in vtraque duarum ſuperficierum linea recta perpendiculariter erigitur.

X. Et tales duæ lineæ angulum continent acutum.

XI. Inclinatio autem eſt angulus, qui ab illis duabus rectis lineis continetur.

XII. Angulus inclinationis eſt differentia recti anguli ad angulum acutum.

XIII. Inclinationes autem ſuperficierum æquales ſunt, quæ angulos æquales dicto modo ſuſcipiunt:

XIV. Maior verò inclinatio, quæ minorem ſuſcipit angulum acutum, vel cuius inclinationis angulus maior eſt.

PETITIO.

Super quodlibet punctum in ſuperficie ſphæræ ad datum ſpatium circulum deſcribere. Vnde punctum illud erit polus circuli.

Propoſitio Prima.

Cum ſphæræ ſuperficiem ſecat aliqua planâ ſuperficies, ſectio facta in ſuperficie ſphæræ circulus eſt.

Corollarium.

Ex hoc itaque manifeſtum eſt, quod centrum omnis circuli, ſignati in ſphæra, aut eſt centrum ſphæræ: aut punctum, cui occurrit perpendicularis ducta à centro ſphæræ ad ſuperficiũ circuli.

Propoſ. II.

Sphæræ propoſitæ centrum inuenire.

Cor. *Manifeſtum igitur ex hac eſt, quod ſi à centro cuiuſlibet circuli in ſphæra ſignati linea perpendicularis ad eius ſuperficiem educatur vtrinque ad ſphæricam vſque ſuperficiem, neceſſe eſt eam per centrum ipſius ſphæræ tranſire.*

Propoſ. III.

Si ſphæram plana ſuperficies contingat: in vno tantùm puncto contingere neceſſe eſt.

Vnde manifeſtum eſt, quod ſignatis duobus punctis in ſuperficie ſphæræ: linea recta coniungens ſignata puncta cadit intra ſuperficiem ſphæræ.

Prop. IV.

Sphæram plana ſuperficie contingente, ſi à puncto contactus ad centrum ſphæræ recta linea ducatur, neceſſe eſt eam ſupra ſuperficiem contingentem ſtare perpendiculariter.

Prop. V.

Si ſpheram plana ſuperficies contingat: à puncto autem contactus recta linea ad contingentem ſuperficiem perpendiculariter inter ſphæram ducatur, in eadem centrum ſphæræ eſſe neceſſe eſt.

Prop. VI.

Si in ſphæra plures circuli fuerint ſignati: Qui per centrum ſphæræ tranſierit, omnibus erit maior. Reliquorum autem, hi quidem, quorum longitudo à centro æqualis fuerit erunt æquales: At cuius longitudo maior fuerit, erit minor,

Prop. VII.

Omnis circulus maior in ſphæra ſignatus tranſit percentrum ſphæræ: Et circulorum minorum æqualium æquales ſunt à centro ſphæræ longitudines Minoris autem eorum maior erit longitudo.

Prop. VIII.

Si in ſphæra circulus, qui per eius centrum non tranſeat, ſignetur: & à centro ſphæræ ad centrum circuli recta linea ducatur, neceſſe eſt eam ſuper circuli ſignati ſuperficiem eſſe perpendicularem.

Prop. IX.

✠ Omnis perpendicularis ducta à centro ſphæræ ad ſuperficiem cuiuſlibet circuli in ſphæra ſignati, cùm in ambas partes producitur, tranſit per polos ipſius circuli.

Propoſ. X.

✠ Omnis perpendicularis à centro cuiuſlibet circuli in ſphæra ſignati in vtramque partem égreſſa per pulos ipſius circuli tranſire ex neceſſitate conuincitur.

Prop. XI.

✠ Omnis linea recta continuans alterum duorum polorum cuiuſlibet circuli ſignati in ſphæra cum centro ipſius, ad eius ſuperficiem perpendicularis eſſe probatur.

Prop. XII.

✠ Omnem perpendicularem ab alterutro duorum polorum alicuius circuli in ſphæra ſignati ad ipſius ſuperficiem ductam in centrum eius cadere neceſſe eſt, eamque, ſi in continuum & directum protrahatur, reliquo polo eiuſdem circuli obuiare neceſſe eſt.

Prop. XIII.

✠ Omnis recta linea continuans duos polos alicuius circuli in ſphæra

ſignati ſuper ipſum perpendicularis eſſe, ac per eius centrum & centrum ſphæræ tranſire probatur;

Prop. XIV.

✠ Omnis recta linea, quæ alterum duorum polorum alicuius circuli in ſphæra ſignati cum centro ſphæræ continuat, ſi quouſque ex altera parte ſuperficiei ſphæræ obuiet, protrahatur, ſuper reliquum polum ipſius circuli cadere ex neceſſitate conuincitur.

Manifeſtum ergo eſt quod omnis circulus maior tranſiens per alterum polorum alicuius circuli in ſphæra ſignati tranſit per reliquum.

Prop. XV.

✠ Omnis recta linea à centro ſphæræ ad centrum cuiuſlibet minoris circuli in ſphæra ſignati protacta, cúm in ambas partes quod ſuperficiei ſphęræ obuiet producitur, ſupra polis ipſius circuli cadere neceſſariò comprobatur.

Prop. XVI.

Omnes circuli maiores in ſphæra diuidunt ſe inuicem per æqualia.

Prop. XVII.

Omnes circuli in ſphæra ſe inuicem per æqualia diuidentes, ſunt iores.

Prop. XVIII.

Omnis circulus maior ſecans alium circulum in ſphęra orthogonaliter ſecat eum per æqualia, & tranſit per polos eius.

Prop. XIX.

Omnis circulus maior ſecans aliquem ex circulis minoribus ſphæræ per æqualia, ſecat eum orthogonaliter, & tranſit per polos eius.

Prop. XX.

Omnis circulus maior tranſiens per polos alicuius circuli ſignati in ſphęra, ſecat eum per æqualia, & orthogonaliter.

Prop. XXI.

Omnis circulus maior, per cuius polos tranſit alius circulus maior in ſphæra, tranſibit viciſſim & per polos illius.

Prop. XXII.

Omnis circulus tranſiens per polos alicuius alterius circuli ſignati in ſphęra eſt circulus maior, & ſecat eum per æqualia & orthogonaliter.

Prop. XXIII.

Omnis circulus ſecans aliquem ex circulis, qui in ſphæra ſunt, per æqualia, & orthogonaliter, eſt circulus maior, & tranſit per polos eius.

Prop XXIV.

Omnis circulus in ſphæra ſignatus à cuius vtrolibet polo penpendi-

cularis ad ipsum ducta æqualis est semidiametro eius, est circulus maior.

Lemma.

Si à puncto in diametro circuli signato ducatur ad peripheriam recta linea æqualis utrilibet portionum diametri punctum signatum erit centrum circuli.

Prop. XXV.

✠ Omnis recta linea, quæ à polo alicuius maioris circuli in sphæra signati ad ipsius peripheriam protrahitur, est æqualis lateri quadrati in eodem circulo designati.

Prop. XXVI.

Omnis circulus in sphæra signatus à cuius polo ad ipsius peripheriam linea protracta æqualis est lateri quadrati, quod in eo describitur, est circulus maior.

Prop. XXVII.

Omnis circulus, à cuius polo recta linea ad ipsius peripheriam ducta est æqualis lateri quadrati maiori circulo in sphæra signato inscripti est circulis maior.

Prop. XXVIII.

Proposita sphæra, circuloque in ea dato, rectam lineam æqualem diametro ipsius circuli exponere.

Prop. XXIX.

Data sphæra rectam lineam diametro ipsius æqualem exponere.

Prop. XXX.

Si à polo alicuius circuli in sphæra signati recta linea ad sphæræ superficiem ducatur, quæ sit æqualis lineæ ab eodem polo super circuli ipsius peripheriam descendenti, necesse est eam in eiusdem circuli peripheriam terminari.

Prop. XXXI.

Quibuscumque duobus punctis in sphæræ superficie datis, circulum maiorem, qui per ea transeat, designare.

Prop. XXXII.

Circuli in sphæra signati polum inuenire.

Ex hoc autem manifestum, est quod omnium circulorum maiorum in sphæra descriptorum, quicumque transit per polos alterius: & reliquus quoque vicissim transibit per polos ipsius. Amplius autem omnes maiores circuli orthogonaliter se inuicem secantes vterque per alterius polos transeunt.

Prop. XXXIII.

In sphæræ superficie, puncto signato, si ab eo in alicuius circuli in eadem sphæra descripti peripheriam plures, quàm duæ rectæ lineæ ductæ fuerint æquales: punctum illud polum eiusdem circuli esse necesse est.

Propos. XXXIV.

Æquales sibi inuicem sunt cuncti circuli in sphæra signati, à quorum polis rectæ lineæ ad ipsorum peripherias fuerint æquales. Contra & in circulis æqualibus in sphæra signatis rectæ lineæ à polis ad peripheriam terminatæ sunt ad inuicem æquales.

LIBER SECVNDVS

THEODOSII DEFINITIO.

CIrculi in sphæra se inuicem contingentes dicuntur, quorum communis sectio est vtrumque contingens.

Propositio prima.

✠ Quicumque circuli in sphæra sunt æquidistantes, eosdem polos habere probantur.

Probl. II.

✠ Quicumque circuli in sphæra habent eosdem polos, sunt æquidistantes.

Propos. III.

✠ Circuli æquales & æquidistantes in sphęra non erũt, nisi duo tãtùm.

Propos. IV.

✠ Omnes duo circuli in sphæra secantes super vnum idemque puuctum aliquem circulum maiorem per amborum polos transeuntem, in eodem puncto inuicem sese contingent.

Propos. V.

✠ Omnis maior circulus in sphæra transiens per polos duorum circulorum sese contingentium transibit per locum contactus.

Propos. VI.

✠ Duobus circulis se inuicem in sphæra contingentibus, circulus maior, qui transit per polos vnius eorum, & per punctum contactus, transit etiam per polos alterius.

Propos. VII.

✠ Omnis circulus maior contingens aliquem circulum in sphæra, contingit alium ei æqualem & æquidistantem.

Propos. VIII

Si fuerint in sphæra duo circuli æquales & æquidistantes: Quicumque circulus maior vnum eorum contingit, alterum quoque contingere necessariò probatur.

Propos. IX.

Omnes duo circuli æquidistanter in sphæra, quos aliquis maior

circulus contingit, ſibi inuicem ſunt æquales.

Propoſ. X.

Omnis maior circulus ſuper alium circulum maiorem in ſphæra inclinatus contingit duos circulos æquales ad inuicem : eique ſuper quem inclinatur æquidiſtantes.

Propoſ. XI.

Omnis circulus maior contingens aliquem circulum ſignatum in ſphæra inclinatus eſt ſuper maiorem circulum, cui æquidiſtat circulus quem contigit.

Propoſ. XII.

✠ Omnis circulus maior tranſiens per polos duorum circulorum ſe inuicem in ſphæra ſecantium, diuidit vtraſque portiones eorum per æqualia.

Propoſ. XIII.

Duobus quibuſcumque circulis ſe inuicem in ſphæra quomodolibet ſecantibus, quicumque circulus diuidit vtraſque portiones eorum per æqualia, eſt circulus maior, & tranſit per polos eorum.

Propoſ. XIV.

Si circulus maior ſecet per æqualia ſingulas duas portiones circulorum duorum ſe inuicem in ſphæra ſecantium, portiones, inquam, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſorum circulorum, arcum tamen habens inter tales portiones minimè ſemicirculo æqualem : idem reliquas duas eorumdem portiones per æqualia ſingulas ſecabit per ipſorum polos incidens.

Propoſ. XV.

Si in ſphæra fuerint circuli æquidiſtantes, per quorum polos circuli maiores ducantur. Arcus circulorum æquidiſtantium, qui ſunt inter circulos maiores, erunt ſimiles : Et arcus circulorum maiorum, qui ſunt inter circulos æquidiſtantes, erunt æquales.

Propoſ. XVI.

Si ſupra diametros circulorum æqualium æquales circulorum portiones ſuper ipſos circulos orthogonaliter erigantur : ſuper quas duo puncta eas per inæqualia ſed æqualiter diuidentia ſignentur, quæcumque rectæ lineæ æquales ad inuicem ab his punctis in circulorum peripherias deſcendunt, ſeparant ex eis à diametrorum extremitatibus æquos arcus : Et lineæ, quæ à diametrorum extremis ex eis ſeparant æquos arcus, ſibi inuicem ſunt æquales.

Propoſ. XVII.

Circulo minore propoſito, punctoque in eius peripheria ſignato, circulum maiorem, qui ipſum ſuper punctum ſignatum contingat deſcribere.

Propoſ. XVIII.

Si in ſphęra fuerint plures circuli æquidiſtantes, vnum quorum duo circuli maiores contingant. & reliquos ſecent, Erunt portiones circulorum æquidiſtantium, quæ ſunt inter medietates circulorum duorum, quæ non concurrunt, ſimiles: Et portiones circulorum maiorum, quæ ſunt inter circulos æquidiſtantes, erunt æquales.

Propoſ. XIX.

Dato circulo minore in ſphęra, punctoque ſphęræ in ſuperficie inter ipſum & alium ſibi æqualem, & æquidiſtantem aſſignato, maiorem circulum, qui per ſignatum punctum tranſeat, circulumque datum contingat deſcribere.

Vnde manifeſtum eſt, quod per punctum in ſuperficie ſphæræ ſignatum inter duos circulos æquales & æquidiſtantes poſſunt ſemper deſcribi duo circuli maiores, qui contingant dictos æquidiſtantes.

Propoſ. XX.

Omnes circuli maiores ex circulis æquidiſtantibus in ſphęra inter ſe arcus ſimiles ſeparantes, aut tranſeunt per polos ipſorum, aut contingunt vnum & eundem ex illis æquidiſtantibus.

Propoſ. XXI.

Omnes circuli æquidiſtantes in ſphęra, quos ſecat aliquis circulus maior, ſeparantes à duabus partibus circuli maioris, qui eſt vnus ex æquidiſtantibus, æquos arcus ex circulo ſecante ſibi inuicem ſunt æquales. Qui autem ex eis maiorem arcum ſeparat, minor eſſe conuincitur.

Propoſ. XXII.

Quicumque circuli in ſphęra ſunt æquales & æquidiſtantes, ſeparant ex omni circulo maiori, qui ſecat eos, à duabus partibus maioris circuli, qui eſt vnus ex æquidiſtantibus, æquos arcus. Qui autem eſt maior, minorem.

Propoſ. XXIII.

Omnis circulus maior ſecans circulos quotlibet æquidiſtantes in ſphæra, & inclinatus ſuper ipſos diuidit eos omnes in duas partes inæquales, præter circulum maiorem, qui eis æquidiſtat: vnaquæque autem portionum apparentium, quæ ſunt inter circulum maiorem ex æquidiſtantibus & polum manifeſtum, eſt ſemicirculo maior. At verò quælibet earum, quæ ſunt inter eundem circulum maiorem & polum occultum, eſt ſemicirculo minor. Coalternæ autem portiones circulorum æquidiſtantium & æqualium ſunt ad inuicem æquales.

Propoſ. XXIV.

Si circulus maior in ſphæra ſecet quemlibet æquidiſtantium circulorum per quorum polos ipſe non tranſit, erunt portiones eorum ap-

parentes inter circulum maiorem ex æquidistantibus & polum manifestum interceptæ, quæ polo propinquiores existunt, maiores portionibus similibus, portionibus quæ ab eodem polo remotiores existunt.

Prop. XXV.

Si in sphæra maiores circuli super alios maiores circulos fuerint inclinati, quorum poli altiores fuerint à superficiebus circulorum super quos inclinantur, eorum erit inclinatio maior. Quorum autem poli æquè alti fuerint, eorum inclinationes necesse erit esse æquales.

Et manifestum est simul quod si circulorum maiorum in sphæra super alios circulos inclinatorum poli æquè remoti sunt à polis eorum, super quos inclinantur: eorum inclinationes æquales erunt: cuius verò polus vicinior fuerit polo eius, super quem inclinatur, eius inclinatio maior erit.

E contrario verò, quorum inclinatio maior fuerit: Eorum poli altiores erunt à superficiebus circulorum, super quos inclinantur: Quorum autem inclinationes æquales fuerint, eorum polares altitudines æquales esse necesse est.

Æquas circulorum inclinationes æquales polorum distantiæ: Et maiorem inclinationem maior polorum vicinitas sequetur.

Propos. XXVI.

✠ Circuli maiores in sphęra super circulum maiorem, cuius æquidistantem circulum tangunt, æqualiter inclinantur. Et si circuli maiores super circulum maiorem æquè inclinati sunt, contingent circulum ei, super quem inclinati sunt, æquidistantem. Qui autem maiorem æquidistantem contingit, magis inclinatur. Et qui magis inclinatur, continget maiorem æquidistantem.

Propos. XXVII.

✠ Circulorum maiorum in sphęra super aliquem circulum maiorem æqualiter inclinatorum poli sunt in peripheria circuli æquidistantis ei, super quem inclinantur. Contra, si circulorum maiorum poli sint in peripheria circuli æquidistantis ei, super quem inclinantur, æquales erunt eorum inclinationes.

Propos. XXVIII.

Si supra diametrum circuli portio quælibet circuli orthogonaliter erigatur, cuius peripheria in duo inæqualia secetur: & à puncto sectionis ad peripheriam circuli supra quem ipsa erecta est, plurimæ rectæ lineæ protrahantur: Tunc ex eis, quæ minori arcui ipsius portionis subtẽdetur, omnium erit minima: Quæ autem maiori, omnium erit maxima. Cęteræ autem tanto maiores erunt, quanto à minima remotiores: tanto breuiores, quanto eidem propinquiores. Duæ verò vtrinque ab eadem æqualiter distantes erunt ad inuicem æquales,

Propos. XXIX.

Si circulum recta linea præter centrum secet, super quam portio circuli non maior semicirculo ad ipsum circulum orthogonaliter erigatur: & huius portionis peripheria in duo inæqualia diuidatur: & à puncto diuisionis ad maiorem arcum circuli, super quem portio ipsa erigitur, plurimæ rectæ lineæ demittantur: tunc ex eis, quæ minori arcui portionis subtenditur, omnium erit breuissima: Quæ autem terminat diametrum trãseuntem per punctum, in quo perpendicularis à puncto diuisionis portionis descendens ad planum circuli plano ipsi occurrit, omnium erit longissima; earum verò, quæ inter extremitatem minoris arcus, & huius diametri cadent, semper propinquior extremitati minoris arcus breuior erit. At verò earum, quæ inter extremitatem eiusdem diametri & extremitatem maioris arcus ceciderint, illa quæ maiori arcui subtenditur, erit omnium breuissima, eique semper vicinior, breuior erit.

Prop. XXX.

Si ex circulo linea recta portionem semicirculo non minorem abscindat, super quam describatur portio circuli semicirculo non maior, quæ inclinata sit super portionem semicirculo non maiorem: At arcus huius portionis inclinatæ in duo inæqualia diuidatur, ac etiam à puncto diuisionis ad arcum portionis semicirculo non minoris plurimæ rectæ lineæ demittantur, tunc ex eis quæ minori arcui portionis inclinatæ subtenditur, omnium erit breuissima. Quæ autem diametrum terminat transeuntem per punctum in quo perpendicularis à puncto diuisionis descendens in superficiem circuli, ipsi superficiei occurrit, omnium erit longissima. Earum verò, quæ inter extremitatem huius diametri, & minoris arcus cadent, semper vicinior extremo minoris arcus breuior erit. At verò earum, quæ inter extremitatem eiusdem diametri, & maioris arcus ceciderint, illa quæ maiori arcui subtenditur, erit omnium breuissima, eique semper propior breuior erit.

Prop. XXXI.

Si in sphęræ superficie intra circuli cuiuscumq; peripheriam punctum præter polum signetur, & ab eo ad ipsam perpheriam plurimi arcus circulorum maiorum ducantur, tunc ex eis qui per circuli polum transierit, omnium erit maximus: qui verò ei adiacet, omnium erit minimus. Cæterorum autem, quanto quilibet maximo transeunti per polum propinquior, tanto maior: duo verò ab eodem, siue à breuissimo vtrinque æqualiter distantes, inuicem æquales erunt.

Prop. XXXII.

Si in sphæra extra cuiuslibet circuli peripheriam punctum præter

polum signetur: & ab eo ad peripheriam circuli plurimi arcus circulorum maiorum ipsum secantes ducantur: Tunc ex eis, qui per circuli polum transierit, omnium erit maximus. Qui verò ei adiacet propinquior, semper maior erit. Partialium autem arcuum extrinsecorum peripheriæ applicatorum, qui transeuntis per polum pars est, erit omnium breuissimus: Qui verò ei magis appropinquat, breuior est. Duoque demum à breuissimo, aut longissimo æqualiter vtrinque remoti æquales erunt.

Propos. XXXIII.

Si quem circulum in sphęra quilibet maior circulus contingat, ac sui æquidistantem inter ipsum & sphæræ centrum cadentem idem circulus maior secet: fueritque vnus duorum polorum huius circuli maioris inter duos prædictos æquidistantes interceptus: Tunc quicumque maiores circuli illum duorum æquidistantium, qui positus est secari, contingunt, sunt super primum maiorem circulum inclinati: eritque illius, qui contingit ipsum punctum super punctum medium minoris portionis, maxima inclinatio, & minima altitudo: eius autem, qui contingit ipsum super punctum medium maioris portionis, erit inclinatio minima, & maxima altitudo. Cęterorum autem, quanto punctum contactus vicinius erit puncto medio portionis minoris, tanto erit inclinatio maior, & minor altitudo. Duorum verò, quorum contactus à medio puncto ipsius minoris portionis æqualiter distant, erunt & inclinationes & altitudines æquales. Poli autem omnium horum circulorum contingentium super peripheriam vnius circuli duobus primis æquidistantibus æquidistantis, ac vtraque eorum minoris necessariò erunt.

Propos. XXXIV.

Si quem circulum in sphæra quilibet circulus maior contingat, & illius æquidistantem inter ipsum & sphęræ centrum cadentem idem circulus maior secet, fueritque vnus duorum polorum huius maioris circuli inter duos prædictos æquidistantes interceptus; tunc quicumque duo maiores circuli illum duorum æquidistantium, qui positus est secari, contingunt super duo puncta à locis, in quibus maiorem circulum secant primum, æqualiter distantia, sunt super ipsum maiorem circulum æqualiter inclinati.

THEODOSII SPHÆRICORVM.

LIBER TERTIVS.

Propositio primæ.

CVm in sphæra duo circuli maiores se inuicem secant: si ab alterutra duarum sectionum ex vtroque eorum duo arcus æquales ad inuicem, quos punctum commune sectionis eorum continuet, separentur, tunc rectas lineas, quæ eorum extremitates continuant, oportet esse inter se æquales.

Propos. II.

Si duo circuli magni in sphæra se inuicem secent: ex vno quorum separentur duo arcus æquales, qui continuentur ad vnam duarum sectionum: & protrahantur duæ superficies æquidistantes per extremitates duorum arcuum separatorum, abscindentesque ex reliquo circulo à puncto dictæ sectionis duos arcus minores duobus prioribus: fueritque altera istarum duarum superficierum æquidistantium, concurrens cum communi sectione duorum circulorum extra sphęram à parte illius puncti, ad quem continuantur arcus separati: Tunc erunt arcus, quos hæ duæ superficies separant de circulo secundo à duabus partibus puncti sectionis inæquales: maiorque eorum erit arcus, qui est inter communem sectionem & superficiem, quæ cum communi prædicta planorum circularium sectione non concurrit.

Propos. III.

Si circulus maior in sphæra fuerit super alium circulum maiorem inclinatus: fuerintque duo arcus circuli inclinati æquales continui separati per tres circulos æquidistantes ab eadem parte maioris circuli, quorum æquidistat: tunc erunt duo arcus circuli maioris transeuntis per polos circulorum æquidistantium, & circuli inclinati, quos iidem æquidistantes separant, inæquales, maiorque eorum erit, qui propinquior fuerit circulo maiori ex circulis æquidistantibus.

Propos. IV.

Si circulus maior in sphæra fuerit super alium circulum maiorem inclinatus: fuerintque ex vna qualibet quarta circuli inclinati, cuius principium sit alterutra duarum sectionum duo arcus æquales continui separati: tunc arcus circulorum magnorum à polo alterius per extremitates duorum arcuum separatorum in ipsius peripheriam descen-

descendentes ex ipsa peripheria arcus inequales abscindent: quorum ille erit maior, qui erit ab eorum communi sectione remotior.

Prop. V.

✠ Si super maiorē circulum in sphęra contingentem duos circulorum equidistantium fuerit alius maior circulus inclinatus, contingēs duos eorumdem circulorum equidistantium prædictis duobus maiores, fuerintque loca contactuum super primum circulum maiorem, ex circulo autem inclinato separati fuerint duo arcus æquales continui ab eadem parte circuli maioris ex æquidistantibus: tunc tres circuli æquidistāres transeuntes per extremitates duorum arcuum separatorum separabunt ex primo circulo maiore arcus inæquales, quorum qui propinquior erit maiorum circulorum æquidistantium, erit maior.

Prop. VI.

✠ Si super circulū maiorem in sphæra contingentem duos circulorum æquidistantium fuerit alius maior circulus inclinatus contingens duos corumdem æquidistantium prædictis duobus maiores, fuerintque loca contactuum super primum circulum maiorē: ex circulo autem inclinato separati fuerint duo arcus æquales continui ab eadem parte circuli maioris ex equidistantibns: tunc tres circuli maiores cōtingentes duos primos æquidistantes, quos contingit circulus maior primus, transeuntes per extremitates duorum arcuum separatorum separabunt ex circulo maiore circulorum æquidistantium duos arcus inæquales, quorum qui propinquior erit circulo maiori primo, maior erit.

Prop. VII.

Si circulus maior in sphæra fuerit super alium maiorem circulū inclinatus: fuerintque duo arcus circuli inclinati æquales non continui separati per quatuor circulos æquidistantes ab eadem parte maioris circuli qui eis æquidistat: Tunc erunt duo arcus circuli maioris transeuntis per polos circulorum æquidistantium, & circuli inclinati quos æquidistantes separant, inæquales: maiorque eorum erit, qui propinquior fuerit circulo maiori ex æquidistantibus.

Prop. VIII.

Si circulus maior in sphæra super aliū maiorem circulum fuerit inclinatus: fuerintque ex vna qualibet quarta circuli inclinati, cuius principium sit alterutra duarum sectionum duo arcus æquales non continui separati: tunc arcus circulorum magnorum à polo alterius per extremitates horum duorum arcuum in ipsius peripheriam descendentes ex ipsa peripheria arcus inæquales abscindent: quorum ille

crit maior, qui est ab eorum communi sectione remotior.

Prop. IX.

Si super circulum maiorem in sphæra contingentem duos circulorum æquidistantium fuerit alius maior circulus inclinatus contingens duos eorumdem circulorum æquidistantium, prædictis duobus maiores: fuerintque loca contactuum super primum circulum maiorem, ex circulo autem inclinato separati fuerint duo arcus æquales non continui ab eadem parte circuli maioris ex æquidistantibus: tũc quatuor circuli æquidistantes transeuntes per extremitates duorum arcuum separatorum, separabunt ex primo circulo maiore duos arcus inæquales: quorum, qui propinquior maiori circulo æquidistantium, erit maior.

Prop. X.

Si super circulum maiorem in sphæra contingentem duos circulorum æquidistantium fuerit alius maior circulus inclinatus contingens duos eorumdem æquidistantium prædictis duobus maiores: fuerintque loca contactuum super primum circulum maiorem: ex circulo autem inclinato separati fuerint duo arcus æquales non continui ab eadem parte circuli maioris ex æquidistantibus, tunc quatuor circuli maiores contingentes duos primos æquidistantes, quos contingit circulus maior primus, transeuntes per extrema duorum arcuum separatorum, separabunt ex circulo maiore circulorum æquidistantium duos arcus inæquales, quorum, qui propinquior erit circulo maiori primo, maior erit.

Prop. XI.

Si polus circulorum æquidistantium supra lineam continentem circulum maiorem fuerit, & secuerint hunc circulum duo circuli maiores orthogonaliter: quorum vnus sit ex circulis æquidistantibus, & alter sit inclinatus super circulos æquidistantes: & signata fuerint supra circulum inclinatum duo puncta qualitercumque contingat in vna & eadem parte à circulo maiore, qui est ex circulis æquidistantibus, & producti fuerint circuli maiores à polo per puncta signata, tunc erit proportio arcus circuli maioris ex æquidistantibus cadentis inter circulum primum maiorem, & sibi propinquum per eosdem polos, & vnum punctorum signatorum productum ad arcum circuli inclinati inter eosdem circulos interceptum maior, quàm proportio arcus circuli maioris ex æquidistantibus cadentis inter circulos productos per puncta signata ad arcum circuli inclinati inter signata puncta recepti.

Prop. XII.

Si polus circulorum æquidistantium fuerit supra lineam continen-

tem circulum maiorem: & ſecuerint hunc circulum duo circuli maiores orthogonaliter: quorum vnus ſit ex circulis æquidiſtantibus, & alter ſuper eos inclinatus: Et fuerit alius circulus maior ſecans circulum inclinatum inter circulum maiorem ex æquidiſtantibus, & inter circulum, quem circulus inclinatus cõtingit ex ipſis æquidiſtantibus, & fuerit tranſiens per polos æquidiſtantium, tunc proportio diametri ſphæræ ad diametrum circuli, quem contingit circulus inclinatus, erit maior proportione arcus circuli maioris æquidiſtantium cadentis inter circulos, qui per polos æquidiſtantium ab arcum circuli inclinati inter eoſdem circulos interceptum.

Prop. XIII.

Iiſdem ſuppoſitis, proportio diametri ſphęræ ad diametrum circuli ex æquidiſtantibus, tranſeuntis per ſectionem vltimi circuli maioris, & circuli inclinati, erit minor proportione arcus circuli maioris æquidiſtantium cadentis inter circulos, qui polos per æquidiſtantium ad arcum circuli inclinati inter eoſdem circulos clauſum.

Prop. XIV.

Cum in ſphæra fuerint duo circuli maiores contingentes vnum & eundem circulum ex circulis æquidiſtantibus, & ſeparauerint inter ſe ex circulis æquidiſtantibus arcus ſimiles. Et fuerit alius arcus circulus maior inclinatus ſuper circulos æquidiſtantes contingens duos circulos maiores duobus circulis, quos duo primi circuli contingebant, & ſecuerit ipſos duos circulos primos inter circulum maiorem ex æquidiſtantibus, & circulum, quem contingunt duo primi circuli: tunc proportio diametri ſphæræ ad diametrum circuli, quem contingit circulus inclinatus, eſt maior, quàm proportio arcus circuli maioris ex circulis æquidiſtantibus cadentis inter circulos primos, qui contingunt eundem circulum, ad arcum circuli inclinati inter eoſdem circulos interceptum.

Prop. XV.

Cum circuli æquidiſtantes in ſphæra fuerint, ſeparantes ex aliquo circulo maiore arcus æquales ab ea parte, qua ſequitur circulus maior, qui eſt ex æquidiſtantibus: & deſcripti fuerint circuli maiores per arcuum ſeparatorum terminos qui aut tranſeant per polos circulorum æquidiſtantium, aut contingant vnum & eundem circulum ex æquidiſtantibus, tunc ipſi ſeparabunt ex circulo maiore æquidiſtantium angulos æquales: Et ipſorum arcus à maiore æquidiſtantium hinc inde ad minores recepti ſunt æquales.

Prop. XVI.

Cum in ſphæra tetigerit circulus maior aliquem ex circulis æquidi-

ſtantibus, qui ſunt in ſphæra: & fuerit circulus alius inclinatus ſuper circulos æquidiſtantes contingens duos circulos æquidiſtantes maiores circulis, quos primus circulus contingit: Tunc hi duo circuli ſeparabunt inter ſe ex circulis æquidiſtantibus arcus diſſimiles: Et quicunque horum arcuum fuerit magis propinquus vni duorum polorum, quicunque fuerit, erit maior arcu ſui circuli ſimili ei, qui eſt magis remotus ab eo.

PRÆFATIO
IN SPHÆRICA MENELAI.

MENELAVS, qui & Mileus, Geometra præſtantiſſimus, per annos fermè centum ante Ptolomæum ſtellas Romæ ac Rhodi obſeruaſſe narratur in ipſis magnæ conſtructionis libris, vbi Ptolomæus ſuas cum illius obſeruationibus confert. Scripſit hic poſt Theodoſium, qui ſphærica elementa primus tradidit, ſphæricorum libellos tres acutiſſimis demonſtrationibus refertos. Ex quorum tertio Ptolomæus ſumpſiſſe videtur quidquid de ſphæralibus triangulis tradidit in primo & ſecundo ſui magni voluminis. Hos Menelai libellos cùm ego in antiquis ex membrana codicibus reperiſſem, conatus ſum eos, quoniam corruptiſſimum erat exemplar, emendare, ac reſtituere, necnon quamplurimis tum neceſſariis, tum argutis ad augere propoſitionibus. Audierimus Tebitij ſupplementum in dictas Ptolomæi demonſtrationes: quippe quod non minus huc pertinet. Nam quod hic Menelaus in principio tertij, & Ptolomæus in fine primi hinc ſumptum oſtendit, Tebitius correxit ſupplens quod in demonſtrando fuerat omiſſum: ac deinde faciliùs demonſtrauit: Tum etiam, quod ad rem pertinet, cum vna ratio componitur ex duabus, duo de viginti modos compoſitionis eſſe tantùm, certis concludit argumentis, ſed ante Menelai lectionem hæc prælibanda duximus, Angulum ſphæralem eſſe eum, qui in ſphæræ ſuperficie ſub arcubus magnorum circulorum continetur. Talem autem angulum rectum eſſe circulis ſe inuicem orthogonaliter ſecantibus: acutum angulum eſſe recto minorem: obtuſum verò maiorem.

✣ Æquales ſphærales angulos eſſe illos, qui ſub arcubus circulorum æquos ad angulos iuclinatorum continentur. Triangulum ſphærale eſſe, quod ſub tribus arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ comprehenditur. Nadir arcus cuiuſpiam eſſe rectam, ſiue chordam, quæ duplo ipſius arcus ſubtenditur. Sinum rectum alicuius

arcus esse dimidium ipsius nadir, seu chordæ dupli eiusdem arcus. Vnde manifestum est, quod quidquid Menelaus de ipsis nadir arcuum demonstrauit, idem de sinibus, & è contrario, concludi potest.

✠ Ptolomæus quoque Menelaum sequutus chordam dupli propositi arcus in demonstrationibus accipit. Nos autem Ioannem de Monte-regio, & Georgium Peurbachium imitati, pro chorda dupli, sinum ipsius arcus breuitati consulentes consideramus: quandoquidem vtrobique demonstratio est eadem. Et vbicumque opus fuerit inter demonstrandum, Euclidis elementa, ac Theodosij sphærica, quæ necessariò præmittenda sunt, citabuntur.

MENELAI SPHÆRICORVM LIBER PRIMVS.

PROPOSITIONES.

Propositio prima.

PRopositis in sphæræ superficie duobus circulis æqualibus, dato in vno eorum arcui æqualem arcum in reliquo ab assignato puncto abscindere.

Prop. II.

Super assignatum punctum arcus circuli magni in superficie sphæræ angulum sphæralem dato angulo sub duobus arcubus circulorum magnorum in eadem superficie contento æqualem constituere.

Corollaria.

I. Hinc ergo manifestum est, quod anguli sub arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ contenti, qui æquos arcus assumunt de circulis æqualibus, ad quorum polos sunt constituti, sunt inuicem æquales. Contra, si anguli fuerint æquales, & assumpti quoque arcus inuicem erunt æquales.

II. Et quando duo circuli maiores in superficie sphæræ se inuicem secant, anguli sub illis contenti contra positi & oppositi sunt æquales.

III. Item si circuli se se orthogonaliter secant: rectos faciunt angulos: Et è contrario, si recti sunt anguli; circuli se se orthogonaliter secant.

IV. Item si angulus sphæralis quadrantem assumat de circulo, ad cuius polum constitutus est, rectus est contra, & rectus sphæralis angulus quadrantem assumit de circulo, ad cuius polum constituitur.

V. Demum angulus sphæralis minus quàm circuli quartam assumens,

de circulo, ad cuius polum constituitur, acutus est: Et è contrario, plus verò quàm circuli quartam assumens, obtusus est, & è contrario.

VI. *Ad summam, anguli sphærales semper sunt proportionales assumptis arcubus circulorum æqualium, ad quorum polos sunt constituti: sicut & ipsi inclinationum anguli, per vltimam sexti elementorum Euclidis.*

Prop. III.

Omnis trianguli duorum æqualium crurum ex circulis magnis in superficie sphæræ, duo anguli super latus tertium positi sunt ad inuicem æquales.

Prop. IV.

Cum æquantur duo anguli trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ; crura æqualis angulis opposita sunt inter se æqualia.

Prop. V.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ, quorum vnus angulus vnius æqualis est vni angulo alterius, & arcus, qui continent angulum vnius, æquales arcubus, qui continent angulum alterius, singuli singulis: Et duo reliqui arcus æquales erunt. Quod si duo reliqui arcus æquales fuerint, tunc & duo anguli, quos continent arcus æquales in duobus triangulis, æquales erunt.

Prop. VI.

Cuiuslibet trianguli ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ quilibet duo arcus simul aggregati sunt maius arcu reliquo.

Prop. VII.

Cuiuslibet trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ tres arcus simul aggregati sunt minus integro circulo.

Coroll.

Et manifestum simul est, quod omnis sphæralis trianguli arcus minor est semicirculo.

Prop. VIII.

Ex tribus datis arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ, triangulum in eadem superficie construere. Oportet autem vt datorum arcuum quilibet sit minor semicirculo, vtque eorum duo quilibet aggregati sint maius reliquo.

Prop. IX.

Cum producuntur à duobus extremitatibus arcus ex arcubus circulorum magnorum continentium triangulum in superficie sphæræ duo arcus concurrentes super punctum vnum infra triangulum:

tunc ipſi producti ſunt minores duobus arcubus trianguli.

Prop. X.

Cuiuſlibet trianguli ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ angulus vnus fuerit maior altero, arcus, qui ſubtenditur angulo maiori, maior eſt arcu, qui ſubtenditur angulo minori.

Prop. XI.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ, quorum vnius duo arcus æquantur duobus arcubus alterius, ſinguli videlicet ſingulis: angulus autem ſub duobus illis arcubus vnius, maior eſt angulo contento ſub dictis duobus alterius arcubus: tunc & arcus, qui ſubtenditur angulo maiori, maior eſt arcu, qui ſubtenditur angulo minori. Item è contrario, angulus, quem ſubtendit arcus maior, erit & maior angulo, quem ſubtendit arcus minor.

Prop. XII.

Cuiuſlibet trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ arcus vnus fuerit maior altero: angulus, quem ſubtendit maior arcus, maior erit angulo quem ſubtendit minor arcus.

Prop. XIII.

Triangulo cuiuſcumque ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphęræ, arcus duo coniuncti ęquales fuerint ſemicirculo, tunc producto arcu reliquo angulus extrinſecus æqualis eſt angulo extrinſecus oppoſito ſuper arcum productum. Si autem duo arcus coniuncti minus ſint ſemicirculo, tunc angulus extra factus maior eſt angulo dicto interiori. Quod ſi duo arcus coniuncti ſemicirculum excedant, angulus exterior minor erit angulo ipſo intus oppoſito.

Prop. XIV.

Contra, ſi ponatur angulus extrinſecus æqualis angulo ſibi intus oppoſito in productione vnius arcus: tunc reliqui arcus coniuncti ſemicirculum conficiunt. Si autem extrinſecus angulus intrinſeco maior fuerit, tunc reliqui arcus coniuncti minus ſunt ſemicirculo. Si verò exterior angulus minor fuerit interiore, tunc reliqui arcus coniuncti ſemicirculum excedunt.

Corollaria.

Quæ propoſitio etiam oſtendi poteſt ex præcedenti, vt deſtructis contrarijs propoſitum aſtruatur.

Manifeſtum eſt igitur quod quãdo trianguli ſphæralis duo arcus coniuncti conficiunt ſemicirculum, tunc anguli arcubus illis oppoſiti coniuncti faciunt duos rectos.

Quando autem duo arcus coniuncti minus fuerint semicirculo, tunc & anguli illis oppositi congregati minus etiam erunt quàm duo recti: At cum duo arcus coniuncti semicirculum excesserint: & anguli quoque eis oppositi simul sumpti duos rectos angulos excedent.

Contra, si trianguli sphæralis duo anguli compositi conficiunt duos rectos; & arcus illis angulis subtensi simul sumpti semicirculum perficient. Quod si duo anguli aggregati minus fuerint, quàm duo recti: tunc & arcus eis subtensi simul positi semicirculum nequaquam attingent. Si demum duo anguli colligati duos rectos excesserint. Et arcus item eis subtensi pariter accepti semicirculum superabunt.

Prop. XV.

Cuiuscumque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ habentis duo crura æqualia, si fuerint arcus æquales circuli quadrantes, erunt illis oppositi anguli recti. Si autem arcus æquales fuerint quadrantibus minores: Et anguli eis oppositi acuti erunt. Si verò arcus æquiquartas circulorum excesserint: tunc item illis obiecti anguli erunt obtusi. Contra, si in triangulo sphærali isosceles anguli arcubus æquis subtensi recti fuerint, & arcus illi quadrantes erunt: Si autem anguli acuti, & arcus minores quadrantibus. Si obtusi, minores quadrantibus erunt.

Corollarium.

✠ *Vnde manifestum est quod triangulum sphærale æquilaterum ex tribus quadrantibus constructum habet tres angulos rectos: Ex arcubus verò quadrante singulis minoribus, tres acutos: Ex arcubus tandem singulis circuli quarta maioribus, tres obtusos.*

Contra, triangulum sphærale æquiangulum habens tres rectos angulos, habet & tres arcus quadrantes. Habens autem tres acutos, habet tres arcus quadrantibus minores. Habens demum tres obtusos, habet tres arcus circulorum quartis longiores.

Prop. XVI.

Cuiuslibet trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ fuerit vnus arcuum quadrans, & vnus angulorum rectus: Erit & reliquorum arcuum saltem vnus quadrans: & reliquorum angulorum saltem vnus rectus.

Corollarium.

Constat ergo impossibile esse inueniri triangulum sphærale rectangulum, cuius vnus dumtaxat arcus sit circuli quadrans.

Prop. XVII.

✠ Cuiusque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ fuerint arcus singuli quadrantibus maiores, erunt eius anguli

ānguli obtusi; Et similiter, si duo arcus excedant quartas modo tertius sit quadrans.

Prop. XVIII.

Cuiusque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ anguli singuli fuerint acuti: erunt eius arcus singuli quadrantibus minores. Et similiter, si duo tantùm anguli sint acuti, ac tertius rectus.

Corollarium.

Notandum quod tam præsens quam præcedens propositio non conuertitur. Non enim necesse est, si trianguli sphæralis anguli sint obtusi, & arcus subtensos omnes esse quadrantibus maiores. Neque rursum arcus quadrantibus minores cogunt omnes angulos esse acutos. Potest enim esse triangulum sphærale hãbens tres angulos obtusos, & duos tantùm arcus quadrantibus maiores: reliquo autem quadrante aut minore existente. Et productis dictis arcubus quadrante maioribus ad concursùm, fiet sphærale triangulum trium arcuum quadrantibus minorum habens duos tantùm acutos & reliquum obtusum angulum.

Prop. XIX.

Cuiuscunque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ vnus arcuum fuerit quadrante maior, duóque cæteri singuli quadrantibus minores; eiusdem nullus rectus erit angulus.

Corollarium.

Ex prædictis manifestum est, quod omne triangulum sphærale rectangulum aut habet tres quadrantes, trésque rectos angulos: aut duos quadrantes, totidémque rectos angulos: aut nullum quadrantem vnúmque tantummodo rectum angulum. Quando autem nullum habet quadrantem, tunc aut omnes arcus habet quadrante minores, aut duos quadrante maiores, & reliquum minorem. Præterea si habet omnes arcus quadrante minores, tunc habet duos angulos reliquos acutos. Si autem duos arcus quadrante maiores; tunc habet angulorum reliquorum vnum acutum, & reliquum obtusum, quando rectus angulus vni dictorum arcuum opponitur. Nam quando rectus angulus arcuum quadrante minorem respicit, habet duos reliquos angulos obtusos.

Prop. XX.

✠ Omnis trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ anguli tres coniuncti sunt maius quàm duo recti, minus verò quàm sex recti.

Prop. XXI.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magno-

rum in ſuperficie ſphæræ hahentium duos angulos rectos: duóſque angulos ex reliquis æquales non autem rectos: Item duos arcus rectis oppoſitos æquales: erunt & duo anguli reliqui æquales, & duo reliqui vnius arcus duobus reliquis alterius arcubus ſinguli ſingulis æquales.

Prop. XXII.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ habentium inuicem duos angulos æquales, quorum arcus, qui continent duos alios angulos, duo duobus, vnuſquiſque ſuo relatiuo, fuerint æquales: reliqui autem anguli, aut ambo acuti, aut ambo obtuſi: Erit & arcus reliquus vnius arcui reliquo alterius æqualis: & duo anguli reliqui duobus angulis reliquis alterius ſinguli ſingulis æquales.

Prop. XXIII.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum ſuper ſuperficiem ſphæræ, ſi æquantur duo anguli vnius duobus angulis alterius, vnuſquiſque ſuo relatiuo, & duo arcus ſuper quos ſunt anguli, ſunt inuicem æquales duo; tunc duo arcus reliqui vnius, ſunt æquales duobus arcubus reliquis alterius, quiſque ſuo relatiuo, & reliquus angulus reliquo angulo æqualis.

Prop. XXIIII.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ, quorum vnius duo anguli duobus alterius angulis ſinguli ſingulis ſunt æquales, Et duo arcus qui continent tertium angulum in vno, æquales duobus arcubus, qui continent tertium angulum in altero, quiſque ſuo relatiuo; Et tertius angulus in neutro eſt polus reliqui lateris, ſeu arcus: Erunt & reliqui arcus inter ſe æquales: & tertij anguli æquales.

Prop. XXV.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ, ſi æquales fuerint duo anguli vnius duobus angulis alterius, ſinguli ſingulis: & vnus arcuum ſubtenſorum in vno æqualis arcui relatiuo in altero: reliqui autem ſubtenſi in vtroque coniuncti minimè conficiant ſemicirculum; erunt & hi arcus ſubtenſi æquales: & reliqui arcus æquales: & reliqui anguli æquales.

Prop. XXVI.

Omnium duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ, ſi fuerint anguli vnius æquales angulis alterius, quiſque ſcilicet angulus ſuo relatiuo: erunt & æquis angulis ſubtenſi arcus æquales; relatiuos relatiuis videlicet conferendo.

2009 Ministério de Cultura

Corollarium.

Manifestum est igitur ex quinta huius, & ex praesenti, quod omnia duo sphæralia triangula, si fuerint ad inuicem æquilatera, erunt & inter se æquiangula: Contra, & si æquiangula supponantur ad inuicem, erunt & inter se æquilatera. Vnde patet quod multæ proprietates insunt sphæricis triangulis, quæ non dantur planis.

Prop. XXVII.

Cum duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ duo anguli vnius æquãtur duobus angulis alterius, singuli scilicet singulis: & angulus reliquus vnius maior angulo reliquo alterius: tunc arcus qui subtenditur angulo maiori, maior est eo, qui subtenditur angulo minori. Et si fuerit vnus duorum reliquorum arcuum vnius trianguli cum suo relatiuo trianguli alterius sumptus æqualis semicirculo: tunc arcus reliquus vnius æqualis erit arcui reliquo alterius. Et si maior fuerit semicirculo, tunc arcus reliquus trianguli, cuius angulus est minor, est maior arcu reliquo alterius. Et si minor fuerit semicirculo, tunc iterum ipse minor erit.

Prop. XXVIII.

Cum duorum triangulorum ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ arcus vnus vnius æquatur arcui alterius, anguli autem conterminitali arcui vnius collati ad angulos dicto alterius arcui conterminos fuerint, vnus maior & alter minor suo relatiuo, anguli verò reliqui arcubus æqualibus oppositi singuli nequaquam minores angulo recto: tunc arcus angulis maioribus subtensi maiores erunt arcubus, qui minores angulos respiciunt.

Prop. XXIX

In omni triangulo ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ, cuius vnus angulorum æquatur duobus angulis reliquis, pariter acceptis, cùm protrahitur ab angulo magno arcus circuli magni secans per æqualia oppositum arcum: tunc arcus protractus est æqualis dimidio arcus secti.

Prop. XXX.

Cuiusque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ vnus angulorum fuerit non minor angulo recto, & vnusquisque duorum arcuum ipsum continentium minor quadrante: erit & vterque reliquorum angulorum acutus.

Prop. XXXI.

Cuiusque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ vnus angulorum fuerit non minor angulo recto. Et quilibet duorum arcuum alium angulum continentium minor quadrante: Erit

& arcus reliquus minor quadrante, & quilibet reliquorum angulorum acutus.

Prop. XXXII.

Omnis trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ, ſi diuidantur duo ex arcubus ſinguli per æqualia: tunc arcus circuli magni interiectus diuiſionum notis eſt maior dimidio reliqui arcus.

Prop. XXXIII.

Cuiuſque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ fuerit vnus angulorum non minor recto, ſi diuidatur arcus ei angulo ſubtenſus per æqualia, & à puncto diuiſionis protrahantur duo arcus circulorum magnorum ad puncta media duorum reliquorum arcuum: quilibet factorum angulorum à protractis & ipſis reliquis extrinſecorum ad angulum, qui non minor eſt recto, minor erit, quàm ipſe angulus non minor recto.

Prop. XXXIV.

Cuiuſque trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ fuerit vnus angulorum non minor recto, reliqui autem aut ambo obtuſi, aut ambo recti, aut ambo acuti: Arcus circuli magni interiectus punctis per æqualia diuidentibus arcus ſubtenſos dictis reliquis angulis faciet cum diuiſis arcubus extrinſecos angulos prædictis, quemque ſuo oppoſito minorem.

Prop. XXXV.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ duo arcus ſimul ſumpti fuerint æquales ſemicirculo, & angulum ſub ipſis contentum per æqualia ſecuerit arcus circuli magni, ſecabit & per æqualia reliquum trianguli arcum. Contra ſi arcus circuli magni ſecuerit per æqualia reliquum, ſecabit & per æqualia oppoſitum angulum; Et ſecans arcus eſt circuli quadrans.

Prop. XXXVI.

Quod ſi duo arcus trianguli inæquales ſimul ſemicirculum faciant, angulumque ſub illis contentum & arcum reliquum ſecans arcus circuli magni quadrans fuerit; tunc tam angulus, quàm arcus per æqualia ſecatur.

Prop. XXXVII.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ duo arcus ſimul fuerint æquales ſemicirculo, & ab angulo ſub eis contento deſcenderint ad tertium latus complexi cum illis æquos angulos duo alij arcus, ſeparabunt ex tertio latere duos arcus æquales. Contra, ſi arcus deſcendentes ſeparauerint ex arcu tertio duos arcus

æquales, complectentur cum primis duos angulos æquales, & simul sumpti semicirculo æquales erunt.

Prop. XXXVIII.

Quod si trianguli duo arcus diuersi & simul æquales semicirculo fuerint, duoque alij ab eorum angulo descendentes simul semicirculum perfecerint, tunc descendentes cum arcubus lateralibus continebunt angulos æquales; & separabunt ex arcu reliquo trianguli arcus æquos.

Prop. XXXIX.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ duo arcus simul sumpti fuerint minus semicirculo, & angulum sub ipsis comprehensum per æqua diuiserit arcus, siue per medium secuerit arcum angulo subtensum, tunc diuidens siue secans arcus minor est quadrante.

Prop. XL.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ duo arcus fuerint diuersi, & simul sumpti semicirculo minus: tunc secto per medium angulo sub illis comprehenso: arcus secans diuidet reliquum trianguli arcum per inæqualia: nam maior portio erit, quæ contermina arcui maiori ex arcubus primis. Contra verò si secans arcus per æqualia diuiserit arcum trianguli dictum: tunc secabit angulum prædictum inæqualiter: eritque maior portio anguli adhærens arcui minori ex arcubus primis, trianguli.

Prop. XLI.

Item si, stantibus cæteris, arcus dictus trianguli sphæralis per medium secetur, tunc arcus reliqui trianguli simul sumpti sunt maius duplo arcus secantis.

Prop XLII.

Item si iisdem subiectis, angulus prædictus per æqualia secetur, adhuc & arcus angulum complexi coniuncti sunt maius quàm duplum arcus secantis.

Prop. XLIII.

Quod, si iisdem suppositis, duo arcus angulum dictum complexi sint simul iuncti æquales duplo arcus secantis: tunc tam angulus dictus, quàm ei subtensus arcus per inæqualia secabitur: & maior portio tam anguli, quàm arcus erit contermina minori ex arcubus angulum diuisum complectentibus: minor verò maiori.

Prop. XLIV.

Iisdem suppositis: arcuque secante per medium dictam basim trian-

guli, & à quolibet puncto arcus secantis ductis duobus arcubus ad terminos basis, Arcus ducti cum lateribus trianguli reliquis facient angulos inæquales: eritque angulus maior cum latere, minori: minor verò cum maiore.

Prop. XLV.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ duo arcus fuerint inæquales: & eorum aggregatum minus semicirculo: tunc, cùm separabuntur à duabus extremitatibus arcus reliqui duæ portiones æquales: duo arcus ducti à punctis diuisionum ad angulum oppositum, abscindent ex eo angulos duos inæquales: Eritque arcus maior apud arcum trianguli minorem: minor autem apud minorem: Et duo arcus ducti coniuncti minus quàm aggregatum arcuum trianguli prædictum.

Prop. XLVI.

Quod si arcus ducti abscindant angulos æquales: tunc ipsi separabunt ex arcu subtenso arcus inæquales, quorum maior contiguus erit arcui maiori trianguli: & minor minori: Et arcus ducti compositi minus item erunt aggregato arcuum trianguli conterminorum.

Prop. XLVII.

Iisdem subiectis: si duorum arcuum ductorum congeries æqualis ponatur aggregato duorum arcuum trianguli conterminorum: tunc arcus ducti facient cum arcubus trianguli angulos inæquales: & separabunt ex arcu reliquo trianguli arcus inæquales: eritque portio maior tam anguli quàm arcus apud arcum trianguli minorem: minor verò apud maiorem.

MENELAI SPHÆRICORVM
EX TRADITIONE MAVROLYCI.
LIBER SECVNDVS.

Propositio prima.

IN omni triangulo ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphærę constituto; cuius duo arcus coniuncti sunt minus semicirculo: reliquus arcus habet polos extra trianguli ambitum.

Projeto Mapoteca do Cultura

Prop. II.

Arcus autem circuli magni ab angulo, quem continent duo arcus minores semicirculo, ad reliquum latus descendens omnino minor est aut vtróque aut alterutro collateralium arcuum.

Prop. III.

Quod si duorum arcuum trianguli, quorum summa semicirculum non attingit, maior non excedat quadrantem, cum sunt inæquales: Tunc si à quolibet puncto reliqui arcus ducatur arcus circuli magni faciens cum ipso arcu angulum æqualem angulo trianguli vtrilibet super eundem arcum intrinsecus opposito: ductus arcus secabit arcum trianguli, qui prædicto angulo subtenditur.

Prop. IV.

Omnis trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ, cuius duo arcus coniuncti sunt minus semicirculo: arcus reliquus maior est quàm arcus sui circuli similis ei arcui circuli minoris sibi æquidistantis, qui inter primos trianguli arcus vbicunque intercipitur.

Prop. V.

Iisdem suppositis: possibile erit à quolibet puncto vnius arcuum, quorum summa minor est semicirculo: ducere arcum circuli magni ad arcum tertium trianguli, ita vt arcus ductus faciat cum arcu tertio angulum æqualem angulo sibi intrinseco, quem subtendit latus trianguli, in quo signatum fuit punctum.

Prop. VI.

Quod si arcuum, quorum summa minor est semicirculo, cum inæquales sunt, longior non excedat quadrantem, possibile erit à quolibet puncto intra triangulum signato ducere arcum circuli magni: qui cum arcu tertio faciat angulum æqualem angulo sibi intrinseco trianguli, secétque productus arcum tali angulo subtensum.

Prop. VII.

Omnis trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ si fuerit vnus angulorum non maior angulo recto: & duo arcus ipsum continentes minus semicirculo. Et maior eorum (inæquales sunt) non maior quadrante: Tunc, cum signabitur punctum intra triangulum: & protrahentur ab eo ad arcum subtensum angulo, qui non est maior recto: duo arcus circulorum magnorum continentes cum eo duos angulos æquales duobus anguli trianguli reliquis extrinsecos intrinsecis: & producentur in diuersas partes, vt concurrãt cancellatim arcubus reliquis, trianguli, facti quadrilateri vtrumque latus circa angulum non maiorem recto, minus est latere sibi oppositio circa punctum signatum.

Prop. VIII.

Iisdem subiectis, si punctum signatum ponatur in tertio arcu trianguli, ductis arcubus ab ipso puncto vt prius, eadem sequentur.

Prop. IX.

Si trianguli ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ fuerint duo crura æqualia quadrantibus minora: & angulus sub eis contentus non maior recto: tunc cum separabuntur ex vno duorum crurium duo arcus æquales non continui; à quorum terminis ducantur ad basim arcus circulorum magnorum facientes cum basi angulos æquales angulo trianguli ad basim eis intrinseco, arcus ducti separabunt ex basi arcus diuersos: quorum maior erit ille, qui vicinior erit cruri trianguli non diuiso, cuius cruris cum minimo ex ductis congeries æqualis erit aggregato duorum mediorum.

Prop. X.

Quod si ponantur arcus de basi per arcus ductos separati æquales inuicem, tunc arcuum de crure separatorum minor erit, qui continuatur cruri non diuiso. Et summa extremorum minor, quàm summa mediorum arcuum ductorum.

Verùm huius propositionis prima pars posset ostendi ex præcedenti, ex destructione contrariorum astruendo propositum.

Prop. XI.

Item si arcus de crure separati ponantur æquales & continui: tunc arcuum de basi ab eisdem arcubus ductis separatorum maior erit, qui adhæret cruri non diuiso. Cuius cruris cum minore arcuum ductorum congeries æqualis erit duplo arcus ducti medij.

Prop. XII.

Rursum si ponantur arcus de basi per arcus ductos separati continui & æquales: tunc arcuum de crure separatorum minor erit, qui contiguus est cruri non diuiso: & congeries extremorum minor erit duplo arcus ducti medij.

Prop, XIII.

Adhuc, si arcus de crure separati sint dimidia totius cruris, arcu ducto medio vt dictum est, ad basim: tunc basis portio, quæ cruri non diuiso adhæret, maior est, quàm reliqua. Et arcus ductus est dimidium cruris vtriuslibet.

Prop. XIV.

Demum si basis per medium secetur, arcus per punctum diuisionis, vt dictum est, ductus crus trianguli per inæqualia secabit. Et minor portio in diuiso cruri contigua erit. Et arcus ductus maior erit dimidio cruris triangularis.

Prop. XV.

Prop. XV.

Item, si arcus de crure separati sint æquales, disiuncti, & ad terminos cruris finiti: arcus, vt dictũ est, ducti per medios terminos arcuum separatorum, separabunt ex basi portiones inæquales, quarum maior erit, quæ adhæret cruri non diuiso. Et crus ipsum æquale erit aggregato duorum arcuum ductorum.

Prop. XVI.

Contra, si ponantur arcus de basi separati æquales, discreti, ac cæterum cum basi contermini: arcus ducti abscindent ex crure portiones diuersas; quarum minor erit apud crus indiuisum. Et crus ipsum tunc minus aggregato arcuum ductorum.

Prop. XVII.

Si trianguli ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ vnus angulorum fuerit non maior recto: & duo crura ipsum continentia diuersa, & maius non excedat quadrantem: tunc, cùm separabuntur ex basi duo arcus æquales non continui: à quorum terminis ducantur arcus circulorum magnorum facientes cum basi angulos æquales angulo trianguli apud basim eis intrinseco sub basi & vno crurum contento, arcus ducti separabunt ex reliquo crure trianguli arcus diuersos: quorum minor erit, qui contiguus est cruri non diuiso. Cuius cruris cum remotissimo ex arcubus ductis aggregatio minor erit congerie mediorum.

Prop. XVIII.

Quod si ponantur arcus de basi separati æquales & continui: tunc portionum de crure trianguli per arcus ductos, vt dictum est, separatarum minor erit, quæ apud crus indiuisum. Cuius cruris cum minore arcuum ductorum congeries minor erit duplo arcus medij.

Prop. XIX.

Item, secta per medium basi, arcus per punctum diuisionis ductus, vt dictum est, inæqualiter secabit crus trianguli: minorque portio apud crus indiuisum. Et ductus arcus maior dimidio eiusdem cruris.

Prop. XX.

Denique si arcus de basi separati sint æquales, disiuncti, & cùm terminis basis finiti, arcus ducti separabunt ex crure arcus inæquales, quorum minor apud crus indiuisum. Et crus ipsum minus composito duorum arcuum ductorum.

Prop. XXI.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ vnus angulorum fuerit non maior recto: & duo crura ipsum cõtinentia diuersa: & maius non excedat quadrantem: tunc cùm separa-

buntur ex vno crurum duo arcus æquales non continui, à quorum terminis ducantur arcus circulorum magnorum facientes cum basi angulos æquales angulo eis extrinseco, quem continet basis cum reliquo crure, arcus ducti separabunt ex basi portiones diuersas, quarum maior erit apud crus indiuisum.

Prop. XXII.

Iisdem suppositis: arcubus, vt dictum est, dispositis ac ductis: arcubus tamen æqualibus de crure maiori separatis, ostendendum est, quod cruris reliqui, minimique ductorum arcuum congeries minor est aggregato duorum arcuum mediorum.

Prop. XXIII.

Quod si in prædicto triangulo arcus æquales ex vtrolibet crure separati continui fuerint: arcus, vt dictum est, per illorum terminos ducti separabunt ex basi portiones diuersas, quarum maior apud crus indiuisum.

Prop. XXIV.

Et si arcus æquales continui de crure maiori separentur; tunc reliqui cruris cum maiore ductorum aggregatum minus est quàm duplum arcus medij.

Prop. XXV.

In eodem triangulo, si arcus separati fuerint vtriusllibet cruris dimidia: tunc arcus per diuisionis notam, vt diximus, ductus basim per inæqualia secabit: & maior portio apud crus reliquum.

Prop. XXVI.

Et si crus maius sic dimidiatum ponatur; tunc arcus ductus maior est dimidio cruris indiuisi.

Prop. XXVII.

Demum in tali triangulo, si arcus separati æquales ex vtrolibet crure discreti quidem, sed eosdem limites vtrinque cum crure habuerint, tunc arcus, vt dictum est, per terminos medios ducti separabunt de basi diuersas portiones, quarum maior cruri non diuiso contermina est.

Prop. XXVIII.

Et si arcus sic separati sint in crure maiori trianguli: tunc crus indiuisum minus est aggregato duorum arcuum ductorum.

Prop. XXIX.

Si trianguli ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ vnus angulorum fuerit non maior recto: Et duo crura ipsum angulum complexa inæqualia & maius non excedat quartam circuli: tunc, cùm ab vno crurum ducentur ad basim tres arcus, qui faciant cum basi an-

gulos æquales angulo ſibi intrinſeco, quem continet baſis cum reliquo crure: fueritque huius cruris cum extremo ductorum arcuum congeries æqualis aggregato duorum mediorum: arcus ducti ſeparabunt ex baſi arcus diuerſos, quorum maior erit, qui adhæret cruri non diuiſo.

Prop. XXX.

Quod ſi iiſdem ſuppoſitis, arcus prædicto modo ab vno crurum ducti duo fuerint, ita vt cruris reliqui cum minore ductorum congeries æqualis ſit duplo arcus medij: arcus ducti ſimiliter diuerſas de baſi portiones ſeparabunt: eritque maior earum apud crus indiuiſum.

Prop. XXXI.

Item, ſi ſtantibus iiſdem, arcus vnus ab vno crurum prædicto modo ducatur, qui cruris reliqui ſit dimidius: Et ductus arcus totam baſim in duas diuerſas diuidet portiones: quarum maior apud crus indiuiſum.

Prop. XXXII.

Demum in eodem triangulo, ſi arcus prædicto modo ab vno crure ducti duo fuerint, quorum aggregato æquale ſit crus reliquum; arcus item ducti diuerſas ex baſi portiones ſeparabunt; quarum maior apud crus indiuiſum.

Prop. XXXIII.

Si trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ vnus angulus fuerit non maior recto: Et duo crura ipſum continentia diuerſa, & longius non maius quadrante. Et ab ipſo crure maiori ducantur ad baſim tres arcus ita vt faciant cum baſi angulos æquales angulo, quem crus reliquum & baſis continent, ſibi intrinſeco. Et huius cruris cum extremo arcuum ductorum ſumma fuerit æqualis ſummæ duorum mediorum: tunc portiones de crure maiori per arcus ductos ſeparatæ inæquales erunt: & earum maior, quę apud crus breuius.

Prop. XXXIV.

Quod ſi iiſdem omnibus ſuppoſitis, arcus à crure maiori ad baſim, vt dictum eſt, ducti duo fuerint, ita vt reliqui cruris cum minore ductorum aggregatum æquale ſit duplo maioris ducti: tunc & portionum de crure longiori per arcus ductos ſeparatarum maior erit apud crus breuius.

Prop. XXXV.

Adhuc iiſdem ſubiectis, ſi arcus dumtaxat dicto modo ductus à crure magno ad baſim dimidiũ fuerit cruris reliqui, tunc portionũ in crure longiori ab arcu ducto factarũ maior erit contigua breuiori.

Prop. XXXVI.

Denique ſuppoſitis iiſdem, ſi arcus à crure longiori ad baſim eodem modo ducti duo fuerint, ita vt reliquum crus æquale ſit aggregato arcuum ductorum: tunc & portionum in crure magno ab arcubus ductis ſegregatarum ad extrema cruris, maior eſt cum crure minori.

Prop. XXXVII.

Si trianguli ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ vnus ex angulis fuerit non maior recto: & duo crura ipſum complexa inæqualia: quorum maius non excedat quadrantem, tunc cùm ſeparabuntur ex crure breuiori duo arcus æquales non continui, à quorum terminis ducantur arcus circulorum magnorum, qui faciant cum baſi angulos æquales angulo eis intrinſeco, quem continent baſis cũ reliquo crure: Huius cruris & minimi arcuum ductorum aggregatum maius erit aggregato duorum arcuum mediorum. Quod ſi huiuſmodi aggregata ſupponantur æqualia: tunc portiones de crure breui ſeparatæ inæquales erunt: & earum minor, quæ contigua longiori cruri.

Prop. XXXVIII.

Iiſdem ſuppoſitis, ſi arcus æquales de crure breui ſeparati continui fuerint, ductis modo prædicto per eorum terminos duobus arcubus, tunc aggregatum cruris longi, & arcus ducti minoris maius erit duplo arcus medij. Quod ſi aggregatum ductum tali duplo æquale fuerit, tunc portionum de crure breui per arcus ductos ſeparatarum minor erit apud crus longius.

Prop. XXXIX.

Et ſi in eodem triangulo, per cruris breuis per medium ſecti notam arcus, ſicut dictum eſt, ducatur: Tunc arcus ductus minor erit dimidio cruris longi. Quod ſi arcus ductus prædicto dimidio æqualis ponatur, per inæqualia diuidet crus breue, & minor portio apud crus longum.

Prop. XL.

In memorato demum triangulo, ſi arcus de crure paruo ſeparati æquales diſiuncti terminentur ad extrema cruris, ductis iam per terminos eorum medios duobus, qualiter dictum eſt, arcubus: Tunc crus magnum maius erit aggregato duorum arcuum ductorũ. Quod ſi crus magnum tali aggregato æquale extiterit: Tunc portiones de crure paruo per arcus ductos ſeparatæ inæquales erunt: Et earum minor erit cruri magno contigua.

Prop. XLI.

Poſt hæc, demonſtrandum eſt quod ſi in eo, quale in præmiſſis ſup-

2009 Ministerio de Cultura

positum est, triangulo arcus separati, quos diuersos esse constitit, supponantur æquales: tunc talis æqualitas diuersificabit aliquem angulorum ad basim, qui omnes æquales antea supponebantur.

Prop. XLII.

Cum se inuicem secant duo circuli magni in superficie sphæræ & separantur ex vno eorum duo arcus æquales vtrinque à puncto sectionis: & à polo vtriuslibet eorum descendunt per extremitates arcuum separatorum circuli magni: tunc hi separant ex reliquo circulorum se secantium arcus æquales, & eorum portiones secantibus se inclusæ sunt æquales.

Prop. XLIII.

Quod si circuli descendentes non à polo quidem descendant, sed contingant parallelum quempiam circuli, de quo separantur, arcus æquales: tunc ijdem separabunt etiam de reliquo secantium hinc & inde peripherias æquas. Et ipsorum descendentium portiones circulis secantibus interceptę adhuc æquales erunt.

Prop. XLIIII.

Item si circuli descendentes tangant parallelum non eius, de quo separantur arcus æquales, sed alterius secantis: hac tamen conditione, vt portionum secantibus inclusarum aut neutra, aut vtraque sit maior quadrante: Tunc non minus ipsi descendentes de dicto secante peripherias æquas separabunt: Et ipsæ descendentium portiones secantibus inclusę adhuc æquales arguentur.

Prop. XLV.

Si autem arcus ex vtrolibet secantium separati æquales & ęqualiter hinc & inde à sectione fuerint remoti: Tunc quatuor arcus maiores siue à polo vtriuslibet se secantium, siue à contactibus paralleli vnius eorum cum prædictis conditionibus descendentes per arcuum separatorum terminos: separabunt & ex reliquo secantium peripherias æquales.

Prop. XLVI.

Si in superficie sphæræ circulus magnus fuerit inclinatus super circulum magnum ex numero ęquidistantium seu parallelorum tangens vnum ex parallelis: per puncta verò sectionum inclinati circuli & parallelorum descendant circuli magni siue à polo parallelorum, siue à contactibus vnius eorum minoris prædicto, ad vnam inclinationem: Tunc si arcus circuli inclinati siue continui, siue disiuncti inter parallelos fuerint æquales, portionum cuiuslibet circulorum descendentium inter eosdem parallelos interceptarum maior erit, quæ propinquior circulo magno ex parallelis, portionum verò circuli magni

ex parallelis inter circulos descendentes per terminos dictorum arcuum æqualium inclusarum maior erit, quæ remotior à sectione circuli inclinati circulique magni ex parallelis.

Et notandum quod id, quod demonstratum est de portionibus vnius descendentium circulorum, idem sequitur de portionibus cuiuslibet alterius ex descendentibus: Nam talium descendentium duæ portiones iisdem parallelis interiectæ, per 14. *vel* 17. 2. *sphæricorum Theodosii, sunt inæquales. Item quod ostensum est de portionibus circuli magni ex parallelis: idem sequitur de portionibus cuiuslibet ex iisdem parallelis: Nam per easdem Theod. propos. portiones parallelorum iisdem descendentibus, quales dicti sunt, circulis intercluſæ sunt similes.*

Prop. XLVII.

Quod si vnius circulorum descendentium arcus parallelis interpositi ponantur æquales: Tunc portionum de circulo inclinato iisdem parallelis intercidentium maior erit, quæ à dicta sectione remotior: portionum quoque circuli maioris ex parallelis inter circulos descendentes cadentium, maior indidem distantior.

Prop. XLVIII.

Item, si arcus circuli maioris ex parallelis circulis descendentibus interiecti ponantur æquales: Tunc portionum de circulo inclinato inter eosdem circulos descendentes cadentium maior erit, quæ dictæ sectioni vicinior: portionum autem cuiuslibet descendentes inter parallelos, qui per terminos portionum inclinati ducuntur, acceptarum maior erit, quæ propinquior circulo magno ex parallelis.

Quod si per puncta sectionum extremi circuli descendentis & parallelorum descendant circuli magni tangentes eum parallelum, quem tangit circulus inclinatus, & loco priorum descendentium sumantur, nihilominus eadem omnia demonstrabuntur.

MENELAI SPHÆRICORVM
LIBER TERTIVS.

Propositio prima.

CVm fuerint in superficie sphæræ quatuor arcus circulorum singuli semicirculo minores: duo quidem ab angulo vno descentes duoque à descendentium terminis se vicissim secantes, & alternatim ad descendentes reflexi: tunc ratio sinus partis inferæ arcus vnius des-

cendentium ad ſinum partis eiuſdem ſupernæ componetur ex duabus quarum vna eſt ratio ſinus partis ſuperæ eiuſdem: altera eſt ratio ſinus partis inferæ alterius deſcendentis ad ſinum totius eiuſdem deſcendentis.

Lemma I.

Si à terminis duarum linearum rectarum ab angulo vno deſcendentium duæ rectæ ſe viciſſim ſecantes ad deſcendentes reflectantur: tunc ratio inferioris partis vnius deſcendentium ad partem eius ſuperiorem componetur ex duabus: quarum vna eſt ratio partis inferioris reflexæ à termino eiuſdem deſcendentis ad partem eius ſuperiorem: altera eſt ratio partis inferioris reliquæ deſcendentis ad totam ipſam deſcendentem.

Lemma II.

Item iiſdem lineis ſuppoſitis ratio vnius deſcendentis ad partem eius ſuperiorem componetur ex duabus: quarum vna eſt ratio reflexæ à termino dictæ deſcendentis ad partem eius ſuperiorem: altera eſt ratio partis inferioris reliquæ reflexæ ad totam ipſam reflexam.

Lemma III.

Si à centro circuli recta linea exiens arcum quempiam eiuſque chordam vtcumque ſecet: chordæ ſegmenta erunt ſinibus portionum arcus proportionalia.

Lemma IV.

✠ *Si à puncto quopiam extra circulum duæ rectæ lineæ ducantur circulum ſecantes, vna quidem per centrum; altera præter centrum: Ratio eius, quæ præter centrum ad partem ſui extrinſecam eſt ſicut ratio ſinus arcus compoſiti ex arcu abſciſſo, ab ea quæ per centrum & ex arcu intercepto lineis ad ſinum arcus intercepti.*

Propoſitio ſecunda ex Ptolomæi magna conſtructione liber I.

Iiſdem ſuppoſitis, ratio ſinus arcuum deſcendentium ad ſinum partis ſupernæ eiuſdem arcus componetur ex duabus, quarum vna eſt ratio ſinus arcus reflexi à termino dicti deſcendentis ad ſinum partis ſupernæ talis reflexi: altera eſt ratio ſinus partis inferę alterius reflexi ad ſinum totius eiuſdem reflexi.

Lemma I.

✠ *Duorum arcuum ſemicirculum perficientium eundem eſſe ſinum.*

Lemma II.

✠ *Si chorda cuiuſpiam arcus æquidiſtet diametro, ſinus inter diametrũ & chordã intercepti æqualis erit ſinui arcus ex prædictis arcubus compoſiti.*

Lemma III.

✠ *Si fuerint tres rectæ, quarum binæ quælibet sint in vno plano, quamuis non omnes in vno: Et ex ijsdem duæ tantum æquidistent: tunc & reliquæ ijsdem æquidistans erit.*

Lemma IV. habens 18. modos.

I. *Si fuerint sex quantitates, quarum ratio primæ ad secundam componitur ex rationibus tertiæ ad quartam, & quintæ ad sextam.*

II. *Tunc & ratio primæ ad secundam componetur ex rationibus tertiæ ad sextam, & quintæ ad quartam.*

III. *Item ratio primæ ad tertiam componetur ex rationibus secundæ ad quartam, & quintæ ad sextam.*

IV. *Item ratio primæ ad tertiam componetur ex rationibus secundæ ad sextam, & quintæ ad quartam.*

V. *Item ratio primæ ad quintam componetur ex rationibus secundæ ad sextam, & tertiæ ad quartam.*

VI. *Item ratio primæ ad quintam componetur ex rationibus secundæ ad quartam, & tertiæ ad sextam.*

VII. *Item ratio secundæ ad quartam componetur ex rationibus primæ ad tertiam, & sextæ ad quintam.*

VIII. *Item ratio secundæ ad quartam componetur ex rationibus primæ ad quintam, & sextæ ad tertiam.*

IX. *Item ratio secundæ ad sextam componetur ex rationibus primæ ad tertiam, & quartæ ad quintam.*

X. *Item ratio secundæ ad sextam ex rationibus primæ ad quintam, & quartæ ad tertiam.*

XI. *Item ratio tertiæ ad quintam componetur ex rationibus primæ ad secundam, & sextæ ad quintam.*

XII. *Item ratio tertiæ ad quartam componetur ex rationibus primæ ad quintam, & sextæ ad secundam.*

XIII. *Item ratio tertiæ ad sextam componetur ex rationibus primæ ad secundam, & quartæ ad quintam.*

XIV. *Item ratio tertiæ ad sextam componetur ex rationibus primæ ad quintam, & quartæ ad secundam.*

XV. *Item ratio quartæ ad quintam componetur ex rationibus secundæ ad primam, & tertiæ ad sextam.*

XVI. *Item ratio quartæ ad quintam componetur ex rationibus secundæ ad sextam, & tertiæ ad primam.*

XVII. *Item ratio quintæ ad sextam componetur ex rationibus primæ ad secundam,*

Ministério de Cultura

ſecundam, & quartæ ad tertiam.

XVIII. *Item ratio quintæ ad ſextam componetur ex rationibus primæ ad tertiam, & quartæ ad ſecundam.*

Lemma Tebitij.

Si ab alterutro duorum circulorum maiorum ſe inuicem in ſuperficie ſphæræ ſecantium ſeparentur duo arcus ab vtralibet ſectionum incepti: à quorum terminis ducantur rectæ perpendiculares ad diametrum ſphæræ, quæ communis diameter & ſectio circulorum eſt: Itemque rectæ perpendiculares ad planum reliqui circuli: tunc illæ perpendiculares ad diametrum his perpendicularibus ad planum circuli proportionales erunt.

Si fuerint ſex lineæ, in quibus ratio primæ ad ſecundam componatur ex ratione tertiæ ad quartam, & ex ratione quintæ ad ſextam, tunc ſolidum ſub prima, quarta & ſexta contentum æquale erit ſolido ſub ſecunda, & tertia & quinta lineis comprehenſo.

Contra, ſi ſolidum ſub prima, quarta & ſexta lineis contentum æquale fuerit ſolido, quod à ſecunda, & tertia & quinta lineis producitur, tunc ratio primæ ad ſecundam compoſita erit ex rationibus tertiæ ad quartam, & quintæ ad ſextam.

Prop. III.

Si duo triangula ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ habeant duos angulos æquales, vel iunctim duobus rectis æquales. duoſque angulos ex reliquis vel inter ſe æquales, vel ſimul aggregatos duobus rectis æquales: tunc ſinus arcuum his angulis oppoſitorum erunt ſinibus arcuum illis angulos ſubtendentium proportionales.

Prop. IV.

Quod ſi triangulorum ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ duo anguli fuerint æquales, vel iunctim duobus rectis æquales: atque arcuum circa duos angulos ſinus ſint proportionales: tunc tertij eorum anguli aut inuicem æquales erunt, aut ſimul ſumpti duobus rectis æquales.

Prop. V.

Si duo triangula ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ habeant duos angulos rectos; duoſque ex reliquis acutos æquales: tunc ratio ſinus arcus in primo triangulo reſpicientis acutum angulum ad ſinum arcus, qui cum eo rectum continet angulum, componetur ex duabus, quarum vna eſt ratio ſinus arcus alterius trianguli acutum angulum ſubtendentis ad ſinum arcus, qui cum eo

ad rectum concurrit angulum: altera est ratio sinus complementi arcus primi trianguli respicientis acutum ad sinum complementi arcus in altero triangulo acutum angulum subtendentis.

Prop. VI.

Si duo triangula ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ habuerint inter se duos angulos æquales, duosque alios inæquales, nullum tamen ex his rectum: ab angulis autem reliquis ceciderint arcus perpendiculares ad bases: tunc sinus portionum basis vnius trianguli erunt proportionales sinibus portionum basis alterius trianguli iuxta ordinem angulorum æqualium.

Prop. VII.

In omni triangulo ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ constituto, cuius vnus angulorum fuerit rectus ac cæteri acuti, sinus arcus compositi ex arcubus continentibus angulum vtrumlibet ex acutis ad sinum arcus differentiæ eorumdem arcuum eam habent rationem, quam seruat aggregatum ex sinu toto, sinuque complementi prædicti anguli acuti ad differentiam eorumdem sinuum.

Prop. VIII.

Si duo triangula ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ habuerint inter se duos angulos rectos, duosque acutos æquales, & duos cæteros acutos: tunc sinus arcus aggregati ex arcubus vnum acutorum æqualium continentibus ad sinum arcus differentiæ eorumdem arcuum est sicut sinus aggregati ex arcubus reliquum acutorum æqualium circumstantibus, ad sinum arcus excessus eorumdem.

Prop. X.

Contra, si in talibus triangulis sinus arcuum aggregatorum ex dictis arcubus proportionales fuerint sinibus differentiarum: tunc anguli acuti sub dictis arcubus contenti æquales erunt.

Lemma.

Si duæ quantitates duabus quantitatibus proportionales fuerint, erunt & aggregata differentijs proportionalia. Quod si aggregatis differentijs proportionalia fuerint, & duæ quantitates duabus quantitatibus proportionales erunt.

Prop. X.

Si ab vno angulorum trianguli sphæralis arcus descendat angulum illum per æqualia secans vsque ad basim, sinus arcuum, qui angulum continent, erunt sinibus portionum basis proportionales.

Prop. XI.

Quod si sinus arcuum angulum quempiam sphæralis trianguli con-

rientium sint proportionales sinibus portionum basis separatarum per arcuum ab angulo dicto descendentem, tunc arcus descendens arcum ipsum per æqualia diuidit.

Prop. XII.

Si fuerint duo triangula ex arcubus circulorum magnorum in superficie sphæræ: quorum vnius duo anguli ad basim æquales sint duobus alterius angulis ad basim, singuli singulis: siue bini coniuncti duobus rectis æquales: atque vnus ex reliquis arcubus vnius trianguli vni arcui ex reliquis alterius trianguli æqualis, sintque arcus ipsi non relatiuis angulis oppositi: Tunc quadratum quod ex sinu vnius dictorum arcuum æqualium, æquum est ei, quod ex sinibus reliquorum laterum describitur, rectangulo.

Prop. XIII.

Quod si triangulorum sphæralium vnius anguli ad basim angulis ad basim alterius singuli singulis fuerint æquales. Et quadratum, quod ex sinu vnius reliquorum arcuum vtriuslibet triangulorum æquale sit rectãgulo, quod fit ex sinu reliqui arcus dicti trianguli in sinum arcus in altero triangulo non æqualem angulum subtendentis: Tunc & reliquus arcus huius trianguli æqualis erit arcui illius trianguli, cuius de sinu quadratum capiebatur.

Prop XIV.

Si trianguli sphæralis angulum quempiam arcus per æqualia secet: duóque arcus descendentes ex dicto angulo æquales hinc inde separent angulos, Tunc rectangula sub sinibus laterum trianguli angulum dictum complexorum, sinibusque collateralium arcuum descendentium contenta, sunt proportionalia rectangulis, quæ sub sinibus portionum basis ab arcu secante ad dicta latera & arcus receptarum continentur eodem ordine susceptis.

Prop. XV.

Quod si angulum trianguli sphæralis arcus quidam per æqualia secet: duóque arcus ab eodem angulo ita descendant, vt rectangula rectangulis quo dictum est ordine sint proportionalia, tunc & anguli ab arcubus descendentibus separati æquales erunt.

Prop. XVI.

Si ab angulo trianguli sphæralis ad basim descendant duo arcus complexi cum lateribus conterminis angulos æquales, hac tamen conditione, vt quos angulos faciunt arcus descendentes cum vno laterum trianguli eosdem, hoc est æquales, sed permutatim collatos suscipere possint deorsum producti cum arcubus ab extremo reliqui lateris venientibus. Tunc quadrata, quæ ex sinibus laterum, propor-

tionalia sunt rectangulis, quæ sub sinibus portionum basis ab ipsius lateralibus ad arcus descendentes receptarum continentur, eodem ordine sumptis.

Prop. XVII.

Quod si quadrata prædicta memoratis rectangulis proportionalia ponantur, cum præfata conditione, vt arcus descendentes inferius producti suscipiant cum per extremum vnius laterum trianguli ductis angulos æquales singuli singulis ijs, quos continent supernè cum reliquo latere trianguli, Tunc arcus descendentes cum lateribus æquales complectuntur angulos.

Prop. XVIII.

Si ab angulo recto trianguli sphæralis rectanguli descendant duo arcus ad basim, vnus intra triangulum, alter extra, facientes cum latere trianguli interposito angulos æquales: Tunc ratio sinus arcus compositi ex basi & ex arcu sibi in continuum adiecto vsque ad descendentem ad sinum ipsius arcus adiecti est sicut ratio sinus portionis basis interceptæ à reliquo latere trianguli & arcu intrinsecus descendente ad sinum reliquæ portionis basis.

Prop. XIX.

Quod si ratio sinus arcus compositi ex basi & arcu adiecto vsque ad descendentem exteriorem ad sinum ipsius arcus adiecti fuerit sicut ratio sinus portionis basis interceptæ à reliquo latere trianguli, & descendente inferiori ad sinum reliquæ portionis basis: tunc arcus descendentes cum latere trianguli interposito æquos faciunt angulos.

Prop. XX.

Quod si anguli prædicti, quos faciunt arcus descendentes cum latere trianguli interposito ponantur æquales: fueritque ratio sinus arcus compositi ex basi & arcu adiecto vsque ad descendentem exteriorem ad sinum ipsius adiecti, sicut ratio sinus portionis basi interceptæ à reliquo latere trianguli, & arcu intus descendente ad sinum reliquæ portionis basis: tunc angulus trianguli, à quo descendunt arcus, rectus est.

Prop. XXI.

Si duos angulos trianguli sphæralis duo arcus singuli singulos per medium secent: tunc, qui per reliquum angulum & secantium concursum producitur, arcus ipsum quoque reliquum angulum per æqualia secabit.

Prop. XXII.

Si à duobus angulis trianguli sphæralis duo arcus ad subtensa latera perpendiculares progrediantur: tunc, qui à reliquo angulo per ipsorum perpendicularium coincidentiam ducetur, arcus reliquo etiam lateri perpendicularis erit.

Lemma I.

Quadrilaterum rectilineum, cuius duo anguli oppositi simul sumpti sunt duobus rectis æquales, est à circulo scircumscriptibile.

Lemma II.

Si fuerint duo quadrilatera rectilinea circuli inscripta: quorum vnus angulus vnius fuerit æqualis vni angulo alterius: Et latera circum illos angulos proportionalia: itemque ipsi æquales anguli per quadrilaterorum diametros diuisi in portiones singulas singulis æquales: tunc similia ad inuicem erunt quadrilatera.

Lemma III.

Cum exeunt à duobus angulis trianguli rectilinei duæ rectæ perpendiculares ad subtensa, latera tunc quæ reliquo angulo per sectionem perpendicularium rectæ producitur, reliquo etiam lateri perpendicularis est.

Lemma IV.

Si per duas hypotenusas triangulæ pyramidis duo plana ad oppositas singulæ bases perpendicularia deducantur, tunc productum per reliquam pyramidis hypotenusam, & communem sectionem perpendicularium planorum, est etiam ad oppositam basim pyramidis perpendiculare.

Prop. XXIII.

Si à trianguli sphæralis duobus angulis duo arcus exeuntes opposita singuli latera per medium diuidant: tunc arcus, qui ab angulo reliquo per diuidentium arcuum coincidentiam producitur, oppositum quoque latus per medium secabit.

Lemma I.

Si de duobus lateribus trianguli rectilinei sumantur duæ portiones ad angulum sub dictis lateribus contentum continuatæ, quarum vtraque sui lateris sit pars tertia: & per earum terminos agantur duæ rectæ lateribus ipsis vicissim æquidistantes sese intra triangulum secantes: tunc recta, quæ à quolibet trium angulorum trianguli per sectionem dictarum æquidistantium ad oppositum latus progreditur, latus ipsum per æqualia diuidit.

Lemma II.

Si à trianguli rectilinei duobus angulis duæ rectæ lineæ progressæ opposita latera singulæ per medium diuidant, tunc recta, quæ ab angulo reliqua per diuidentium coincidentiam producitur, oppositum quoque latus per æqualia dispescit.

Prop. XXIV.

Cum fuerint in superficie sphæræ duo circuli magni alter alteri inclinatus: in quorum vno signentur duo puncta, à quibus ad reliquum circulum duo arcus perpendiculares ducantur: tunc ratio sinus arcus cadentis inter casus perpendicularium ad sinum arcus, quem termi-

nant puncta signata, est sicut ratio rectanguli contenti sub diametro sphæræ, & diametro circuli tangentis alterum inclinatorum, & æquidistantis reliquo ad rectangulum contentum sub diametris circulorum transeuntium per puncta signata in circulo inclinato, & æquidistantium reliquo ex circulis inclinatis.

MAVROLYCI SICVLI SPHÆRICORVM.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

POst Theodosium, qui sphærica elementa tribus libellis complexus est, Menelaus sphæricorum totidem libris prosequutus multa de sinuum proportione in tertio acutissime demonstrauit. Inde sumpsisse videtur Ptolomæus ea, quæ in principio magnæ constructionis, post chordarum doctrinam, de sphæricis tradidit. Quæ cùm postea Tebitius legisset perspicacissimus, animaduertit eadem & melliori ordine, & facilius ostendi potuisse. Quemadmodum in libello apparet, in quo ipse Ptolomæum carpit. Adiecit his nonnulla Geber, qui nouem libros in magnam Ptolomæi constructionem conscripsit. Vnde multa sumpserunt Georgius Peurbachius, & Ioannes Regiomontanus, dum prædictum Ptolomaicum opus in epitomen ordinatissimè redigunt. Tradidit & complura super his Ioannes prædictus in libellis triangulorum non spernenda. Quæ omnia cum ego proximis his annis vidissem ac contulissem, non passus sum præcepta tanti momenti, & Astronomiæ, post planorum triangulorum scientiam apprimè necessaria sparsim legi. Ea itaque in hos duos libellos congessi adiiciens de ingenij mei riuulo demonstrationes nonnullas Sic tamen vt post elementa Theodosij ac Menelai demonstrata, detur his locus, vt hæc sint quasi illorum paralipomena. Vnde possint absolui quęstiones, quæ circa sphæralia triangula fieri solent, quæque ad primi mobilis circulos in Astronomia pertinent. Igitur expositis definitionibus, quasi negotij fundamentis, veniemus ad demonstrationes, & à facilioribus exorsi ordinem quàm commodissimum seruabimus.

DEFINITIONES.

✠. I. SInus rectus arcus cuiuſpiam eſt dimidium chordæ dupli talis arcus.

✠ II. Vnde, duorum arcuum qui coniuncti conflant ſemicirculum idem eſt ſinus, ſicut duorum arcuum circulorum integrantium eadem eſt chorda.

III. Et quadrantis ſinus eſt circuli ſemidiameter: qui ſinus totus, ſiue ſinus maximns vocatur. Sicut ſemicirculi chorda eſt tota diameter.

✠ IV. Sinus ſecundus arcus cuiuſpiam eſt ſinus complementi eius ad quadrantem, ſiue ſinus exceſſus ipſius ſupra quadrantem.

✠ V. Sinus verſus arcus cuiuſpiam eſt portio diametri inter arcum ipſum ſinumque rectum recepta: quæ & exceſſus eſt ſemidiametri ſuper ſinum ſecundum: ſine congeries ſemidiametri & ſinus ſecundi.

✠ VI. Sinus autem anguli cuiuſpiam eſt ille, qui ſinus eſt arcus, angulum ipſum ſubtendentis iuxta prædictas definitiones.

Propoſitio prima.

✠ Linea perpendicularis à puncto quopiam in periferia ſemicirculi ad diametrũ eſt ſinus rectus vtriuſque arcuum ab ipſo puncto ad diametrum receptorum. Portiones verò diametri à perpẽdiculari ad periferiam vtrinque ſuſceptæ ſunt ſinus verſi arcuum ſibi ſinguli conterminorum. Quæ porrò cadit inter perpendicularem & centrum, eſt ſinus ſecundus vtriuſque dictorum arcuum.

Prop. II.

✠ Si in ſuperficie ſphæræ duo circuli maiores ſe viciſſim ad rectos angulos ſecent: linea perpendicularis à puncto quolibet peripheriæ vnius eorum ad planum reliqui, eſt ſinus rectus vtriuſque arcuum ab ipſo puncto ad circulorum ſectiones receptorum.

Prop. III.

Trianguli ex arcubus circulorum magnorum in ſuperficie ſphæræ conſtituti; quorum duo ſunt quadrantes: anguli quadrantibus oppoſiti ſunt recti. Contra, ſi recti ſint anguli, arcus illis oppoſiti ſunt quadrãtes. Polus autem tertij arcus eſt in ipſorum quadrantum cõcurſu.

Prop. IV.

Trianglum ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ habens vnum quadrantem, & vnum ex angulis rectum, habebit & alterum quadrantem & alterum angulum rectum.

Prop. V.

Trianguli ex arcubus circulorum maiorum, quorum vnuſquiſque

minor est quadrante, in superficie sphæræ constituti, cuius ex angulis vnus rectus, duo reliqui anguli acuti sunt. Contra, si rectus sit ex angulis vnus, duoque reliqui acuti; vnusquisque arcuum minor erit quadrante.

Prop. VI.

In triangulo ex arcubus circulorum maiorum quadrante minoribus in superficie sphæræ rectangulo, est sicut sinus arcus rectum angulum subtendentis ad sinum arcus alterum ex acutis angulis respicientis, sic est sinus totus ad sinum dicti acuti anguli.

Prop. VII.

In duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ duos angulos acutos æquales inuicem habentibus, sinus arcuum rectos angulos subtendentium sunt sinibus arcuum acutis oppositorum proportionales.

Prop. VIII.

Si in duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ, sinus arcuum rectos respicientium proportionales fuerint sinibus arcuum acutos angulos subtendentium: ipsi acuti anguli æquales erunt.

Prop. IX.

Si in triangulo ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ sicut est sinus totus ad sinum anguli acuti, sic sit sinus arcus alium angulum subtendentis ad sinum arcus, qui acuto opponitur: angulus ille rectus erit.

Prop. X.

In triangulo ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ angulum rectum habente, sinus reliquorum angulorum sunt sinibus laterum, quibus opponuntur, proportionales.

Prop. XI.

Si duo anguli trianguli cuiuspiam ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ fuerint duobus angulis trianguli alterius ex arcubus circulorum maiorum in eadem superficie, singuli singulis æquales: tunc sinus arcuum æqualibus angulis oppositorum proportionales erunt.

Prop. XII.

In duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ, quorum arcus rectis oppositi sunt æquales, duorum ex reliquis arcuum vtcumque sumptorum sinus sunt sinibus oppositorum angulorum proportionales.

Prop. XIII.

Prop. XIII.

In duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ, ratio ſinuum duorum arcuum acutis oppoſitorum componitur ex duabus, quarum vna eſt ratio ſinuum arcubus rectos reſpicientibus debitorum, altera ratio ſinuum dictorum acutorum angulorum.

Prop. XIV.

In duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ, ratio ſinus arcus vni acutorum oppoſiti in vno triangulo, ad ſinum arcus vni acutorum oppoſiti in altero triangulo eſt ſicut ratio rectanguli contenti ſub ſinibus arcus rectum ſubtendentis, & anguli acuti in illo triangulo ad rectangulum contentum ſub ſinibus arcus recto oppoſiti & anguli acuti in hoc triangulo.

Prop. XV.

Si in duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ ſinus arcuum rectis angulis oppoſitorum fuerint ſinibus acutorum angulorum ordine permutato proportionales: æquales erunt arcus, qui acutos ſubtendunt. Quod ſi æquales ſint arcus, acutis angulis ſubtenſi, & ſinus arcuum rectis oppoſitorum erunt ſinibus acutorum ipſorum ordine permutato proportionales.

Prop. XVI.

In omni triangulo ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ ſinus duorum vtcumque ſumptorum arcuum ſunt ſinibus oppoſitorum angulorum proportionales.

Prop. XVII.

In triangulo rectangulo ex arcubus circulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ ſinus ſecundus alterius arcuum rectum angulum continentium ad ſinum ſecundum arcus rectum ſubtendentis eſt, ſicut ſinus totus ad ſinum ſecundum reliqui ex arcubus rectum comprehendentium.

Prop. XVIII.

Arcus bini & bini in circulo eodem, ſiue in circulis æqualibus ſumpti, quorum exceſſus æquales, & chordæ ſiue ſinus proportionales, ſunt ſinguli ſingulis, hoc eſt, maior maiori & minor minori æquales.

Prop. XIX.

Si in triangulo ex arcubus circulorum maiorum quadrante minoribus in ſuperficie ſphæræ, ſinus ſecundus primi arcus ad ſinum ſecundum ſecundi arcus ſit, ſicut ſinus totus ad ſinum ſecundum tertij arcus tunc angulus ſecundo lateri oppoſitus rectus erit.

Prop. XX.

✠ Si in quolibet triangulo ex arcubus circulorũ maiorum in superficie sphæræ ducatur ab angulo quouis ad basim perpendicularis arcuum à reliquis angulis ad perpendicularem receptorum, sunt sinibus secundis conterminorum laterum proportionales.

Prop. XXI.

In triangulo rectangulo ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ, sinus vnius acutorum angulorum ad sinum totum est, sicut sinus secundus reliqui acuti ad sinum secundum arcus eum subtendentis.

Prop. XXII.

Si in triangulo quolibet ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ ducatur à quouis angulo perpendicularis arcus circuli maioris ad basim: sinus angulorum apud verticem sub perpendiculari & lateribus comprehensorum sunt sinibus secundis angulorum ad basim proportionales.

Prop. XXIII.

Duo triangula rectilinea inuicem æqualia, & æquiangula sunt & inter se æquilatera.

Prop. XXIV.

Duo triangula rectilinea inuicem æqualia eandem, siue æquas bases habentia, & basibus oppositos angulos æquales: habebunt & reliqua latera singula singulis æqualia.

Prop. XXV.

✠ Si trianguli rectanguli ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ & quadrantibus minorum sinus secundi vnius arcuum acutis oppositorum fuerit medius proportionalis inter sinum totum sinúmque secundum acuti anguli oppositi: tunc reliqui arcus erunt alter complemento alterius æquales. Et sinus secundus prædicti arcus acutum subtendentis æqualis erit sinui reliqui acuti anguli.

Prop. XXVI.

✠ Iisdem suppositis, ipsi reliqui coniuncti quadrantem conficient.

Prop. XXVII.

Iisdem suppositis, si alternæ quadrantum portiones sint æquales: vel si arcus ipsius trianguli prædicti coniuncti quadrantem conficiãt, tunc sinus secundus arcus reliqui erit medius proportionalis inter sinum totum, sinúmque secundum anguli oppositi, & etiam æqualis sinui reliqui anguli acuti.

Prop. XXIII.

Iisdem suppositis, si sinus secundus arcus acuto angulo oppositi po-

natur æqualis sinui reliqui acuti tunc idem sinus erit medius proportionalis inter sinum totum sinúmque secundum anguli ipsi arcui oppositi: & reliqui arcus æquales singulis coalternis quadrantum complementis.

Prop. XXIX.

Iisdem suppositis, si sinus secundus arcus acuto oppositi sit medius proportionalis inter sinum totum sinumque secundum eiusdem acuti: tunc arcuum comprehendentium ipsum acutum differentia erit maxima differentiarum, quibus differunt quilibet duo arcus eundem angulum complectentes ab angulo ad quemlibet alium quadrantem recepti.

Prop. XXX.

Iisdem suppositis, si arcuum acutum angulum complectentium differentia sit maxima earum, quibus differunt arcus eundem angulum continentes ab ipso angulo ad quoslibet quadrantes conterminos recepti: tunc secundus sinus arcus eidem acuto oppositi erit medius proportionalis inter sinum totum, sinumque secundum ipsius acuti. Et arcus maximè differentes quadrantem conflabunt.

Prop. XXXI.

Iisdem suppositis, si arcuum acutum angulum continentium congeries sit quadrans, iidem arcus maximè differunt.

Prop. XXXII.

Iisdem suppositis, si arcus acutum angulum continentes maximè differant, sinus secundus reliqui arcus æqualis erit sinui acuti anguli.

Prop. XXXIII.

Si duo circuli maiores in superficie sphæræ angulum acutum contineant, & in vno eorum signentur duo puncta, à quibus arcus circulorum maiorum perpendiculares ad reliquum ducantur: Ratio sinus arcus inter casus perpendicularium ad sinum arcus inter puncta signata cadentis componetur ex duabus: quarum vna est ratio sinus totius ad sinum secundum vnius arcus perpendicularium: altera est ratio sinus secundi acuto angulo prædicto debiti ad sinum secundum reliqui arcus perpendicularis.

Prop. XXXIV.

Iisdem suppositis, sinus arcus inter casus perpendicularium ad sinum arcus inter puncta signata cadentis erit sicut quod ex sinu toto, sinuque secundo anguli acuti prædicti fit, rectangulum, ad id, quod ex sinibus secundis arcuum perpendicularium producitur rectangulum.

Prop. XXXV.

Iisdem suppositis, si sinus totus ad sinum secundum alterius perpendicularium arcuum fuerit sicut sinus secundus reliqui perpendicularis ad sinum secundum anguli acuti prædicti: tunc arcus inter casus perpendicularium æqualis erit arcui inter puncta signata cadentia. Reliquæ autem coalternæ quadrantum portiones æquales erunt: Et angulorum à perpendicularibus arcubus apud signata puncta factorum sinus erunt æquales alter alterius perpendicularis sinui secundo.

Prop. XXXVI.

Iisdem suppositis, si arcus inter casus perpendicularium æqualis fuerit arcui inter puncta signata cadenti: cætera omnia sequentur.

Prop. XXXVII.

Iisdem suppositis, si duo coalterni arcus æquales ponantur, adhuc cætera omnia sequentur.

Prop. XXXVIII.

Iisdem suppositis, si sinus anguli ab vno perpendicularium arcuum apud signatum punctum facti ponatur æqualis sinui secundo alterius perpendicularis: similiter cætera omnia sequentur.

Prop. XXXIX.

Quod si in eodem lineamento, sinus totus ad sinum secundum alterius perpendicularium arcuum maior sit, quàm sinus secundus alterius perpendicularis ad sinum secundum anguli acuti perpendicularibus oppositi: tunc arcus inter casus perpendicularium maior erit arcu inter signata puncta cadente: & arcus ad angulum maiores erunt singuli singulis coalternis. Et angulorum à perpendicularibus ad puncta signata factorum sinus maiores erunt, alter alterius perpendicularis sinu secundo.

Prop. XL.

Si verò sinus totus ad sinum secundum alterius arcus perpendicularis minor fuerit, quàm sinus secundus reliqui perpendicularis ad sinum secundum anguli acuti perpendicularibus oppositi. tunc arcus inter casus perpendicularium minor erit arcu inter signata puncta cadente. Et arcus ad angulum minores erunt singuli singulis coalternis. Et angulorum à perpendicularibus ad puncta signata factorum sinus minores erunt, alter alterius perpendicularis sinu secundo.

Prop. XLI.

Item si arcus inter casus perpendicularium ponatur maior arcu inter puncta signata cadente: tunc maior erit sinus totus ad sinum secundum vnius arcuum perpendicularium, quàm sinus secundus alte-

rius perpendicularis ad ſinum ſecundum anguli perpẽdicularibus oppoſiti. Et cętera ſequentur quæ in tricesima nona præcedenti.

Prop. XLII.

Item, ſi duorum coalternorum arcuum, qui ad angulum, ponatur maior: & cætera, quæ dicta ſunt ſequentur.

Prop. XLIII.

Item, ſi ſinus vnius angulorum à perpendicularibus apud ſignata puncta factorum ponatur maior ſinu ſecundo reliqui perpendicularis: & eadem reliqua ſequentur.

Prop. XLIV.

Si verò arcus inter caſus perpendicularium poñatur minor arcu inter puncta ſignata cadente, ſequentur cætera deinceps quæ in quadrageſima.

Prop. XLV.

Item, ſi duorum coalternorum arcuum, qui ad angulum, ponatur minor: & cætera ſimiliter ſequentur.

Prop. XLVI.

Item, ſi anguli ab vno perpendicularium arcuum apud ſignatum punctum facti ſinus ponatur minor ſinu ſecundo reliqui perpendicularis: non aliter, quàm priùs, cætera ſequentur.

Prop. XLVII.

Si ſinus ſecundi arcuum perpendicularium proportionem ſeruantes in trigeſima quinta prædictam fuerint proportionales permutato ordine ſinibus ſecundis aliorum duorum arcuum perpendicularium: arcus coalterni inter perpendiculares æquales erunt.

Prop. XLVIII.

Quod ſi ſinibus ſecundis arcuum perpendicularium proportionem in trigeſima quinta prædictam ſeruantibus interſit medius proportionalis ſecundus arcus medij proportionalis: Et coalterni arcus item perpendiculari medio ad collaterales hinc inde recepti æquales erunt.

Prop. XLIX.

Quod vigeſima-nona huius propoſuit, aliter oſtendere.

MAVROLYCI SICVLI.

SPHÆRICORVM.

LIBER SECVNDVS.

Præfatio.

DE proportione, quàm ſeruat ſinus aggregati ex arcubus acutum angulum comprehendentibus in rectangulo trigono ſphærali ad ſinum differentię eorumdem arcuum, ſeruato acuto, deinceps nobis diſſerendum eſt. Qui locus quamuis à Menelao minimè ſit prætermiſſus, Nos tamen theorema illud nobiliſſimum, quod ipſi quintum eſt in ordine propoſitionum tertij libelli, aliter atque aliter demonſtrantes multum rem ſpeculationibus, & quaſi corollarijs illuſtrauimus. Non enim parcimus opportunis præambulis ad demonſtrationem ſpectantibus, quo diſtinctis commodiùs propoſitionibus, omnia ſint apertiora; ſcituque iucundiora.

Propoſitio prima.

Cum fuerint in ſuperficie ſphæræ quatuor arcus circulorum maiorum, ſemicirculis minores: duo quidem ab vno angulo deſcendentes: duoque à deſcendentium terminis ſe viciſſim ſecantes & alternatim ad deſcendentes reflexi: tunc ratio ſinus vnius deſcendentium ad ſinum partis eius ſuperioris componetur ex duabus: Quarum vna eſt ratio ſinus arcus reflexi à termino dicti deſcendentis ad ſinum partis ſuperioris eiuſdem reflexi: altera eſt ratio ſinus partis inferioris alterius reflexi ad ſinum totius eiuſdem reflexi.

Prop. II.

Item ratio ſinus vnius arcus ex reflexis ad ſinum partis inferioris componetur ex duabus: quarum vna eſt ratio ſinus partis ſuperioris arcus contermini deſcendentis ad ſinum ipſius deſcendentis totius: altera eſt ratio ſinus alterius totius reflexi ad ſinum partis eius ſuperioris.

Prop. III.

Aliter idipſum demonſtrare.

Prop. IV.

Suppoſitis ijſdem, ratio ſinus vnius arcuum deſcendentium ad ſinum partis eius inferioris componetur ex duabus: quarum vna eſt ra-

cio sinus partis superioris alterius descendentis ad sinum partis eiusdem inferioris: altera est ratio sinus partis inferæ arcus reflexi à termino huius descendentis ad sinum partis supernæ eiusdem reflexi.

Prop. V.

Idem & aliter demonstrare.

Prop. VI.

Si quadrilaterum rectilineum circulo inscriptum fuerit: Quod sub duabus eius diametris continetur rectangulum, æquale est duobus ijs, quæ sub oppositis lateribus comprehenduntur, coniunctim sumptis rectangulis.

Prop. VII.

Aggregatum eorum, quæ fiunt ex vtraque chordarum duorum arcuum inæqualium in chordam residui de semicirculo alterius rectangulorum ad differentiam eorumdem est sicut chorda aggregati ex eisdem arcubus ad chordam arcus differentiæ eorumdem.

Prop. VIII.

Aggregatum eorum, quæ fiunt ex vtroque sinu duorum arcuum inæqualium in sinum secundum alterius, rectangulorum, ad differentiam eorumdem est sicut sinus aggregati ex ijsdem arcubus ad sinum arcus differentiæ eorumdem.

Prop. IX.

Si duæ magnitudines duabus magnitudinibus sint proportionales; erunt & earum aggregata differentijs proportionalia, Contra, si aggregata fuerint differentijs proportionalia, & duæ magnitudines duabus magnitudinibus proportionales erunt.

Prop. X.

In triangulo rectangulo ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ sinus aggregati duorum arcuum angulum acutum comprehendentium ad sinum differentiæ eorundem est sicut aggregatum ex sinu toto, sinúque secundo dicti anguli acuti, ad differentiam eorumdem sinuum.

Prop. XI.

Si fuerit triangulum rectangulum ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ, atque anguli ad centrum sphæræ constituti, quos subtendunt duo arcus trianguli acutum angulum continetes, & fuerint æquales angulis, quos continent latera duo trianguli rectilinei cum perpendiculari ad tertium latus; singuli singulis: Tunc sinus totus ad sinum secundum anguli acuti prædicti erit, sicut portio maior tertij lateris trianguli rectilinei ad minorem.

Prop. XII

Quod decima huius propositione, aliter demonstrare. *Videatur scholium Maurolyci.*

Prop. XIII.

Cum circuli semidiameter secat chordam arcúmque, chordæ portiones sunt sinibus portionum arcus proportionales.

Prop. XIV.

Quod decima, quódque duodecima huius demonstrant, adhuc aliter demonstrare.

Prop. XV.

In triangulo ex arcubus circulorum maiorum rectangulo in superficie sphæræ, aggregatum ex sinu toto, sinúque secundo anguli acuti ad differentiam eorumdem est sicut quadratum, quod ex sinu secundo dimidij anguli acuti ad quadratum, quod ex sinu eiusdem dimidij.

Prop. XVI.

Item, sinus aggregati arcuum acutum angulum comprehendentium ad sinum differentiæ eorumdem arcuum est sicut quádratum, quod ex sinu secundo dimidij anguli acuti ad quadratum, quod ex sinu eiusdem dimidij.

Prop. XVII.

Item, sinus aggregati arcuum angulum acutum comprehendentium ac sinum differentiæ eorumdem arcuum est sicut sinus versus complementi ipsius anguli ad duos rectos ad sinum versum talis acuti.

Prop. XVIII.

Si fuerint duo triangula ex arcubus circulorum maiorum rectangula in superficie sphæræ, quorum vnius angulus acutus æqualis alterius angulo acuto: tunc sinus aggregati arcuum acutum angulum comprehendentium in vno triangulo ad sinum arcus differentiæ eorum est, sicut sinus aggregati arcuum acutum angulum continentium in altero triangulo ad sinum arcus differentiæ eorundem.

Prop. XIX.

Quod si id duobus triangulis rectangulis ex arcubus circulorum maiorum in superficie spheræ, sinus aggregati arcuum acutum angulum comprehendentium in vno triangulo ad sinum arcus differentiæ eorum, fuerit sicut sinus aggregati arcuum angulum continentium in altero triangulo ad sinum arcus differentiæ eorum, tunc ipsi acuti anguli æquales ad inuicem erunt

Prop. XX.

Prop. XX.

In triangulo ex arcubus circulorum maiorum rectangulo in ſuperficie ſphæræ, arcus acutum angulum continentes, dùm quadrantem perficiunt, maximè differunt, quàm ſub eodem angulo ſiue breuiati ſiue producti differre poſſint. Contra, ſi huiuſmodi arcus maximè prædicto modo differant, & coniuncti quadrantem circuli conſtabunt.

Prop. XXI.

Aliter idipſum demonſtrare.

Prop. XXII.

Si fuerint in ſuperficie ſphæræ duo triangula ex arcubus circulorum maiorum; quorum vnius angulus acutus æqualis alterius angulo acuto: & alius vnius angulus cum alio alterius angulo iunctus conficiat duos rectos, tunc ſinus arcuum his angulis oppoſitorum erunt ſinibus arcuum oppoſitorum acutis proportionales.

Prop. XXIII.

Si fuerint duo triangula in ſuperficie ſphæræ ex arcubus circulorum maiorum, quorum vnius acutus angulus æqualis alterius acuto angulo: Et ſinus arcuum acutis oppoſitorum proportionales ſinibus arcuum duos ex reliquis angulos reſpicientium: tunc hi anguli aut æquales erunt, aut coniuncti duos rectos conficient.

Prop. XXIV.

Si ab angulo trianguli ex arcubus ſingulorum maiorum in ſuperficie ſphæræ conſtituti deſcendat ad baſim arcus circuli maioris angulum ipſum per æqua diuidens: tunc ſinus arcuum angulum ipſum continentium erunt ſinibus factarum baſis portionum proportionales.

Prop. XXV.

Quod ſi ſinus arcuum dictum angulum continentium proportionales fuerint ſinibus factarum baſis portionum: tunc arcus deſcendens angulum ipſum per æqualia ſecare probabitur.

Prop. XXVI.

Si bina triangula fuerint in ſuperficie ſphæræ ex arcubus circulorum maiorum, quorum vnius duo anguli fuerint, duobus alterius anguli ſingulis ſingulis æquales, & ab angulis reliquis perpendiculares arcus circulorum maiorum ad baſes ducantur: tunc ſinus factarum baſis portionum in vno triangulo proportionales erunt ſinibus factarum baſis portionum in reliquo triangulo.

Prop. XXVII.

In triangulo rectangulo ex arcubus circulorum maiorum in ſuper-

ficie sphæræ, sinus vnius acutorum angulorum ad sinum totum est sicut sinus secundus reliqui ad sinum secundum lateris eum subtendentis.

Prop. XXVIII.

Item sinus secundus vnius acutorum angulorum ad sinum totum est sicut quod sub sinu secundo arcus acutum angulum subtendentis & sub sinu reliqui acuti continetur, rectangulum ad quod ex sinu toto quadratum.

Prop. XXIX.

In omni triangulo ex arcubus circulorum maiorum in superficie sphæræ constituto, sinus versus anguli cuiuslibet ad differentiam duorum sinuum versorum, quorum vnus est lateris eum angulum subtendentis; alter verò differentiæ duorum arcuum ipsum angulum contidentis; alter verò differentiæ duorum arcuum ipsum angulum contidentium est sicut quadratum sinus totius ad id quod sub sinibus arcuum eorumdem continetur, rectangulum.

Prop. XXX.

Sinus arcus alicuius ad sinum eius secundum est sicut gnomon ad vmbram rectam eiusdem arcus. Sicut autem sinus secundus ad sinum dicti arcus, sic est gnomon ad vmbram versam eiusdem arcus.

Corollarium.

Vnde vmbra recta cuiusuis arcus est & vmbra versa complementi eiusdem arcus. Item dimidio quadrantis debita vmbra tam recta, quàm versa æqualis est suo gnomoni. Item gnomon semper est medius proportionalis inter vmbras duorum arcuum quadrantem integrantium seu rectas, seu versas.

Prop. XXXI.

In triangulo rectangulo ex arcubus circulorum maiorumin superficie sphæræ constituto, sinus totus ad sinum arcus vnum ex acutis angulis subtendentis est sicut quadratum gnomonis ad rectangulum comprehensum sub vmbris versis, quarum vna complemento reliqui acuti, altera verò arcui eundem acutum subtendenti debetur.

Corollarium.

Hinc manifestum est, quod in duobus triangulis sphæralibus orthogoniis, duo latera, quæ circum rectos angulos æqualia fuerint: tunc rectangula, quæ ex vmbris versis reliquorum laterum, quæ circum rectos, in vmbra versas debitas complementis subtensorum angulorum producuntur, erunt & invicem æqualia. Et contrariò.

Prop. XXXII.

In triangulo rectangulo ex arcubus magnis in superficie sphæræ

constituto, sinus totus ad sinum arcus vnum ex acutis angulis subtendentis est sicut vmbra versa reliquo acuto angulo debita, ad vmbram versam lacris dictum angulum respicientis.

Scholium.

Ex his igitur demonstrationibus absolui possunt omnes quæstiones, quæ fieri consueuerunt circa sphæralia triangula: quæque in Astronomia pertinent ad arcus circulorum in primo cœlo intellectorum, hoc est, in concaua superficie prima mobilis descriptorum. Sed nemo harum speculationum scientiam perfectam habens nesciet theoriam ad praxim atque demenstrationem ad calculum deducere. Quæres vt magis peruia fiat lectori, exempla nonnulla sunt adducenda, vt circa declinationes, & ascensiones.

AVTOLYCI DE SPHÆRA MOBILI, EX TRADITIONE MAVROLYCI LIBER.

ABSOLVTIS *Theodosij, Menelai atque Maurolyci sphæricis, subiungemus ea quæ ad sphæram mobilem, motumque primum pertinent, quippe quæ sphæricorum demonstratis innituntur, & prima sunt syderalis disciplinæ rudimenta: quibus addemus Theodosium de habitationibus, & habitationum collatione. Aduerte autem ea esse Maurolyci, quæ literis* Italicis *scribentur.*

Sphæræ puncta æqualiter ferri dicuntur, quæcumque æquali tempore æquales ac similes transeunt periferias. At si in linea aliqua delatum aliquod punctum æqualiter, binas transierit lineas, eandem habebit rationem tempus ad tempus, quibus singulas transit lineas, quàm linea ad lineam: *id est, peracta spatia temporibus proportionalia sunt.*

Propositio prima.

Si æqualiter sphæra voluatur circa suum axem, cuncta quæ in superficie sunt sphæræ puncta, præter polos, circulos describunt parallelos, & ad axem rectos, & eosdem cum sphæra polos habentes.

Nam tales circuli describuntur per rectas à punctis ad axem, super quo sphæra versatur, perpendiculares: & ideò per 9. primi spheric. Theod. habent dictum axem communem, & polos communes, & per 2. secundi, sunt inuicem paralleli.

Prop. II.

Si sphæra voluatur æqualiter circa suum axem, cuncta, quæ in su-

perficie puncta sunt sphæræ, similes periferias circulorum parallelorum, in quibus feruntur, in tempore eodem præteribunt.

Nam si duo puncta sint in eodem parallelo, constat propositum per assumptam in principio petitionem. Si autem in diuersis parallelis, constabit propositum per 15. *secundi sphæric. Theod.*

Prop. III.

Si æqualiter sphæra voluatur circa suum axem, quas in tempore eodem periferias transmittent puncta quædam in circulis parallelis, per quos feruntur, eæ ipsæ similes erunt.

Hæc est conuersa præcedentis, & simili modo demonstratur.

Prop. IV.

Si in sphæra maior circulus manens separet id, quod apparet de sphæra, ab eo, quod non apparet, sitque ad rectos angulos axi sphæræ, super quo mouetur: nullum punctum superficiei sphæræ oritur, nullum occidit: sed quæ sunt in hemisphærio apparenti, semper apparent: quæ verò in latenti, semper occultantur.

Nam talis circulus manens est communis limes talium hemisphæriorum, & per 1. *huius, puncta singula suos sursum parallelos semper in alterutro hemisphæriorum describent.*

Prop. V.

Si per polos sphæræ circulus manens definiat apparens & non apparens: cuncta in superficie sphæræ puncta ipsa euoluta, & occidunt & oriuntur, & æquali tempore morantur super horizontem & sub horizonte.

Nam tales circulus manens, per 20. *primi sphær. Theod. secat per æqualia singulos parallelos, id est semicirculos, Quare per* 2. *huius, per æquale tempus punctorum vnum quodque feretur vtrinque à circulo secante.*

Prop. VI.

✠ Si in sphæra maior circulus manens definiat quod apparens est sphæræ, & quod non apparens, obliquus existens ad axem, attinget binos circulos æquales, & parallelos inuicem, & eorum vnus ad apparentem polum semper erit apparens: alter autem ad latentem semper latens, *quod constat per* 70. *secundi sphæric. Theod.*

Prop. VII.

✠ Si circulus in sphæra fixus apparens ab occulto distinguat obliquus existens ad axem: circuli, qui ad angulos rectos axi, in eisdem punctis semper horizontis ortus & occasus faciunt, & similiter inclinantur ad horizontem.

Nam cum circulus fixus constet semper in eodem loco: & circuli super axe suo versati semper in suo singuli plano iaceant: fit vt neque periferiæ locum

aliquando commutent: & perinde secent fixum in iisdem semper punctis. Inclinatio quoque eorum vna est: sequitur enim inclinationem axis communis.

Prop. VIII.

Si circulus maior in sphæra fixus apparens ab occulto dirimat inclinatus ad axem: quicumque circulus maior contingit duos circulos parallelos æquales, semper videlicet apparentem semperque occultum, quos horizon contingit; euoluta sphæra, congruit horizonti.

Nam dum versatur sphæra, puncta contactuum feruntur semper in perijs dictorum parallelorum: & perinde contactus dicti circuli maioris couniuntur contactibus horizontis: & circulus ipse counitur horizonti.

Prop. IX.

✠ Si in sphæra maior circulus obliquus ad axem definiat manifestum ab occulto; quod ex simul orientibus punctis est polo apparenti propinquus, posterius occidi. Quod autem ex simul occidentibus, dicto polo vicinius, priùs oritur.

Nam punctum polo manifesto vicinius habet, per 24. 2. Theod. maiorem arcuum super horizontem: & perinde si simul oritur, cum puncto remotiori à dicto polo: posterius occidet. Et si simul occidat, iam priùs exortum est per 2. huius.

Prop. X.

Si in sphæra maximus orbis obliquus ad axem definiat apparens sphæræ & latens; circulus, qui per polos sphæræ, bis rectus sit horizonti in vno sphæræ ambitu.

✠ *Patet, quia talis circulus bis transit in vno ambitu per polos horizontis: quare per 20. 2. sphæric. Theod. bis eum orthogonaliter secabit.*

Prop. XI.

✠ Si in sphæra maior circulus obliquus ad axem definiat apparens sphæræ & latens: alius verò maior circulus parallelos maiores attingat, aut quos horizon semper apparentem semperque occultum tangit, per omnem horizontis periferiam parallelis, quos attingit, interpositam ortus & occasus facit.

Patet, quoniam omnia puncta talibus parallelis interiecta oriuntur & occidunt apud periferias horizontis iisdem interiacentes. Quare & tota talis circuli maioris periferia in idem facit.

Prop. XII.

✠ Si in sphæra manens circulus delatum aliquem circulum eorum, qui in sphæra, semper per æqualia secet: inter autem ipsorum ad re-

ctos fuerit angulos axi, neque per polos ſphæræ: vterque ipſorum erit maior.

Nam ſi vterque ſit circulus minor: manens non poteſt ſemper bifariam ſecare delatum, niſi manens ad rectos ſit axi, ſi manens ſit maior, ac delatus minor: non poteſt ſemper bifariam ſecare delatum, niſi exiſtentem ad rectos axi, quod eſt contra hypotheſim: Si manens ſit minor, ac delatus maior: hoc eſſet contra 17. I. *Sphæric. Theod. ſupereſt ergo vt omnino ſint ambo maiores.*

THEODOSII DE HABITATIONIBVS LIBER.

Propoſitio prima.

✠ SVB Septentrionali polo habitantibus hemiſphærium quidem mundi vſquequaque idem apertum eſt vnum: alterum omnino idem occultum: nec aſtrorum aliquod ipſis occidit aut oritur: ſed quæ in aperto ſunt, prorſus ſunt in conſpectu: at quæ in occulto vſquequaque nuſquam comparent. *Quæ prop. eadem fermè eſt cum* 4. *Autolyci.*

Prop. II.

✠ Sub æquinoctiali habitantibus omnia aſtra oriuntur & occidunt, & æquali tempore ſuper horizontem attollentur, horizontique ſubuehentur. *Idem habetur in* 5. *Autolyci.*

Prop. III.

✠ Per omnem locum, qui ſub media zona tropicis parallelis interclusa, ſignifer quotidie rectus erigitur horizonti.

Nam circulus æquatoris parallelus per verticem loci ductus binis in locis ſecat Zodiacum. Quando igitur punctum ſectionis alterutra conitur vertici, tunc zodiacus incedit per polos horizontis; & ideò per 20. I. *Theod. ſecat horizontem orthogonaliter: bis ergo fit hoc in vno ambitu. Habitantibus verò ſub tropico ſemel, hoc eſt in puncto ſolſtitij, in quo zodiacus tangit ipſum tropicum.*

Prop. IV.

Quorum vertex à polo tantum abit, quantum tropicus diſtat ab Æquinoctiali: illis ſimul ſex ſigna & occidunt, & oriuntur.

Hoc eſt illis, quorum vertex eſt in arctico, vel antarctico circulo. Nam cũ poli zodiaci ferantur in peripheriis talium circulorũ, iam in vno ſemel polus

counitur vertici, hoc est polus zodiaci polo horizontis. Quare & zodiacus counitur horizonti, quæ counio fit instanti, & post illud in-stans statim zodiacus dispescitur bifariam ab horizonte, & ideò in instanti semicirculus eius oritur, & reliquus semicirculus occidit.

Prop. V.

✠ Sub æquinoctiali habitantibus Meridianus bifariam secabit super horizontem signiferi semicirculum quando tactus tropicorum & signiferi fuerint in horizonte, & tunc signifer rectus erit ad horizontem.

Tunc enim horizon incedens iam per polos tropici, & puncta contactuum per 6. 2 sphær. Theod. ibit, & per polos zodiaci: & ideò per 20. 1. orthogonaliter eum secabit; & per 21. 1. zodiacus vicissim ibit per polos horizontis, per quos & meridianus, vnde arcus tam meridiani, quam zodiaci ab horizonte ad horizontem recepti sunt quadrantes.

Prop. VI.

✠ Sub æquinoctiali habitantibus signiferi semicirculi omnes in tempore æquali oriuntur. Similiter etiam oppositæ periferiæ.

Ibi enim omnis semicirculus Zodiaci oritur cum arcu diurno sui principij: omnes autem arcus diurni par. 2. huius, sunt semicirculi: constat igitur prima pars propositi. Reliqua verò, quoniam non solùm oppositæ Zodiaci periferiæ, sed etiam ab æquinoctij pũcto æqualiter remotæ cum æqualibus æquinoctialis periferijs ascendunt.

Prop. VII.

✠ Habitantibus sub eodem parallelo stellę neque simul oriuntur, neque simul occidunt, sed quanto priùs oriuntur orientaliori loco, tantò priùs occidunt.

Nam talium locorum horizontes propter æquas polorum altitudines, tangunt eosdem æquatoris parallelos: quare per 18. 2. sphær. Theod. arcus ex parallelo quolibet, semicirculi horizontum tam Orientalibus quàm Occidentalibus interiecti, sunt similes. Omnis igitur stella in loco Orientali per eundem arcum anticipat ortum, & inde occasum, & idcirco per idem temporis interuallum.

Prop. VIII.

Sub eodem meridiano habitantibus stellæ quæcunque sunt inter maximum semper apparentium parallelorum & æquinoctialem diutius super horizontem feruntur illis, qui ad Septentrionem habitant, quàm illis qui ad Meridiem. Et quanto priùs oriuntur ad Septentrionem habitantibus, tanto posteriùs occidunt. Quę verò astra inter maximum semper occultorum, & æquinoctialem, diutiùs super horizontem apparent ad Meridiem habitantibus, quàm ad Septentrionẽ:

& quanto priùs oriuntur iis qui ad Meridiem, tanto posteriùs occidunt.

Nam eunti versus manifestum polum, arcus diurnus astri eodem versus ab æquatore declinantis crescit, & eunti versus occultum polum arcus diurnus astri eo declinantis etiam crescit. Collatis autem arcubus, vtrimque, hoc est ad ortum & ad occasum crescentibus, constat reliqua pars propositi.

Prop. IX.

✠ At si horizontes neque sub eodem parallelo, neque sub eodem Meridiano, sequetur tãtum arcuum super horizontem peractorum prædicto modo inęqualitas: non autem ortuum & occasuum anticipatio. *Constat sicut præmissa, propter magis, aut minus inclinatum horizontem.*

Prop. X.

✠ Sub polo vtrolibet habitantibus sol semestri tempore super horizontem iugiter fertur, & tandem sub horizonte.

Patet hoc per 1. *huius: quoniam zodiaci semicirculus semper extat, & semicirculus semper delitescit: qui semestri fermè spatio à Sole peragitur. Neque hic motus differentia, quem Solis ingerit eccentricus, considerandа venit: supponitur enim Solis motus æqualis, vbi de arcubus primi motus agitur.*

Prop. XI.

✠ A polo versus arcticum vel antarcticum procedentibus, hæc iugis mora Solis super horizontem, aut sub horizonte minor fiet semestri tempore, minorque, donec ad spatium 24. horarum sub arctico vel antarctico redigatur.

Nam horizon harum habitationum tangit duos æquatoris parallelos tropicis maiores, qui de zodiaco vtrimque duas peripherias æquales abscindunt. Et peripheria, quam parallelus semper apparens abscindit, nunquam occidit; ea verò quam semper occultus, nunquam oritur. In illa ergo quandiu Sol fuerit, nunquam occidet: in hac nunquam orietur. Vnde in illa tantus erit iugis dies: dies in hac tanta iugis nox pro magnitudine scilicet peripheria, tot scilicet mensium, quot signa comprehenderit peripheria, & tot dierum naturalium, quot insuper gradus habuerit.

Prop. XII.

✠ Sub arctico vel antarctico habitantibus dies maxima fiet 24. horarum, & instans pro nocte. Contra nox maxima 24. horarum, & instans pro die. Cæteri arcus crescent & decrescent vsque ad æqualitatem æquinoctij.

Nam ibi habitantium horum tangit duos tropicos, quos & Zodiacus contingit

tingit. Quare Sol in tropico ſuper horizontem extantem conſtitutus, peragit pro die integrum ambitum: & pro nocte punctum ipſum contactus. Contra Sol in tropico totaliter latenti poſitus circulum totum pro nocte deſcribit, & pro die, ſolum contactus punctum, inde decreſcunt vtrique arcus vſque ad medium æqualitatis.

Et quoniam per 23. 2. ſphæric. Theod. coalterni arcus diurnus & nocturnus vtrinque ab æquatore ſumpti ſunt æquales, & perinde tam duo diurni, quàm duo nocturni coniugatè recepti circulum integrãt: propterea fit vt in omni horizonte totum tempus diurnum in anno collectum ſimul ſit ſemeſtre, hoc eſt anni dimidium: & nocturnum ſimiliter tantumdem, ſed ſub polo continuum: cæteris verò habitatoribus interpolatum. His autem Euclidis Phænomena in eorum gratiam ſubiungemus, qui ſeriò Geogrophiæ, & Aſtronomiæ operam dare voluerint: deinde breuiſſimum afferemus Coſmographiæ conpendium, quod cœlos, & terram oculis velut in tabella ſubiiciet.

EVCLIDIS EX TRADITIONE MAVROLYCI

Phænomena.

QVONIAM ſtellæ circumferuntur æquali ſemper à nobis remotione, propterea motum cœli circularem eſſe: eaſque per parallelos æquidiſtantes deferri. Et quoniam earum quædam perpetuò feruntur ſupra terram, quædam ſub terra: quædam plus moræ trahunt ſuper terram, quædam plus ſub terra, & medio loco poſita æqualiter. Hinc mundum non niſi ſphæricæ figuræ eſſe: nec niſi circa axem, & æqualiter volui. Axem autem polorum vnum extare: alterum ſub terra deliteſcere. Horizon autem circulus vocetur, qui definit ſpectatum hemiſphærium. Meridianus, qui per ſphæræ, horizontiſque polos incedat. Æquinoctialis verò maximus inter parallelos communem cum ſphæra axem habentes. Zodiacum, ſiue ſigniferum eſſe ſolisorbitam, à quo Æquinoctialis obliquè ſecatur. Tropici ſunt duo paralleli æquales zodiacum tangentes. Ex quibus manifeſtum eſt, horizontem circulum eſſe maximum, quòd maximum quemque ſemper ſecet per medium.

PROPOSITIONES.

I.

TERRA *in medio mundo est, centrique fungitur officio.*

Quoniam scilicet eadem dioptra spectamus simul duo signa oppositа. vnum oriens, alterum occidens & rursum alia duo signa oppositа apud ortum & occasum: fit vt linea visualis in vtraque observatione sit diameter zodiaci, & firmamenti: terra igitur in sectione talium diametrorum cum sit, in centro zodiaci, & perinde mundi existet.

II.

In vno ambitu, qui per polos sphæræ circulus bis rectus erit ad horizontem.

Quia scilicet bis counitur in die cum meridiano, qui rectus est ad horizontem.

Zodiacus verò circulus ad meridianum bis erit rectus.

Quia scilicet plus zodiaci in parallelo arctico delatus bis in die sistitur in meridiano.

Ad horizontem verò minimè rectus erit, quando polus horizontis fuerit extra tropicos.

Ibi enim zodiacus nunquam transit per polos horizontis, hoc est per verticem loci.

Si verò polus horizontis in tropico fuerit: zodiacus semel in die ad horizontem rectus erit.

Quando scilicet punctum solstitiale zodiaci fuerit in polo horizontis, quod semel in die fit.

Quando demum polus horizontis tropicos fuerit: zodiacus circulus ad horizontem bis rectus erit.

Nam ibi parallelus æquatoris per polum horizontis incedens binis in punctis secat zodiacum: quæ puncta singula semel in die sistentur in ipso polo horizontis in dicto parallelo delata. Bis igitur in die zodiacus horizontem orthogonaliter secabit, per 20. 1. sphæric. Theod.

III.

✠ *Astrorum non errantium ortus, occasusque officientium, vnumquodque apud eodem horizontis puncta oritur & occidit.*

Nam parallelus, in quo defertur astrum super axem, in vno semper situ circunducitur, & in iisdem semper punctis secat horizontem. *Additio 2. propositionum.*

IV.

✠ *Astra in circulo per polos mundi ducto existentia simul oriuntur,*

& simul occidunt in horizonte recto.

Nam talis circulus bis in die counitur horizonti recto.

V.

Astra existentia in semicirculo orientali circuli tangentis maximum integrè apparentium parallelorum, quem tangit horizon obliquus, simul oriuntur in tali horizonte. Existentia verò in semicirculo rĕliquo, simul occidunt in eodem.

Sicut enim ille semicirculus semel in die counitur semicirculo orientali horizontis: ita hic occidentali. Vnde denominantur.

VI.

Astrorum in maximi circuli ambitu existentium, maximumque integrè apparentium non tangentis neque secantis, quæ priùs oriuntur, priùs occidunt: Et quæ priùs occidunt, priùs oriuntur.

Nam ex talibus astris occidentalibus priùs oritur, & priùs occidit. Ducto enim semicirculo orientali tangente maximum parallelorum integrè apparentium, per astrum occidentalius, relinquitur astrum reliquum ad orientem, similiter ducto semicirculo occidentali. Constat ergo propositum: cùm tales semicirculi repræsentent semicirculos horizontis.

VII.

✠ *Astrorum in maximi orbis ambitu, qui maximum integrè apparentium secat, existentium, qua septentrioni propiùs, priùs oriuntur, posteriùs verò occidunt.*

Ductis enim per astrum à septentrione remotius circulis maioribus maximum integrè apparentium vtrinque tangentibus: relinquetur astrum reliquum in medio peripheriarum. Vnde palam fit ipsum astrũ reliquum priùs oriri, & priùs occidere. Sed Euclides loquitur respectu situs nostri. Nam apud nostros Antœcos, idem dicendum de astro, quod illi polo propinquus est.

✠ *In Zodiaco, siue æquinoctiali, siue quouis alio maiori circulo astra ex diametro posita coniugatè oriuntur, & occidunt.*

Nam quæuis diameter cuiuslibet maioris circuli est, & mundi diameter: cuius extremorum altero ex oriente, reliquum occidit. Et è contrario.

X.

✠ *Zodiacus circulus per omnem horizontis locum inter circulos tropicos oritur, quando maximus integrè apparentium non minor fuerit circulo tropico.*

Hoc est in illo horizonte, cuius vertex est in circulo arctico, vel in-

ter ipsum & polum, ortus zodiaci fit per totum semicirculum horizontis orientalem: occasus per totum semicirculum horizontis occidentalem: quandoquidem totus horizon iacet inter tropicos.

X.

✠ *Signa non apud æqualia horizontis segmenta oriuntur, & occidunt: in maximis enim quæ ad æquinoctialem: in minoribus autem quæ hac sequũtur: in minimis verò quæ ad tropicos: apud aqualia porro, quæ ab æquinoctiali circuli æqualiter distant.*

Ductis enim per limites signorum zodiaci parallelis hinc inde ab æquinoctiali: peripheriæ horizontis interceptæ tam ad ortum quàm ad occasum, ab æquinoctiali versus tropicos ordinatæ successiuè decrescunt, vt infert propositio. Omnis enim arcus zodiaci apud peripherias horizontis suis parallelis interceptas oritur, & occidit. Hoc autem ostendit Theodosius in 3. 5. 7. & 9. prop. libri 3. sphæric. & Menel. in 46. secundi. Quod intelligitur tam in horizonte recto quàm in obliquo; quamuis in obliquo periphæriæ dictæ horizontis sint maiores.

XI.

✠ *Zodiaci semicirculos non ab eodem parallelo exorsos, neque aquali tempore totos exoriri, sed in plurimo, qui cum cancro, eoque minori, quo inde remotius exordium sumpserint: in minimo tandem, qui cum capricorno. Quicumque autem in eodem parallelo initium habuerint, æquis temporum internallis exortum facere.*

Constat hæc prop. apertissimè, si conferantur arcus diurni semicirculorum zodiaci principiis debiti. Cum talibus enim arcubus oriuntur ipsi semicirculi. Et pro occasu semicirculorum conferantur arcus nocturni, qui semicirculorum initiis respondent: quamuis de occasu author non faciat mentionem. Sed vltra æquinoctialem pro signis in proportione expressis sume signa opposita. Author autem respexit ad situm nostrum.

XII

✠ *Si in Zodiaco bini semicirculi communem quandam circumferentiam habentes diuerso tempore oriantur: relicti arcus diuerso etiam tempore orientur, & in eodem excessu. Si autem in Zodiaco bini semicirculi communem arcum habentes æquis temporibus æquis oriantur, relictæ quoque peripheriæ temporibus æquis orientur.*

Nam subtracto arcu communi, subtrahitur etiam commune tempus: & ideo relicta tempora erunt aut in eodem excessu inæqualia, in quo scilicet tempora semicirculorum sunt: aut æqualia, si tempo-

ra semicirculorum fuerint æqualia.

XIII.

✠ *Zodiaci æqualium & ex opposito circumferentiarum in quo tempore altera oritur, reliqua occidit. Et in quo altera occidit, reliqua oritur.*

Nam, per octauam huius, talium arcuum limites exeũtes ex diametro, coniugatè oriuntur, & occidunt; hoc est, vno oriente, alter occidit, & è contrario. Et ideo quo tempore oritur interceptorum arcuum vnus: reliquus occidit; & è contrario. His autem rursus tres propositiones adduntur.

XIV.

✠ *Similium horizontum semicirculi similes, parallelorum peripherias includunt: Et ideo quodlibet astrum ad horizontem ex iis orientalem per vnum temporis interuallum anticipat tam ortum, quàm occasum, ac cœli mediationem.*

Similes horizontes sunt, qui aut recti sunt aut eiusdem latitudinis. Qui autem eiusdem latitudinis sunt, tangunt eosdem parallelos, quorum alter maximus integrè apparentium est, alter maximus integrè occultorum. Hęc ergo propositio quoad rectos horizontes, ostenditur in 14. l. 2. Theod. quoad autem obliquos, in 8. eiusdem. Vt si inter duos horizontum siue rectorum, siue vnius latitudinis obliquorum semicirculos orientales intersit arcus æquatoris 30. graduum: iam inter eosdem ex quolibet parallelo totidem gradus intercipientur. Et perinde omne astrum magis orientale per duas horas præuertet tam ortum quàm occasum, quàm & cœli mediationem. Quare constat apertè corollarium.

XV.

Similium horizontum semicirculi orientales vnà cum zodiaci peripherijs intercipiunt æquatoris arcus coorientes, occidentales autem cooccidentes ad quemlibet talium horizontum.

Manente enim fixo horizontum talium vno, sphæra reuoluta, cæterorum similium horizontum semicirculi couniuntur ei: & proinde zodiaci peripheriæ antemotum interceptæ cooriuntur, aut cooccidunt cum arcubus æquatoris simul interceptis.

XVI.

Peripheriæ zodiaci æquales ad rectum horizontem non æquis temporibus oriuntur, neque occidunt, sed in maximo, quæ sunt ad tropicorum contactus: in minori autem, quæ has subsequuntur: in minimis verò; quæ ad æquinoctialem: æqualibus porrò, quæ ab æquinoctij puncto æqualiter distant.

Exempli gratia, sumantur in zodiaco 3. signa ♈, ♉, & ♊, Aio quod

ex his in sphæra recta ♄ in maximo; ♉ in minori; ♈ in minimo tam oritur, quàm occidit tempore. Ducantur enim à polo mundi tres semicirculi horizontum rectorum per limites talium signorum: iam tales semicirculi, abscindent de æquinoctiali arcus inæquales: quorum maximus erit, qui remotissimus à sectione zodiaci, & æquinoctialis, scilicet qui cum ♄ intercipitur: minor, qui cum ♉: minimus, qui cum ♈, per 4, & 8. tertij sphæric. Theod. & 46. secundi Menel. Sed per præcedentem, tales æquatoris arcus cooriuntur, siue cooccidunt cum signis ipsis interceptis. Igitur ex his ♄ in maximo: ♉ in minori: ♈ in minimo oritur, & occidit tempore. Quod autem tem æquè ab æquinoctio remota signa æquis temporibus oriuntur, atque occidunt, constat, quoniam cum æquis arcubus æquatoris oriuntur, & occidunt, & id propter æquilatera inuicem sphæralia triangula, per 23. primi sphæric. Menel.

Corollarium. Hinc manifestum est quod in sphæra recta 4. signa ♄, ♋, ♎, & ♑ in maximis: 4. autem ♈, ♌, ♏, & ♒ in minoribus: 4. demum ♐, ♉, ♍, & ♊, in minimis, & inuicem æqualibus oriuntur, & occidunt temporibus.

XVII.

✠ *Semicirculi zodiaci, qui cum 6 9 æquales circumferentia non æquis temporibus occidunt, sed in maxima, quæ sunt ad tropicorum contactus: in minori autem quæ ad æquinoctialem: æqualibus porrò quæ has subsequuntur: in minimis verò quæ ad æquinoctialem: æqualibus porro quæ ab æquinoctij puncto æqualiter distant, oriuntur, & occidunt.*

Per limites trium signorum ♋, ♌, & ♍ ducantur tres semicirculi horizontum obliquorum eiusdem latitudinis occidentales, & perinde tangentes eundem æquatoris parallelum. Nam tales semicirculi abscindent ex æquatore arcus inæquales, quorum maximus erit, qui remotissimus à sectione æquinoctij, scilicet qui cum ♋ intercipitur: minor, qui cum ♌: minimus, qui cum ♍, per 6, & 10 tertij sphæric. Theod. & 46 sec. Menel. sed per ante præmissam, talia signa cooccidunt, cum arcubus æquatoris interceptis; igitur ex his ♋ in maximo: ♌ in minori; ♍ in minimo tempore occidit. Quod autem signa æqualiter ab æquinoctio remota æquis temporibus oriuntur, & occidunt, constat per 25 primi sphęric. Menel. propter æquilatera inuicem sphæralia trianguli. Verùm in horizontibus vltra æquatorem pro ♋, ♌, & ♍, substitue ♑, ♒, & ♓.

Coroll. Hinc patet quod in horizonte nostro obliquo, duo signa ♋, & ♐ in minimis: ♌, & ♏ in minoribus: ♍, & ♏, in minimis, &

inuicem æqualibus occidunt temporibus.

XVIII.

✝ *Semicirculi Zodiaci, qui cum ♑, æquales peripheriæ: nequaquam æquis oriuntur temporibus. In maximo quidem, quæ ad tropicorum contactus: in minori autem, quæ bas ſubſequuntur: in minimis verò, quæ ad æquinoctialem: æqualibus porrò, quæ ab æquinoctij puncto æqualiter diſtant, oriuntur, & occidunt.*

Oſtenſum eſt in præcedenti, ♋ in maximo, in minori ♌ in minimo ♍ occidere. Igitur per 23 præcedentem, his oppoſita ſigna, ſcilicet ♑, in maximo: ♒, in minori: ♓ in minimo orientur; quod eſt propoſitum. Vnde & æqualitas ortuum in ſignis æquè ab æquinoctio remotis ſequetur. Sed in regionibus vltra æquatorem, quoniam mutatur polus manifeſtus, immutenda ſunt, & ſigna.

Coroll. Conſtabit igitur hic ſimiliter, quod in his obliquis horizontibus ♑, & ♓ in maximis: ♒, & ♉ in minoribus: ♐, & ♈ in minimis, & inuicem æqualibus oriuntur temporibus.

MONITVM.

QVI ſeriò Trigonometriæ ſuam operam dare voluerit, adeo vt Gellibrundi Britannicam Trigonometriam, cuius fundamentorum conſiſtit in triangulorum planorum ſimilitudine ad quam duntaxat requiritur æqualitas angulorum, vel proportio crurum: quæ cùm numeris exprimi debeant, tam peripheriæ circulares, quibus angulos metimur, quàm rectæ circulis adſcriptæ in certas partes dimidendæ ſunt, quos numeris exprimantur.

Quapropter peripheriæ in 360 gradus diuiſæ gradum quemlibet primùm in 100 partes, victam imitatus pag. 29. Calendarij, partitur, deinde quamlibet partem centeſimam, ad calculi facilitatem dimidit. Radium verò facile vnius partis in 1000, 000,000,000,000; & in ijſdem partibus rectas circulo adſcriptas, putà ſinus arcuum, & tangentes, atque ſecantes diuidit, de quibus fuſiſſimè dictum eſt vtili Præfatione ad Theodoſij ſphærica.

Cùm autem Gellibrandus, poſt Neperum & Briggium, per Logarithmos progediatur, quos ferè omnes iudicant longè faciliores reliquis ſinuum & tangentium canonibus antea vſurpatis, hic autor præ reliquis legatur, atque teratur, quippe ſatisfacit abundè, tum

pro planis triangulis in 2. Britannicæ Trigonometriæ; tum pro sphæricis in 2. artificialis trigonometriæ libris.

Vt autem ea quæ dicta sunt hactenus de sphæricis, ad cosmographiam breuissimè contrahamus, peculiarem tractatum, quem vocare possis Cosmographiam Astronomicam, quòd ex æquo vtrique conueniat, Autolici, Theodosij, & Euclidis Phænomenis, veluti Corollarium subiungemus, ex quibus valeant intelligi, quæ in illo tractatu quispiam desiderare posset.

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

COSMO-

COSMOGRAPHIA ASTRONOMICA:

AD REVERENDVM P.

FRANCISCVM LANOVIVM:

F. M. MERSENNVS S. P.

VM à pluribus annis, R. P. non solùm Patres Græcos & Latinos, sed alios præterea libros plus minus ICCXL euolueris, & euiscceraueris, nouosque, vi quâ polles ingenij propemodum infinitâ, in lucem edendos tanto numero scripseris, vt etiam æquare possint numerum illum Platonicum, vel illius ad minimum partes aliquotas ad calcem Præfationis ad Hydraulica relatas. Iter illud, ad quod accingeris, vt Te Summi Pontificis iussu, Collegam admodum Reuerendi Patris Laurentij à Spezzano, Ordinis nostri Dignissimi Generalis exhibeas, non debet fructus illos vberrimos suffla-minare, quos viri Docti à te propediem expectat: quosque, nullus dubito, quin superiores abs te vel precibus, vel iussu, statim atque rescierint tuorum operum inscriptionem, pulchritudinem, & vtilitatem, extorqueant.

Quid enim vtilius, aut pulchrius singulis totius Religionis Christianæ Formulis, & Ritibus, hucusque à Christo Domino, quaquà patet, vsurpatis? Quodnam Calendarium cum Anno tuo Eucharistico conferendum? Quid tuæ Patriæ Annales, quid Theologum, quid Angelica, quid tunica elegantissimo stuplo à te parata, commemorem, quibus tolam Ecclesiam XXX sequentibus annis illustratam iri confido.

Gaudeat igitur minimus noster orbiculus, qui Tuorum operum splendore, tuisque consilijs illuminatus maximas gratias, Diuino

primùm n̄umini, deinde Summo Pontifici habere debeat, quorum prouidentiâ Generalem & Collegas accepit, qui non solùm parta tueantur, verùm etiam illius terminos promoueant.

Dum igitur, R. P. thesauros illos ampliſſimos abs Te collectos expectamus in literatorum, & Eccleſiæ Catholicæ vſum effundendos, hoc accipias Aſtronomicæ Coſmographicæ opuſculum quòd in amicitiæ noſtræ antiquæ, & ſinceræ teſtimonium, Tuo nomine inſcriptum volui; quippe refert œconomiam, quâ in ipſo itinere, ſiue terreſtri, ſiue maritimo, recrees animum, & opera Dei circumſpiciens maiore ſemper diuini amoris flammâ ſuccendaris.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NIL intereſt, Beneuole, ſi mentem Ptolemaicorum, vel Tychonicorum ſequaris; ſiue Philolai, Ariſtarchi (de quo in Plamnite) & aliorum Pythagoræorum anteponas ſententiam: lectione ſequentium propoſitionum veritatem aſſequêris. Vt verò ſupremum iſtius autorem ſcientiæ magis magiſque ſuſpicias, atque venereris, mecum, obſecro, pernicitatem ſiderum contemplare, quæ tanta eſt vt ſtella quælibet iuxta Æquinoctialem ſita, minuto horario, motu raptus ſeu diurno, 15′ percurrat, quæ in octauo cœlo leucis 70000, in terra verò 5 leucis reſpondent: ſuppono namque firmamenti ambitū 100800000 leucarum; diametrūque 32072727$\frac{3}{11}$ quarum vnaquæque ſit 3000 paſſuum, & paſſus 5 pedum Regiorum. Eædem ſtellæ durante 1″ temporis, faciunt leucas in firmamento 1166$\frac{2}{3}$, in terra 250 paſſus.

At verò ſi de proprio ſtellarum motu loquamur, qui 28800 annorum ſpatio perficitur, conficiunt gradum ſpatio 80 annorum, qui reſpondet 280000 leucis firmamenti, 20 verò terræ leucis. Spatio menſium 16, minutum, leucis 4666$\frac{2}{3}$ firmamenti, terræ $\frac{1}{3}$ leucæ, ſeu 1000 paſſibus reſpondens. Octo verò diebus, horis, 48′, ſeu 1168′, quot ſunt dies in 32 annis, 1″ conficiunt, quod in firmamento conſtat leucis 77$\frac{7}{9}$; in terra verò paſſibus 16$\frac{2}{3}$. Spatio 3 horarum, 14′, 48″, faciunt 3‴, quod in firmamento conſtat vnâ leucâ, 888 paſſibus, pedibus 4, 5 digitis, & 4 lineis: in terra verò digitis 16$\frac{2}{3}$, ſeu 200 lineis. Spatio 3′, 14′, & 48″, conficiunt 1‴, quod firmamenti paſſibus 64, pedibus 4, lineis 10$\frac{1}{3}$ 10$\frac{1}{3}$, terræ verò lineis 3$\frac{1}{3}$ reſpondet. Spatio annuo 45′ faciunt, hoc eſt 3500 leucas firmamenti; terræ verò $\frac{1}{4}$ leucæ.

2009 Ministerio de Cultura

Spatio diei conficiunt 7 $\frac{191}{487}$, id est firmamenti leucas 9, passus 1747, pedes 2 $\frac{81}{487}$: terræ verò passus 2 $\frac{26}{47}$.

Spatio horæ faciunt 18^{4}, & 28^{5}, 49^{6}, 46^{7}, 26^{8}, 51^{9}, 27^{10} $\frac{181}{487}$, hoc est passus firmamenti 1197. pedes 4, lineas 7; & terræ digitos 5 $\frac{65}{487}$.

Spatio 1′, conficiunt in firmamento passus 20, digitos 2, lineas 2 $\frac{87}{500}$; in terra verò lineam 1 $\frac{13}{487}$.

Spatio 1″, in cœlo faciunt pedem 1, digitos 7, lineas 11 $\frac{2223}{3000}$: in terra autem lineæ $\frac{250}{1461}$: vbi nota denominatorem esse 4 annorum diebus æqualem.

Denique spatio 1‴ faciunt in cœlo lineas 4 $\frac{1}{120}$ si ludere volueris in proportionibus terræ, & firmamenti, scias ambitum terræ esse 7200 leucarum: eius diametrum 2290 $\frac{10}{11}$: maximum illius circulum 4123636 $\frac{4}{11}$. totam superficiem 16494545 $\frac{5}{11}$. Conum, cuius altitudo, terræ radius; basis autem maximus terræ circulus, leucarum cubicarum 1574479338 $\frac{108}{111}$. terræ verò soliditatem, 6297927273555. eiusdemmodi leucarum Gallicarum, 2500 constantium hexapedis. Quemadmodum enim maximus circulus est quarta pars totius superficiei, ita conus ille totius est soliditatis quadrans.

Cùm autem satis constet ex nostris tractatibus, me leucam Gallicam 15000 pedibus Regijs: pedem 144 lineis, lineam 10 minutioris arenæ granis definire, facilius fuerit multitudinem similium arenarum, quibus conflanda sit tota non solùm orbis nostri, sed etiam totius mundi soliditas, quaqua nobis patet, calculis subducere, quàm vt tuum animum grauioribus intentum, diutiùs ab his propositionibus percurrendis distrahere velim. Quibus si sphærica præcedentia coniunxeris, ausim Tibi subtiliorem totius Cosmographiæ, & Astronomiæ cognitionem polliceri.

Propositio prima.

CIrculus æquinoctialis cælestem & terrenum globum in duas partes æquales diuidens distinguitur in 360. gradus, vt æquilibet alius circulus tam maior quàm minor, ob facilitatem diuisionis huiusce numeri, quippe qui habet partem mediam, tertiam, quartam, quintam, sextam, octauam, &c. cuius sexta pars est 60, qui plurimas etiam diuisiones absque fractionibus patitur: hæc autem sexta pars à circulo, seu radio describente circulum, generatur, quæ rursus in 60 minuta prima, quodlibet minutum primum in 60 secunda, & sic in infinitum, vel pro libito deinceps diuiditur.

II.

Quodlibet gradus æquinoctialis, seu continet 20. leucas, quarum quælibet 3000. passuum est, passus autem 5. pedes regios habet: pes regius in lineas diuiditur; linea verò continet 10. grana arenæ minutissimæ: igitur circulus æquinoctialis in terra 7200. leucas complectitur in cœlo solis apogæi totidem leucas 1181. perigæi 1101. in firmamento verò totidem 14000. id est 100800000. leucas: igitur vni gradui solari apogæo respondebunt leucæ 12620, quæ nascuntur ex 20. ductis in 1181. Hinc deduces quot leucas contineat gradus firmamenti; & cui parti cœli solaris, vel firmamenti leuca vna terrestris respondeat: reliquas mensuras, nempe milliare Helueticum, seu Germanicum maius 5 milliarum: milliare 8 stadiorum: stadium 125. passuum: passum 5 pedum; pedem 4 palmorum: palmum 4. digitorum: digitum 4 granorum hordei lateraliter dispositorum, vt potè iam apud nos inusitatas non moror.

III.

Cum cuiuslibet gradui æquinoctialis terrrestris 15. milliaria Germanica respondeant, ambitus terrenus erit 54000 milliarum Germanicarum; & cùm circumferentia se habeat ad diametrum vt 22 ad 7. diameter terræ erit milliarium 1718 $\frac{2}{11}$, & semidiameter 859 $\frac{2}{11}$: sumamus facilitatis ergo 860, dimidia circumferentia 2700. multiplicata per 860 dabit aream æquinoctialis milliariorum 1322000, qui per 4 multiplicati, dabunt totam superficiem terrenam milliariorum 92880000: Denique si illa arca ducatur in semidiametrum, efficiet cylindrum semidiametro sphæræ æquè altum, milliariorũ 1996920000: cuius tertia pars 665640000 quater collecta totius terræ soliditatem milliarior. Germanicor. 2662560000 tribuet: hinc facilè reperietur terræ soliditas in nostris leucis.

VI.

Longitudo terræ sumitur ab insulis Fortunatis, vel Canariæ, numeraturque in æquinoctiali, vel circulo ei parallelo inter fixum meridianum occidentalem Fortunatum, & meridianum verticalem cuiusque loci intercepto: itaque meridiani distinguunt; æquinoctialis autem, & ei paralleli mensurant longitudinem.

V.

Æquinoctialis seu ἰσημερινὸς noctem dici æqualem efficit, cum sol in eo versatur, diuiditque sphæram in partem septentrionalem, & meridionalem: cuius poli, sunt poli mundi, huius autem 15 gradus ex vna parte oriuntur, & ex alia occidunt singulis horis: igitur & gradus vnus

© 2009 Ministerio de Cultura

oritur quibuſque minutis horæ, & quarta pars gradus, ſeu $\frac{1}{15}$ vnoquoque horæ minuto: ideoque æquinoctialis menſura primi mobilis dicitur.

VI.

Æquinoctialis oſtendit puncta æquinoctiorum, quæ bis in anno contingunt: diuidit Zodiacum in duas medietates, auſtralem, & ſeptentrionalem: hinc ſigna auſtralia, & ſeptentrionalia: eſt menſura temporis & oſtendit quam habeant declinationẽ ſeptr. aut meridion. ſtellæ, vel eclipticæ partes, inſuper & in hoc circulo aſcenſiones, & deſcenſiones ſignorum zodiaci obſeruantur.

VII.

Linea perpendicularis lineæ meridianæ, repræſentat æquatorem, & contra: quæ tamen abſque linea meridiana deſcribetur, ſi linea recta ducatur per puncta apicis vmbræ à ſtylo, die æquinoctij verni, vel autumnalis productę. Data autem poli altitudine datur æquinoctialis altitudo, quippe quæ eſt complementum quadrantis circuli; exempli gratia altitudo poli Lutetiæ eſt 48. graduum, 45: igitur æquinoctialis, ac proinde ſolis in primo gradu ♈, vel ♎ altitudo eſt 41. graduum, 15. Et contra, data æquinoctij altitudine datur altitudo; ſed & totius cœli, & terræ ſtatus ex vnius ex iſtis circulis data eleuatione ſciri poteſt, dummodo longitudo loci cognita ſit.

VIII.

Æquator in ſphæra recta tranſit per verticem, ſeu polum horizontis in parallela, horizonti concidit, eſtque ipſe horizon: in obliquis autem ſphæris facit angulos acutos cum horizonte, quos faciebat rectos in recta, in qua omnia cœli puncta quotidie oriuntur & occidũt, exceptis tamen mundi polis: propterea huius ſphæræ incolis perpetuum eſt æquinoctium, duplex æſtas, duplex hyems; & 4 vmbræ, nempe orientalis, & occidentalis, ſeptentrionalis, & auſtralis: hinc *Amphyſcij*, ſeu *Amphyumbræ* dicuntur: quod etiam obliquæ ſphæræ contingit, cuius vertex eſt inter æquatorem, & tropicorum alterum.

IX.

In ſphæra obliqua, cuius vertex eſt in vno tropicorum, æquator $66\frac{1}{2}$ ac proinde polus $13\frac{1}{2}$ gradus eleuatur; & circuli polares conſtituunt ſemper apparentium, ſemperque latentium maximum circulum: huius incolæ vnicam æſtatem, & hyemem habent, & vmbra ſeptentrionali carent: hinc *Heteroſcij*, ſeu *alteriumbræ* vocantur: hæ autem 3 ſphæræ, nempe recta, & duæ poſteriores obliquæ, ſunt in *zona*

torrida, quæ vtroque tropico terminatur, & quam æquator per medium secundùm longitudinem, sicut ecliptica zodiacum, secat.

X.

Æquator, & polus æquales habent 45 graduum altitudines in sphæra obliqua, cuius vertex est medius inter tropicum, & polarem circulum: hinc tantus est calor æstatis, quantum est frigus hyemis: calor eo maior est, quo altior fuerit æquator; frigus intensius, quo polus sublimior. In sphæra verò obliqua, cuius vertex est in circulo polari, æquator 23 $\frac{1}{2}$, polus 66 $\frac{1}{2}$ gradibus eleuatur: dies autem maximus est 24 horarum: quo Zona temperata finitur versus polum, sicut tropico, versus æquatorem.

XI.

Zona frigida incipit à circulo polari, in qua noctes, diésque maximæ eò fiunt maiores, quò vertex incolarum magis ad polum accedit, donec sphæra parallela fiat, in qua Septentrionales eo priuilegio gaudent, quòd dies eorum maxima sit 7, & ampliùs diebus longior quàm maxima dies australium; quòd illos sol in signis septentrionalibus existens illuminet, in quibus tardiùs incedit ob locum apogæi in ☌ positi. Quibus si crepusculum addamus, (quod fit à sole sub horizontem 18 gradibus depresso) nec non refractiones, dies artificialis 9 mensium, & 12 dierum apud sphæræ parallelæ incolas esse poterit, cùm 21 gradus ♍, & 9 ♒, grad. 18 ab æquatore declinent. Nox verò è contrario, 7 diebus longior est apud Australes, quàm apud septentrionales. Hi autem *Periscij*, hoc est, *circumumbræ* vocantur, quia vmbræ quaquauersum in gyrum, ob solem circa horizontem æquidistanter gyrantem, proijciuntur. Vide, num ista sphæra sit omnium ignobilissima, recta verò omnium nobilissima: & seriò contemplare, cur Deus sphæram terrestrem ita cælesti iunxerit, vt in sphæra, cuius vertex est intra polarem circulum, & polum, signa circa vernum æquinoctium sita præposterè oriantur, id est ♉ ante ♈, & ♈ ante ♓: & signa circa æquinoctium autumnale posita præposterè occidant, nempe ♎ ante ♍, & ♏ ante ♌.

XII.

Zodiacus, seu Σημεοφόρος, in punctis oppositis æquatorem ad angulos obliquos intersecat: cuius latitudo est 12, vel 16 graduum; medium autem istius circuli obtinet Ecliptica, sic dicta, quod luna solem obscuret, cùm sub ea directè ista duo luminaria coniunguntur; cùm autem sub eadem ecliptica è diametro opponuntur, sol lunam nobis occultat, & ita fiunt eclypses.

2008 Ministerio de Cultura

XIII.

Ecliptica secundùm latitudinem indiuisibilis, æquatorem intersecando, tropicum æstiuum Capricorni, & hybernum Cancri statuit: ob quem signa illa descendentia dicuntur, quæ à ♋ ad ♎, ascendentia verò quæ à ♎, ad ♋ continentur: quia sol descendit in illis, & ascēdit in istis. Præterea duo puncta æquinoctialia notat in æquatore.

XIV.

Aliæ sunt signorum diuisiones, iuxta varias intersectiones, & relationes circulorum inter se: vt ex intersectione colurorum, & zodiaci, ♈, ♉, ♊ dicuntur *vernalia*, quia cùm sol versatur in illis, Martem, Aprilem, & Maium efficit: ♋, ♌, ♍, *æstiua*, & sic de reliquis, iuxta 4 anni tempestates. Quæ autem contingunt intersectiones, vt ♈, ♋, &c. dicuntur *cardinalia*: sequentia verò, *fixa*; reliqua sunt *communia*. Omitto reliquas diuisiones, vt trigonorum ignei, aërei, & terrei, & dodecatemoriorum, in quæ totum cælum diuidi concipitur, penes 12. partes zodiaci.

XV.

Duodecim signa naturalia, in quæ Zodiacus diuiditur, incipiunt à communi sectione æquatoris, coluri æquinoctiorum, & eclipticæ, procedendo versus orientem; quorum primum est ♈, ver incipiens, deinde ♉, &c. quem ordinem appellant successionem, & consequentiam signorum; contrarium verò ordinem, præcedentiam. Zodiacus verò, & ecliptica motus secundos planetarum, vt æquator, motum primum, mensurat: Deinde numeratur siderum longitudo in ecliptica ab ♈ initio, secundùm sequelam signorum, vsque ad circulum maximum per polos eclipticæ, stellæ locum transeuntis; sicut longitudo terrestris in æquatore à primo meridiano occidentali vsque ad meridianum transeuntem per locum propositum.

XVI.

Ab ecliptica vsque ad polum numerantur siderum latitudines: est autem latitudo hæc, arcus circuli maximi per polos eclipticæ, & stellam incedentis inter eclipt. & stellam interiectus. Tales autem arcus, circuli latitudinem appellantur. Puncta verò inter æquatorem & eclipt. existentia, respectu æquatoris sunt borealia, & respectu eclipticæ, australia, vel contra.

XVII.

Ecliptica continet omnium siderum loca: nam stella est in eo gradu eclipticæ, per quem circulus latitudinis eiusdem stellæ incedit: sic enim stellæ existentes in coluro solstitiorum, sunt in primo gradu ♋ vel ♑. Qua ratione omnes stellæ firmamenti ad vnum ex 12 zodiaci

signis referuntur. Omitto circulos quos ecliptica parallelos eodem modo statuere possemus, quo Astronomi 182 æquatori parallelos imaginantur, per quos sol toto anno incedit, quorum extremi sunt 2 tropici, medius verò æquator.

XVIII.

Coluri per polos mundi, & 4 puncta cardinalia zodiaci transeuntes sese mutuò ad angulos rectos sphærales in ipsis polis intersecant, & vnà cum sphæra voluuntur: ita vocati, quia mutili videntur in obliqua sphæra, cùm vna pars semper infra horizontem deprimatur, alia verò supra eleuetur: horum vnus dicitur æquinoctiorum, qui per punctа intersectionis æquatotis, & ecliptica transiens duo puncta æquinoctialia, nempe ♈ & ♎ statuit: alter verò solstitiorum, quia æquatorem in illis punctis ad angulos rectos diuidit, in quibus sol æstatem & hyemem incipit, nempe in primo gradu 69, & ♑: qui propterea colurus maximas solis declinationes metitur, zodiaci polos continens, eorum à polis mundi distantiam ostendit: Infiniti verò coluri ad singulas siderum ab æquatore declinationes ostendendas statui possunt.

XIX.

Meridianus, seu μεσημβρινος, in quocumque situ sphæræ meridiem, & mediam noctem efficit, continétque duo puncta Zenith, & Nadir sibi inuicem opposita: primus autem meridianus vulgò statuitur in insulis Fortunatis, ab alijs in insula *ferri*: sunt autem 36, vel potius 18 meridiani, cum iidem meridiani vnius hemisphærij alteri etiam hemispherio seruiant: singuli quippe 10 inter se distant gradibus: quamquam geometricè loquendo, tot sint meridiani, quot puncta verticalia, quemadmodum tot horizontes, quot sunt diuersa puncta terræ: qui vnicuique gradui meridianum assignant, 180 statuunt.

XX.

Idem est meridianus progredientibus rectà à septentrione in meridiem secundùm latitudinem: solis autem, & stellarum maximam altitudinem, earum ab æquatore distantiam poli altitudinem, & totius terræ habitudinem ostendit: atque latitudinem terrenorum locorum metitur, de qua nunc agendum est.

XXI.

Latitudo numeratur in meridiano, ab æquatore versus alterum polorum, & ostendit quanto punctum quodlibet ab æquatore distet; alter polorum mundi eleuetur, & alter deprimatur: est autem latitudo cuiuscumque loci, seu arcus meridiani interceptus inter Zenith, & æquatorem, æqualis eleuationi poli supra horizontem: hæc autem eleuatio

2009 Ministerio de Cultura

eleuatio est arcus meridiani ab horizonte ad polum mundi ductus.

XXII.

Quemadmodum latitudo terræ numeratur in meridiano insularum Fortunatarum, vel in alio orientaliori, ita declinatio siderum in iisdem meridianis numerari potest; qui tamen propterea *circuli declinationum* appellantur, quia ostendunt quantum stellæ, vel planetæ distent ab æquatore, & ab eo versus polum declinent. Possunt etiã *verticales* appellari, quatenus per verticem cuiusque loci transeuntes, perque horizontis singula puncta perpendiculariter descendentes, siderum altitudinem supra horizontem, aut depressionem infra meridiantur: Arabicè verò *Azimuth* in astrolabiis vocari solent, quòd ostendant in qua parte mundi sidus oriatur, aut occidat.

XXIII.

Meridianus incipit diem astronomicum; potest autem punctum meridianum diuersis modis reperiri, vt arborum abscissione, quarum trunci ostendunt circulos densiores, seu sibi viciniores esse ex parte septẽtrionis; acu in aqua, suberis auxilio, natante; ferro in aëre liberè suspenso, acu magnetica, dũmodo illius declinatio cognoscatur: quadrante astronomico; breuissimâ diei vmbrâ à stilo proiectâ. Possumus etiam inuestigare quot gradibus sol eleuetur supra horizontem, siue sit in meridie, siue extra meridiem; eius enim altitudinem dabit triãgulus, cuius latus vnum sit vmbra stili, aliud linea stilo æqualis, vmbræ per pedem stili perpendiculariter acta; tertium verò latus coniũdens repræsentabit arcum verticalem, quo solis altitudo mensuratur.

XXIV.

Horizon astronomicus, seu verus diuidit totam mundi sphæram in duas partes æquales, nempe in hemisphærium superum, seu visum, & inferum, seu occultum, cuius centrum idem est cum centro mundi, poli verò Zenith, & Nadir incolæ: Horizon physicus, seu sensibilis, & visualis, astronomico æquidistans est pars terræ quam oculis detegimus: cuius semidiameter in planitie est leucæ circiter, cũ oculus 6 pedes altus est; qui si ad leucæ altitudinem eleuetur, semidiameter horizontis sensibilis erit 5 1 leucarum, vt l. 3. de Veritate scientiarum, c. 2. demonstratum est.

XXV.

Quilibet horizon vnicum habet incolam; in quo stantia ei ita perpendicularia esse debent, vt linea directionis transeat per duos polos, & centrum horizontis, & per puncta grauitatis stantium siue turriũ, siue arborum, siue hominum: sed de linea directionis, & de his cen-

tris, in Mechanicis agendum erit.

XXVI.

Horizon ad omnes prædictas sphæras, nempe rectam, obliquam, & parallelam statuendam cõcurrit: vnde rectus, obliquus, & parallelus appellatur: ortus & occasus siderum limbo suo determinat: latitudines ortiuas, & occiduas ab ortu, & occasu æquinoctiali incipientes ostendit, quantitatem diei, & noctis, quarum est terminus, & 4 pũcta, nempe ortum, occasum, septentrionem, & meridiem, nec non quãtitatem duorum circulorum æquatori, ac tropicis parallelorum, ex polis mundi vsque ad horizontem descriptorum, quorum descriptus ex polo conspicuo, dicitur maximus apparentiũ, alter verò maximus occultorum determinat. *Ex quibus alia possunt intelligi quæ de horizonte dici solent.*

XXVII.

Circuli horizonti paralleli, qui altitudines, & depressiones siderum ostendunt, in Astrolabio vocantur *Almicantarath*, vel circuli progressionum, inter quos circulus crepusculi numeratur, qui parallelus est horizonti, & infra eum 18 gradibus deprimitur. *Hactenus de circulis maioribus sphæræ mundanæ: sequuntur minores.*

XXVIII.

Tropici sunt circuli minores æquatori paralleli, à quo nunc 23 gradibus distant; sed hæc distantia diuersis sæculis diuersa est; quæ tamẽ variatio 24' hactenus notata fuit: duo verò tropici ostendunt maximam solis & eclipticæ declinationem ab æquatore; tropicus ♑ septẽtrionalem: & tropicus ♋ australem: ille etiam maximam, hic minimã solis altitudinem meridianam: ille maximum diem, & breuissimam noctem in æstiuo solstitio, hic autem in brumali maximam noctem & diem breuissimam complectitur: quæ tamen quantitates neque in recta sphæra, neque in obliqua vltra altitudinem poli 66½ graduum à tropicis ostenduntur: in illa enim arcus diurni, & nocturni sunt semper æquales, in hac verò quantitates prædictæ ab ecliptica ostenduntur; & in altitudine poli 66½ graduum vnus tropicorum totus supratur; & in altitudine poli 66½ graduum vnus tropicorum totus supra horizontem extat, eumque in puncto tangit; alter verò totus latet infra horizontem.

XXIX.

Circuli polares sunt diurnæ conuersiones polorum ecliptice circa polos æquatoris, à quibus 23½ distant gradibus, totidem videlicet, quot puncta solstitialia, vel tropici ab æquatore. Ex quibus 5 zonæ facilè intelligi possunt, quippe quæ 4 circulis æquatori parallelis continentur: torrida enim est inter 2 tropicos, duæ temperatæ inter tro-

picos, & circulos polares: & duæ polares inter ambitum circulorum olarium.

XXX.

Paralleli sunt circuli hinc inde æquatori paralleli tantùm inter se distantes quantum requiritur, vt maxima dies vnius horæ quadrante differat à maxima die alterius paralleli. Statuũtur autem 48 ab æquatore vsque ad circulum polarem, seu eleuationem poli grad. 66 .

XXXI.

Climata sunt etiam æquatori parallela; continent autem tres parallelos: illorum enim tanta est latitudo, vt à termino australi ad borealem maxima dies per semihoram excrescat: sunt autem eo angustiora climata quò magis ad septentrionem accedunt. Si quis animi gratia Sidero graphiam in stellis, atque planetis statuere velit, poterit parallelos, climata, polos, æquatorem, & alios circulos, cum maiores, tum minores, terrenis analogos ponere; scimus enim quæ sit proportio terræ cum corporibus siderum; quandoquidem semidiameter terræ est ad semidiametrum ☽, vt 3. $\frac{1}{2}$ ad 1, vel vt 17 ad 5 Ad semid. solis, vt 1 ad 5 $\frac{1}{2}$, vel 5 ad 26. Ad semid. ♃, vt 2 $\frac{2}{5}$ ad 1, vel vt 8 ad 3: Ad semid. ☿, vt 1 $\frac{5}{8}$ ad 1, vel vt 11 ad 6. Ad semid. ♂, vt 2, ad 1, vel vt 12 ad 5 ad sem. ♅, vt 1 ad 2 $\frac{1}{2}$, vel vt 5 ad 12. Ad semid. ♄, vt 11 ad 31. Denique ad semid. stellarum primæ magnitudinis, vt 3 ad 13. Vnde sequitur terram milliaria cubica 1700325216oo continentem, quæ ad maris soliditatem esse dicitur, vt 2290 ad 1: Ad aëris solid. vt 27. ad 13 & ad ætheris soliditatem, vt 1 ad 140608: esse ad ☽ soliditatem, vt 40 ad 1: ad solis solid. vt 1 ad 140: ad ☿, vt 19 ad 1: ad ♀, vt 6 ad 1 ad ♁, vt 13 ad 1: ad ♅, vt 1 ad 14: ad ♄, vt 1 ad 22: ad stellas verò primæ magn. vt 1. ad 70. Denique ad mundi sphæram vt 1 ad 27440000000000. Omitto distantias omnium siderum à terra, de quibus alibi dictum est: tãtùm aduertam stellas 14000 semidiametris terrenis à centro terræ distare.

Notandum est autem climata denominari à ciuitatibus, & aliis locis, per quæ transeunt: primum igitur transit per Meroëm; 2 per Alexandriam; 3 per Rhodum & Babylonem: 4. per Romam, Corsicam, & Hellespontum: 5. per Venetias: 6. per Podoliam: 7. per Vitebergam: 8. per Rostochium: 9. per Hyberniam: 10. per Bous castrum Norvegiæ, 11. vt per Gothiam: 12. per Viburgum Finlandiæ: 13. per Arotiam Sueciæ: 14. per fluuij Dalecanlij ostia: 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. per reliqua loca Norvegiæ, Sueciæ, Albæ-Russiæ, & Insularum vicinarum.

Porrò pauciora climata ab antiquis posita sunt, quia terræ partes, quæ iam detectæ sunt, non illis innotuerant: verùm poterit quispiã parallelos, & climata vsque ad polum arcticum, & antarcticum pro-

Para.	Clima-ta.	Hora.	Min.	grad⁹	Min.	Grad.	Min.
1	I.	12	15	4	18		
2		12	30	8	34		
3	II.	12	45	12	43	7	50
4		13	0	16	43		
5	III.	13	15	20	33	7	3
6		13	30	23	11		
7	IV.	13	45	27	36	6	9
8		14	0	30	47		
9	V.	14	15	33	45	5	17
10		14	30	36	30		
11	VI.	14	45	39	20	4	30
12		15	0	41	12		
13	VII.	15	15	43	32	3	48
14		15	30	44	29		
15	VIII.	15	45	47	20	3	13
16		16	0	49	1		
17	IX.	16	15	50	53	2	44
18		16	30	51	58		
19	X.	16	45	53	17	2	17
20		17	0	54	29		
21	XI.	17	15	55	34	2	0
22		17	30	56	37		
23	XII.	17	45	57	34	1	40
24		18	0	58	26		

ducere, quemadmodum meridiani per omnem terræ circumferentiam multiplicantur: qui 180. erunt, si 4. solùm horæ minutis, id est vno gradu æquatoris; 12. verò, si hora, vel 15. gradibus æquatoris inter se distent. Quæcumque verò ad parallelos & climata pertinent, sequenti tabula comprehenduntur, in qua primus ordo numerorum parallelos 24; secundus 23 climata: tertius maximum diem vnicuique parallelo conuenientem: 4 altitudines *poli*, siue latitudinem regionis: 5 denique latitudines climatum ostendit.

Para.	Clima-ta.	Hora.	Min.	grad.	Min.	grad.	Min.
25	XIII.	18	15	59	14	1	16
26		18	30	59	59		
27	XIV.	18	45	60	40	1	13
28		19	0	61	18		
29	XV.	19	15	61	53	1	1
30		19	30	62	25		
31	XVI.	19	45	62	54	0	52
32		20	0	63	22		
33	XVII.	20	15	63	46	0	44
34		20	30	64	6		
35	XVIII.	20	45	64	30	0	36
36		21	0	64	49		
37	XIX.	21	15	65	9	0	29
38		21	30	65	21		
39	XX.	21	45	65	35	0	22
04		22	0	65	47		
41	XXI.	22	15	65	57	0	16
42		22	30	66	6		
43	XXII.	22	45	66	14	0	11
44		23	0	66	20		
45	XXIII.	23	15	66	25	0	6
46		23	30	66	28		
47		23	45	66	30	0	0
48		24	0	66	31		

Alia sunt quæ ad Astronomiam atque Geographiam pertinent, qualis est doctrina de secundis planetarum motibus, deque eorum magnitudinibus & distantijs cum à terra, tum à se inuicem, sed quæ longiora sunt quàm vt hocce breui compendio contineri possint. Quamobrem latitudinum & longitudinum tabulas omitto, quibus vrbium, & aliorum locorum situs exhiberi solent. Quarumdem tamen vrbium longitudinem & latitudinẽ à quibusdam obseruatas affero, quarum prima sit Lutetia, cuius longitudo, ab vna ex insula Hesperidum quæ *Ferri* dicitur, sumpta, est 24 grad. 30′: latitudo 48. 45′, in qua acus magnetica à polo versus orientem 3 grad. declinat.

Longitudo Rothomagi est 23 graduum, latitudo 49. 30.

Dieppæ longitudo est 22 30: latit. 50. 3.

Londini longitudo 20, latitudo 52 esse dicitur. Romæ long. 36. latit. 41.56. Venetiarum long. 34. latit. 45. Omitto reliquias vrbes, vt Hierusalem, cuius long. 66. latit. 31. 40. Babylonem, cuius long. 83. lat. 34. &c. quarum latitudines exactæ haberi poterunt, si Mathematici sumpserint altitudinem poli singularum ciuitatum; longitudinum verò differentiam, si earundem eclipsium lunarium initia in illis vrbibus obseruarint.

Aduertendum est autem circulos parallelos eò minores esse, breuioráque climata, quò magis ab æquatore recesserint, & accesserint ad polos; enimuero gradus æquatoris, qui 51. milliaria Germanica complectitur, 14 solùm in 21 gradu latitudinis, 13 in 30 gradu: 12. in 37. gradu: 11 in 48 $\frac{1}{2}$, vt Lutetiæ: 6 in 66 gradu, in quo sunt circuli polares: 1 denique milliare in 86 gradu continet. Vnde facillimum erit computare quot leucis parallelus quispiam constet: numerus enim graduum paralleli, nempe 360, multiplicatus per leucas vno gradu comprehensas, quæsitum leucarum numerum exhibebunt. Superest hic vt omnes terræ incolas inter se conferamus.

Habitationum collatio.

PERIOECI dicuntur sub eodem parallelo habitantes, quasi circumcolæ: his eadem est & eiusdem poli celsitudo: æquales simul arcus tam diurni, quàm nocturni: eadem astrorum & signorum apparitio, occultatio, ortus & occasus: simul habent æstatem: simul hyemem: simul ver: simul autumnum: easdem meridianas vmbras: per idem interuallum anticipant tam ortum quàm occasum.

Antœci sunt, qui sub æqualibus & oppositis parallelis habitant, quasi contracolæ. His æqualis est, sed diuersorum polorum celsitudo. Æquales, sed oppositorum punctorum arcus tam diurni, quàm nocturni. Eadem sed oppositorum astrorum & signorum apparitio, occultatio, ortus & occasus. Quando his fit æstas; illis hyems. Quando his fit ver, illis autumnus. Æquales habent, sed in oppositis solis locis & in diuersum proiectas vmbras meridianas.

Antichthones, siue Antipodes sunt, qui non solùm sub æqualibus & oppositis parallelis habitant, sed etiam in locis per diametrum oppositis, atque contrariis inuicem pedibus terram calcantes. Itaque omnia quæ Antœcis accidunt, etiam ad Antipodes omnino

ſpectant. Sed Antipodum hoc eſt proprium, quod habent communẽ horizontem,& hemiſphæria diuerſa,ac vertices diuerſos,& quicquid his oritur,illis occidit:quidquid his extat, illis deliteſcit: quicquid his aſcendit,illis deſcendit.

Amphiſcij ſunt qui intra Tropicos habitant, his enim vmbra meridiana quandoque dextrorſum, quandoque ſiniſtrorſum ſoli orienti proiicitur. Qui etiam duas æſtates,& totidem hyemes habent.

Periſcii ſunt, qui ſub polo: his enim vmbra per totum horizontis ambitum,ſole ſimiliter circumlato, circumfertur.

Antiſcii ſunt Perioeci,quibus quidem æqualis & eodem verſus meridiana vmbra flectitur.

Heteroſcii ſunt qui & Antœci,quibus in diuerſum proiicitur vmbra meridiana. Poſſunt intelligi Heteroſcii, quibus altera vmbrarum tantùm, hoc eſt verſus vnum polorum in meridie proiicitur; vt potè extra tropicos habitantibus.

Omitto plurima quæ pertinent ad Aſtronomiæ,& Geographiæ terminos,qualia ſunt epicyclus,excentricus,concentricus, proſtaphæreſis; inſula, peninſula,iſthmus, &c. vel quia faciliora ſunt; quàm vt explicatione indigeant,vel quia alibi commodiùs explicabuntur.

MONITVM.

De faciendis obſeruationibus.

QVÆ de Hydroſtatica, & Hyſtiodromica huic opuſculo ſubiiciẽda paraueram, aliqui ſatius fore iudicarunt ſi iungerentur Hydraulicis: quibus morem gerens poſt ſphærica, ſublimes illos de Conicis tractatus accipe, qui magni Geometræ nomen dederunt Apollonio. Multa verò prædictis libris addi poſſunt, verbi gratiâ Theoria planetarum, quæ cùm plura diagrammata requirat, in aliud tempus differenda: deinde Geographia, quæ tam longitudinem, quàm latudinem cuiuſque ciuitatis, aut alterius loci doceat, ſed cùm nondum ſatis longitudines innotuerint, poſtera ſæcula varijs obſeruationibus futuris ſapientiora potiori iure illam exhibebunt. Eos interim monitos velim qui ad animi voluptatem peregrinantur, operæ pretium fore ad Geographiam ex omni parte perfectam,ſi naturæ varia miracula, rerúmque proprietates obſeruent quæ cernuntur in altiſſimis montibus, quales ſunt Pyrænei,Alpes,Vogeſus,Iura,Gebenna, vel etiam altiores. Deinde fluuiorum origines, verbi cauſa Nili, Rhodani, Garumnæ, Ligeris, Sequanæ: & quinam fluuij minores

in maiores ingrediantur, quáue inclinatione quisque currat; vt innotescat quanto velociùs magna currant flumina, vel etiam tardiùs ob nouorum fluuiorum additionem; verbi gratiâ, postquam Rhodanum ingressi sunt fluuij Arar, Isara, & Druentia: vel Garunnam Tarnus, Oldus, Duranius: vel in Ligerim Elauer Caris, Inder, Vigenna, Claris, Meduana, Loira, Sartra: vel in Sequanam Matrona, Icanna, Aësia, Eura. Quódque Galli præstiterint in sua Gallia, suis in regnis & Prouincijs si fecerint alij, Geographiâ nihil præstantius fuerit, quot enim naturæ miranda in origine Padi, Athesis, Anassi, Arsiæ, Arni, Vmbronis, Tiberis, & aliorum fluuiorum Italiam irrigantium Itali obseruabunt? Quis enumeret vtilitates prouenturas ex accurata vel vnius Padi obseruatione, qua notetur quid ei contingat tam in altitudine quàm in velocitate, piscium que maiori, vel minori, hoc, aut illo loco frequentia, vel etiam diuersitate, ob aquarum nouos cumulos, quos in illum profundũt Duria, Seffites, Ticinum, Addua, Ollius, Minius, Tanarus, Trebia, Rhenus, & si qui alij fluuij se in eum exonerent. Idemque de Germanicis, & aliarum prouinciarium fluminibus esto iudicium; quot enim ex vnico Danubio, & fluuiis se in illud exonerantibus; quot ex magno Canadensium fluuio, quot ex Sinensium obseruationibus, si quando fideliter ad nos deferantur: quot denique admiranda ex omnibus Indiæ, vel etiam Magellanicarum terrarum, vbi quis eas inuenerit, historiis speranda sunt, quibus Geographia exornetur.

BIBLIOTECA DEL OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO

RENATO DES CARTES

PERRONII TÆPARCHÆ.

F. M. MERSENNVS EYΠPATTEIN.

CVM plurimi ſynopſim noſtram ad editionem reuocari deſiderarint, VIR NOBILISSIME, partem illam ſubtiliorem de Conicis agentem, libriſque doctiſſimis Clariſſimi Viri Claudij Mydorgij adauctam, Tuo nomine illuſtratam patiaris, obſecro, in lucem prodire, cùm nullus ſit, cui iuſtiùs quàm Tibi nuncupari debeat, qui nouas ſectiones adinueniſti, Tuæque Geometriâ, vtcunque breui, ſcientiarum orbem adeo promouiſti, vt hinc illam cooperis, vbi veloces deſijſſe videbantur.

Quid verò commemorem Hyperbolas, Ellipſeſque, quibus iam poſſimus Tuo lumine non minus quam pilâ ludere: luciſque radios quocumque libuerit torquere, deducere, atque reducere: vt nunc habeant, qui magnum aliquid in mechanicis cum Kepleo præſagiebant, ſi vera Refractionum lex diceretur, quo plurimum gaudeant, Tibique imprimis gratulentur.

Quibus omnibus cùm audiam Te Phyſicam illam ab eruditis viris adeo exoptatam propediem editurum, quæ longè perfectiùs cum noſtræ fidei myſteriis, Theologiciſque dogmatibus, quàm Peripatetica conueniat, omnium Catholicorum nomine Tibi maximas quas poſſum gratias habeo, qui non ſolùm Philoſophicis, ſed etiam Theologiæ veritatibus tam fœliciter patrocinaris.

Perge, Vir incomparabilis, ad Dei gloriam & bonorum omnium vtilitatem, qui mecum venerantur Deum Opt. Max. ſuâ vt luce diuinâ, menti tuæ magis, magiſque affulgeat, donec lumen illud Æternum & immenſum, quo duce laboras, tandem in lumine Gloriæ Beatiſſimus contempleris.

IN APOLLONII PERGÆI CONICA, AD LECTOREM.

PRÆFATIO.

CVm ex sequente ad Hædenum ex præfatione constet 4 solummodo libros Apollonij hactenus à Commandino editos fuisse; tresque alios doctissimus Golius Arabicè recuperarit, placet hîc ea quæ dudum ad me scripsit, hîc in lectoris gratiam apponere. Itaque sexti libri hoc est initium. Mitto ad te, Attale, sextum Conicorum, in quo propositum nobis est agere de sectionibus æqualibus & inæqualibus, similibus atque dissimilibus, earúmque diuisione. Plura verò de hisce diximus, quàm ij qui ante nos Geometræ fuerunt: docuimusque quomodo in cono recto dato sectio inueniri possit æqualis datæ, & è contra. Sequuntur definitiones. Æquales Coni sectiones sunt, quando vnius partes alterius partibus applicatæ nullum excessum, vel defectum habent. Similes autem sectiones sunt, in quibus, cùm segmenta axium inter ordinatas & verticem, eandem inter se habent rationem, ipsæ etiam ordinatæ eandem inter se rationem seruarint, &c.

Propositio prima talis est. Parabolæ habentes latera recta æqualia, sunt æquales, & è contra. Vltima verò. Inuenire conum rectum, dato cono recto similem, in quo sit ellipsis data.

Initium septimi ita habet. Continet septimus hic liber propositiones multas insignes & admirandas ad determinationem, & multa sequentis libri problemata vtilissima, &c. Propositio 1. Si axis parabolæ producatur vltra verticem, donec æquetur lateri recto, & à puncto quouis sectionis in axem ducatur perpendicularis, recta, sectionis punctum illud in sectione cum vertice connectens, poterit rectangulum contentum sub recta inter verticem & perpendicularis incidentiam interiectâ, & totâ ab hoc incidentiæ puncto per verticalem continuata.

Quod verò ad numerum propositt. attinet, habet liber quintus propositiones 77. & septimus 51. Ad calcem codicis Goliani habetur octauum librum non fuisse translatum ab Arabibus, quòd

illorum exemplaria etiam illo libro caruerint: quanquam testatur doctissimus scriptor Aben Nedin, qui Philosophorum Arabum, operúmque ab illis editorum circa CCCC à Mahammede annum, elenchum descripsit, partem istius octaui libri versam fuisse, asseritque omnes Apollonij libros suâ extare linguâ, eosque plures quàm Pappus enumeret.

Suspiciatur tamen C. Mydorgius hos tres libros esse cuiusdam Arabis sub Apollonio latentis, quòd in V suo libro primam Prop. VI. Apollonij superiùs allatam, non solùm in cono recto, sed in quouis, etiam scaleno, & illorum portionibus quibuscumque datis possibilia quæque demonstret.

Sunt autem qui conica breuiùs tradi posse contendant, cuius rei specimen G. Desargues, & post eum B.P. edidit, ex quo speres paucis propositionibus omnia præcipua comprehensum iri: vnicum addo problema quod 39, 40, & 41 l. 3. Myd. propositiones complectitur; nempe, dato cono exhibere in eius superficie omnes conicas sectiones, quæ datæ conicæ sectioni sint eædem: quod etiam problema ipse soluit, sed non vulgauit.

Omitto diuersa problemata, & theoremata generalissima, quæ iam à nostris analystis circa sectiones conicas inuenta sunt, vt tandem ad Apollonium redeamus.

Porrò videantur etiam quæ de harum sectionum proprietatibus libro Hydraulicæ, Prop. IX. quæque in harmoniæ Gallicæ Vtilitate & obseruationibus dicta sunt: imprimis verò quæ vir illustris habet in sua Dioptrica, & Geometria.

Legatur etiam Præfatio in Conica C L. Mydorgij, quippe supplet quæ huic deesse videantur: quemadmodum 4 illius libri multa docent quæ in 4 Apollonij libris minime reperiuntur.

APOLLONII
PERGÆI
CONICORVM
LIBER PRIMVS.

Ad Eudemum Præfatio.

EX octo libris quos Apollonius Pergę vrbi Pamphiliæ natus tempore Ptolomæi Euergetæ, teſte Heraclio in Archimedis vita, compoſuerat, ſoli quatuor ſuperſunt qui continent conicorum elementa, quorum primus complectitur generationes trium coniſectionum, & earum quæ oppoſitæ dicuntur: itéque principalia ipſarum accidentia, ab Apollonio & vberiùs & vniuerſaliùs, quàm ab aliis, qui de ea reſcripſerunt, elaborata. Secundus liber tractat ea, quæ attinent ad diametros, & ad axes ſectionum, & ad illas lineas, quæ cum ſectione non conueniunt, quæ à Græcis ἀσύμπτωτοι appellantur: tum de aliis differit, quæ & generalem, & neceſſariam vtilitatem ad determinationes afferunt: quas autem vocet diametros, & quos axes ex hoc libro cognoſces. Tertius liber continet multa, & admirabilia theoremata, quæ vtilia erunt, & ad ſolidorum locorum compoſitiones, & ad determinationes: quorũ complura, & pulcherrima & noua ſunt. Hæc nos perpendentes, inquit Apollonius, animaduertimus non poſitam eſſe ab Euclide rationem componendi loci ad tres, & quatuor lineas: verùm ipſius tantummodo particulam quandam, atque hanc non ſatis fœliciter. Non enim fieri poterat, vt ea compoſitio rectè perficeretur abſque iis, quæ à nobis inuenta ſunt. Quartus liber tradit, quot modis conorũ ſectiones inter ſeſe, & circuli circunferentiæ occurrere poſſint: & multa alia ad pleniorem doctrinam, quorum nihil ab iis, qui ante nos fuerunt memoriæ proditum eſt: coni ſectio, & circuli circunferentia, & oppoſitæ ſectiones ad quot puncta oppoſitis ſectionibus occurrant: Reliqui autem libri ad abundantiorem doctrinam pertinent. Quintus enim de minimis, & maximis magna ex parte agit. Sextus de æqualibus, & ſimilibus coni ſectionibus. Septimus continet theoremata, quæ determinandi vim habent. Octauus problemata conica determinata. At

2009 Ministerio de Cultura

verò omnibus his editis, licèt vnicuique, qui in ea legendo inciderit, ex animi sui sententia iudicare.

Ex ἀναλυομένῳ τόπῳ Apollonij.

Datis duabus rectis lineis in plano, punctisque datis, & data proportione inæqualium linearum, potest in plano circulus describi, ita vt lineæ à datis punctis ad circumferentiam circuli inclinatæ proportionem habeant eandem datæ proportioni.

DEFINITIONES PRIMÆ.

I. SI ab aliquo puncto ad circumferentiam circuli, qui non sit in eodem plano, in quo punctum, coniuncta recta linea in vtramque partem producatur; & manente puncto conuertatur circa circuli circumferentiam, quousque ad eum locum redeat, à quo cœpit moueri: superficiem à linea recta descriptam, constantémque ex duabus superficiebus, ad verticem inter se se aptatis, quarum vtraque in infinitum augetur, nimirum recta linea, quæ eam describit in infinitum producta, voco conicam superficiem.

II. Verticem ipsius, manens punctum.

III. Axem, rectam lineam, quæ per punctum, & centrum circuli ducitur.

IV. Conum autem voco, figuram contentam circulo, & conica superficie, quæ inter verticem, & circuli circumferentiam interiicitur.

V. Verticem coni, punctum, quod & superficiei conicæ vertex est.

VI. Axem, rectam lineam, quæ à vertice ad circuli centrum perducitur.

VII. Basim, circulum ipsum.

VIII. Conorum rectos quidem voco, qui axes habent ad rectos angulos ipsis basibus.

IX. Scalenos verò, qui non ad rectos angulos ipsis basibus axes habent.

X. Omnis curuæ lineæ, in vno plano existentis diametrũ voco rectam lineam, quæ quidem ducta à linea curua: omnes lineas, quæ in ipsa ducuntur, cuidam lineæ æquidistantes bifariam diuidit.

IX. Verticem lineæ terminum rectæ, qui est in ipsa linea.

XII. Ordinatim ad diametrum applicari dicitur, vnaquæque linearum æquidistantium.

XIII. Similiter & duarum curuarum linearum in vno plano existentium, diametrum quidem transuersam voco rectam lineam, quæ

omnes in vtraque ipſarum ductas, lineæ cuidam æquidiſtantes bifariam diuidit.

XIV. Vertices linearum, diametri terminos, qui ſunt in ipſis lineis.

XV. Rectam verò diametrum voco, quæ inter duas lineas poſitæ, lineas omnes ductas, rectæ cuidam æquidiſtantes, & inter ipſas interiectas bifariam ſecat.

XVI. Ordinatim ad diametrum applicari dicitur vnaquęque linearum æquidiſtantium.

XVII. Coniugatas diametros voco curuæ lineæ, & duarum curuarum rectas lineas, quarum vtraque diameter eſt, & lineas alteri æquidiſtantes bifariam diuidit.

XVIII. Axem verò curuæ lineæ, & duarũ curuarum, rectã lineam, quæ cum ſit diameter curuæ lineæ, vel duarum curuarum, ęquidiſtantes ad rectos ſecat.

XIX. Axes coniugatos curuæ lineæ, & duarum curuarum, rectas lineas, quæ cum ſint diametri coniugatæ, ipſis æquidiſtantes ad rectos angulos ſecant.

PROPOSITIONES LIBRI PRIMI APOLLONII PERGÆI.

Theorema I. Propoſitio I.

REctæ lineæ, quæ à vertice ſuperficiei conicæ ad puncta, quæ in ſuperficie ſunt, ducuntur, in ipſa ſuperficie erunt.

Ex quibus conſtat, ſi à vertice ad aliquod punctum eorum, quæ intra ſuperficiem ſunt, recta linea ducatur, intra: & ſi ad aliquod eorum quæ ſunt extra, extra ſuperficiem cadere.

Theor. II. *Prop.* II.

Si in alterutra ſuperficierum, quæ ſunt ad verticem, duo puncta ſumantur: & quæ puncta coniungit recta linea ad verticem non pertineat, intra ſuperficiem cadet: quæ verò eſt in directum ipſi, cadet extra.

Theor. III. *Prop.* III.

Si conus plano per verticem ſecetur, ſectio triangulum erit.

Theor. IV. *Prop.* IV.

Si alterutra ſuperficierum, quæ ſunt ad verticem, plano ſecetur, æquidiſtante circulo, per quem fertur recta linea ſuperficiem deſ-

Ministerio de Cultura

cribens: planum, quod superficie concluditur, circulus erit, centrum in axe habens: figura verò contenta circulo, & ea parte superficiei conicæ, quæ intersecans planum & verticem interiicitur, conus erit.

Constat præterea figuram contentam circulo DE, & ea parte superficiei conicæ, quæ inter dictum circulum, & punctum A interijcitur, conum esse: simulque demonstratum est communem sectionem plani secantis, & trianguli per axem diametrum esse ipsius circuli.

Theor. V. Prop. V.

Si conus scalenus plano per axem secetur ad rectos angulos ipsi basi, seceturque altero plano ad triangulum per axem recto, quod ex verticis parte triangulum abscindat simile ei, quod per axem, subcontrariè verò positum, sectio circulus erit. Vocetur autem huiusmodi sectio subcontraria.

Theor. VI. Prop. VI.

Si conus plano per axem secetur, sumatur autem aliquod punctum in superficie coni, quod non sit in latere trianguli per axem: & ab ipso ducatur recta linea æquidistans cuidam rectæ, quæ perpendicularis est à circumferentia circuli ad trianguli basim, triangulo per axem occurret, & vlteriùs producta vsque ad alteram superficiei partem, bifariam ab ipso triangulo secabitur.

Theor. VII. Prop. VII.

Si conus plano per axem secetur: secetur autem & altero plano secante planum basis coni secundùm rectam lineam, quæ sit perpendicularis, vel ad basim trianguli per axem, vel ad eam, quæ in directum ipsi constituitur: lineæ quæ à sectione in superficie coni à plano facta ducuntur æquidistantes ei, quæ est perpendicularis ad trianguli basim, in communem sectionem plani secantis, & trianguli per axem cadent: & vlteriùs productæ ad alteram sectionis partem, ab ea bifariam secabuntur: & siquidem rectus sit conus, linea, quæ est in basi, perpendicularis erit ad communem sectionem plani secantis, & trianguli per axem: si verò scalenus, non semper, nisi cum planum, quod per axem ducitur, ad basim coni rectum fuerit.

Theor. VIII. Prop. VIII.

Si conus plano secetur per axem, & secetur altero plano secante basim coni secundum rectam lineam, quæ ad basim trianguli per axem sit perpendicularis: diameter autem sectionis factæ in superficie, vel æquidistet vni laterum trianguli, vel cum ipso extra coni verticem conueniat; & producantur in infinitum, tum superficies

coni, tum planum secans: sectio quoque ipsa in infinitum augebitur, & ex diametro sectionis ad verticem cuilibet lineæ datæ æqualem abscindet linea, quæ quidem à coni sectione ei, quę est in basi, æquidistans ducta fuerit.

Theor. IX. *Prop.* IX.

Si conus plano secetur conueniente cum vtroque latere trianguli per axem, quod neque basi ęquidistet, neque sub contrariè ponatur: sectio circulus non erit.

Theor. X. *Prop.* X.

Si in coni sectione duo puncta sumantur, recta linea, quę eiusmodi puncta coniungit, intra sectionem cadet: & quæ in directum ipsi constituitur, cadet extra.

Theor. XI. *Prop.* XI.

Si conus plano per axem secetur: secetur autem & altero plano secante basim coni secundum rectam lineam, quę ad basim trianguli per axem sit perpendiculari: & sit diameter sectionis vni laterum trianguli per axem ęquidistans: recta linea, quę à sectione coni ducitur ęquidistans communi sectioni plani secantis, & basis coni vsque ad sectionis diametrum, poterit spatium æquale contento linea, quæ ex diametro abscissa inter ipsam, & verticem sectionis interiicitur, & alia quædam, quæ ad lineam inter coni angulum, & verticem sectionis interiectam, eam proportionem habeat, quam quadratum basis trianguli per axem, ad id quod reliquis duobus trianguli lateribus continetur: dicatur autem huiusmodi sectio parabole.

Theor. XII. *Prop.* XII.

Si conus plano per axem secetur: secetur autem & altero plano secante basim coni secundùm rectam lineam, quæ ad basim trianguli per axem sit perpendicularis: & sectionis diameter producta cum vno latere trianguli per axem, extra verticem coni conueniat: recta linea, quæ à sectione ducitur æquidistans communi sectioni plani secantis, & basis coni vsque ad sectionis diametrum, poterit spatium adiacens lineæ, ad quam ea, quæ in directum constituitur diametro sectionis, subtenditúrque angulo extra triangulum, eandem proportionem habet, quam quadratum lineæ, quæ diametro æquidistans à vertice sectionis vsque ad basim trianguli ducitur, ad rectangulum basis partibus, quæ ab ea fiunt, contentum: latitudinem habens lineam, quæ ex diametro abscinditur, inter ipsam & verticem sectionis interiectã: excedénsq; figurâ simili, & similiter posita ei, quæ cõtinetur linea extra triangulũ subtẽsa, & ea, angulo iuxta quam possunt

quæ

quæ ad diametrum applicantur. Vocetur autem huiusmodi sectio hyperbole.

Theor. XIII. *Prop.* XIII.

Si conus plano per axem secetur, & secetur altero plano conueniente cum vtroque latere trianguli per axem, quod neque basi coni æquidistet, neque sub contrariè ponatur: planum autem, in quo est basis coni, & secans planum conueniant secundùm rectam lineam, quæ sit perpendicularis, vel ad basim trianguli per axem, vel ad eam quæ in directum ipsi constituitur: recta linea, quæ à sectione coni ducitur æquidistans communi sectioni planorum vsque ad diametrum sectionis poterit spatium adiacens lineæ, ad quam sectionis diameter eam proportionem habeat, quam quadratum lineæ diametro æquidistantis à vertice coni vsque ad trianguli basim ductæ, habet ad rectangulum contentum basis partibus, quæ inter ipsam & rectas trianguli lineas interiiciuntur: latitudinem habens lineam, quę ex diametro ab ipsa abscinditur ad verticem sectionis, deficiensque figura simili, & similiter posita ei, quæ diametro, & linea iuxta quam possunt, continetur. Dicatur autem huiusmodi sectio ellipsis.

Theor. XIV. *Prop.* XIV.

Si superficies, quæ ad verticem sunt, plano non per verticem secentur: erit in vtraque superficierum sectio, quæ vocatur hyperbole: & duarum sectionum eadem erit diameter, lineæ verò, iuxta quas possunt applicatæ ad diametrum æquidistanter ei, quæ est in basi coni, inter se æquales erunt: & figuræ transuersũ latus vtriſque cõmune: quod scilicet inter sectionum vertices interiicitur. Vocentur autem huiusmodi sectiones oppositæ.

Theor. XV. *Prop.* XV.

Si in ellipsi à puncto, quod diametrum bifariam diuidit ordinatim ducta linea ex vtraque parte ad sectionem producatur; & fiat vt producta ad diametrum, ita diameter ad aliam lineam: recta linea, quæ à sectione ducitur ad productam, diametro æquidistans poterit spatium adiacens tertiæ proportionali latitudinem habens lineam, quæ inter ipsam: & sectionem interiicitur, deficiensque figura simili ei, quæ continetur linea, ad quam ducuntur, & ea iuxta quam possunt. Quod si vlteriùs producatur ad alteram partem sectionis, bifariam secabitur ab ea, ad quam applicata fuerit.

Theor. XVI. *Prop.* XVI.

Si per punctum, quod transuersum latus oppositarum sectionum bifariam diuidit, recta linea quædam ordinatim applicetur: ipsarum diameter erit, priori diametro coniugata.

DEFINITIONES SECVNDÆ.

I. PVNCTVM, quod hyperbole, & ellipsis diametrum bifariam diuidit, centrum sectionis dicatur.

II. Et quæ à centro ad sectionem perducitur, vocetur ex centro sectionis.

III. Similiter & punctum quod transuersum latus oppositarum sectionum bifariam diuidit, centrum vocetur.

IV. Quæ autem à centro ducitur æquidistans ei, quæ ordinatim applicata est, mediamque proportionem habet inter latera figuræ, & bifariam à centro, secunda diameter appelletur.

Theor. XVII. *Prop.* XVII.

Si in coni sectione à vertice ipsius ducatur recta linea æquidistans ei, quæ ordinatim applicata est, extra sectionem cadet.

Theor. XVIII. *Prop.* XVIII.

Si recta linea coni sectioni occurrens, productaque in vtramque partem extra sectionem cadat: sumatur autem aliquod punctum intra sectionem, & per ipsum ei, quæ sectioni occurrit æquidistans ducatur, ducta linea & producta ex vtraque parte sectioni occurret.

Theor. XIX. *Prop.* XIX.

In omni sectione coni recta linea, quæ à diametro ducitur ordinatim applicatæ æquidistans, cum sectione conueniet.

Theor. XX. *Prop.* XX.

Si in parabola duæ rectæ lineæ à sectione ad diametrum ordinatim applicentur, vt eorum quadrata inter sese, ita erunt & lineæ, quæ ab ipsis ex diametro, ad verticem abscinduntur.

Theor. XXI. *Prop.* XXI.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia rectæ lineæ ordinatim ad diametrum applicentur, erũt quadrata earum ad spatia contenta lineis, quæ inter ipsas, & vertices transuersi lateris figuræ interiiciuntur, vt figuræ rectum latus ad transuersum: inter sese verò, vt spatia, quæ interiectis, vt diximus, lineis continentur.

Theor. XXII. *Prop.* XXII.

Si parabolem, vel hyperbolem recta linea in duobus punctis secet, non conueniens cum diametro sectionis intra sectionem; producta cum eadem diametro extra sectionem conueniet.

Theor. XXIII. *Prop.* XXIII.

Si ellipsim recta linea secet inter duas diametros, producta cum vtraque earum extra sectionem conueniet.

Theor. XXIV. *Prop.* XXIV.

Si parabolæ vel hyperbolæ recta linea in vno puncto occurrens, & producta ex vtraque parte extra sectionem cadat, cum diametro conueniet.

Theor. XXV. *Prop.* XXV.

Si ellipsi recta linea occurrens inter duas diametros, & producta ex vtraque parte cadat extra sectionem, cum vtrisque diametris conueniet.

Theor. XXVI. *Prop.* XXVI.

Si in parabola, vel hyperbola recta linea ducatur diametro sectionis æquidistans, in vno tantùm puncto cum sectione conueniet.

Theor. XXVII. *Prop.* XXVII.

Si parabolæ diametrum secet recta linea, producta in vtramque partem cum sectione conueniet.

Theor. XXVIII. *Prop.* XXVIII.

Si recta linea vnam oppositarum sectionum contingat, sumatur autem punctum intra alteram sectionem; & per ipsum linea contingenti æquidistans ducatur, producta ad vtrasque partes cum sectione conueniet.

Theor. XXIX. *Prop.* XXIX.

Si in oppositis sectionibus recta linea per centrum ducta occurrat vni sectioni, vlteriùs producta alteram quoque secabit.

Theor. XXX. *Prop* XXX.

Si in ellipsi, vel oppositis sectionibus recta linea ducatur, ad vtrasque centri partes sectioni occurrens, ad centrum bifariam secabitur.

Theor. XXXI. *Prop.* XXXI.

Si in transuerso figuræ latere hyperboles sumatur aliquod punctum, non minorem abscindens ad verticem sectionis, quàm sit dimidia lateris transuersi figuræ; & ab ipso recta linea sectioni occurrat, si producatur intra sectionem, ad sequentes ipsius partes cadet.

Theor. XXXII. *Prop.* XXXII.

Si per verticem sectionis coni recta linea ordinatim applicatæ æquidistans ducatur, sectionem continget, & in locum, qui inter coni sectionem & rectam lineam interiicitur, altera recta linea non cadet.

Theor. XXXIII. *Prop.* XXXIII.

Si in parabola sumatur aliquod punctum, à quo recta linea ad diametrum ordinatim applicetur, & ei quæ ab ipsa ex diametro abscinditur ad verticem, æqualis ponatur in directum ab eius extremi-

tate, recta linea, quæ à facto puncto ducitur ad illud quod sumptum fuerat sectionem continget.

Federicus Commandinus

Lemma.

Si recta linea in partes inæquales secetur, earum partium quadrata æqualia sunt rectangulo, quod bis dictis partibus continetur, & quadrato eius lineæ, qua maior pars superat minorem.

Th. XXXIV. Prop. XXXIV.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia sumatur aliquod punctum, ab eoque recta linea ad diametrum ordinatim applicetur: & quam proportionem habent lineæ interiectæ inter applicatam, & terminos transuersi lateris figuræ, eandem habeant inter se tam, & terminos transuersi lateris figurę, eandem habeant inter se partes lateris transuersi, ita vt quæ sunt ad verticem partes sibi ipsis respondeant, recta linea coniungens punctum quod in transuerso latere sumitur, & punctum, quod est in sectione, sectionem ipsam continget. *Vide Lemmata 4 Eutocij & Commandini.*

Th. XXXV. Prop. XXXV.

Si parabolem recta linea contingat, conueniens cum diametro extra sectionē, quæ à tactu ad diametrum ordinatim applicetur, abscindet ex diametro ad verticem sectionis lineam æqualem ei, quæ inter ipsam & contingentem interiicitur: & in locum, qui est inter contingentem & sectionem alia linea recta non cadet.

Th. XXXVI. Prop. XXXVI.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam contingat quædam recta linea conueniens cum transuerso figuræ latere, & à tactu recta linea ad diametrum ordinatim applicetur, erit vt linea quæ interiicitur inter contingentem, & terminum transuersi lateris ad interiectam inter eandem, & alterum lateris terminum, ita linea, quæ est inter ordinatim applicatam, & terminum lateris ad eam, quæ est inter eandem & alterum terminum, adeo vt continuatæ inter se sint, quæ sibi ipsis respondent; & in locum, qui inter contingentem, & sectionem coni interiicitur, altera recta linea non cadet.

Th. XXXVII. Prop. XXXVII.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum diametro conueniat; & à tactu ad diametrum linea ordinatim applicetur, quæ interiicitur inter applicatam & centrum sectionis vnà cum interiecta inter contingentem, & sectionis centrum, continebit rectangulum æquale quadrato lineæ, quæ est ex centro sectionis: sed vnà cum ea, quę inter applicatam & contingen-

tem interiicitur, continebit ſpatium, quod ad quadratum lineæ applicatæ eandem proportionem habet, quam tranſuerſum figuræ latus ad rectum

Th. XXXVIII. *Prop.* XXXVIII.

Si hyperbolem, vel ellipſim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum ſecunda diametro conueniat; & à tactu ad diametrum applicetur linea alteri diametro æquidiſtans: quæ interiicitur inter applicatam, & ſectionis centrum, vnà cum interiecta inter contingentem, & centrum ſectionis, continebit rectangulum æquale quadrato, quod fit ex dimidia ſecundæ diametri: ſed vnà cum ea, quæ inter applicatam, & contingentem interiicitur, ſpatium continebit, quod ad quadratum applicatæ eam proportionem habeat, quam figuræ latus ad tranſuerſum.

Iiſdem poſitis oſtendendum eſt, vt linea, quæ inter tangentem, & terminum ſecundæ diametri ad partes applicatæ interiicitur, ad eam quæ inter tangentem, & alterum terminum ſecundæ diametri, ita eſſe lineam, quæ eſt inter alterum terminum, & applicatam ad eam quæ inter alterum terminum & applicatam.

Ex iam dictis manifeſtum eſt lineã E F *contingere ſectionem, ſiue rectangulum* F G H *æquale ſit quadrato* G C, *ſiue* F H G *rectangulum ad quadratum* H E, *eam quam diximus, proportionem habeat: conuerſo enim modo illud facilè oſtendetur.* Vide Commandinum.

Th. XXXIX. *Prop.* XXXIX.

Si hyperbolem, vel ellipſim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum diametro conueniat, & à tactu ad diametrum linea ordinatim applicetur: ſumpta quauis linea ex duabus, quarum altera interiicitur inter applicatam, & centrũ ſectionis; altera inter applicatam, & contingentem: habebit ad eam applicata proportionem compoſitam ex proportione, quam habet altera dictarum linearum ad applicatam, & ex proportione, quam rectum figuræ latus habet ad tranſuerſum.

Theor. XL. *Prop.* XL.

Si hyperbolem, vel ellipſim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum ſecunda diametro conueniat: & à tactu eandem diametrum linea applicetur, diametro alteri æquidiſtans: ſumpta qualibet ex duabus quarum vna inter applicatam, & ſectionis centrum interiicitur altera inter applicatam, & contingentem: habebit ad ipſam applicata proportionem compoſitam ex proportione, quam habet tranſuerſum figuræ latus ad rectum, & ex ea, quam altera dictarum linearum habet ad applicatam.

Theor. XLI. *Prop.* XLI.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia recta linea ordinatim applicetur ad diametrum. & ab applicata, & ea, quæ ex centro parallelogramma æquiangula describantur: habeat autem applicata ad reliquam parallelogrammi latus proportionem compositã ex proportione, quam habet ea, quæ ex centro ad reliquum latus; & ex proportione, quam rectum figuræ sectionis latus habet ad transuersum, parallelogrammum factum à linea, quæ inter centrum & applicatam interiicitur, simile parallelogrammo, quod fit ab ea, quæ ex centro, in hyperbola quidem maius est, quàm parallelogrammum ab applicata, parallelogrammo ab ea, quæ ex centro: in ellipsi verò, & circuli circumferentia vnà cum parallelogrammo, quod fit ab applicata æquale est parallelogrammo ab ea quæ ex centro.

Theor. XLII. *Prop.* XLII.

Si parabolem recta linea contingens cum diametro conueniat; & à tactu ad diametrum linea ordinatim applicetur: sumpto autem quouis puncto in sectione, applicentur ad diametrum duæ lineæ, altera quidem contingenti æquidistans, altera verò æquidistans ei, quæ à tactu ordinatim applicata est: triangulum, quod ab ipsis constituitur, æquale erit parallelogrammo contento lineâ à tactu applicata, & ea, quæ interiicitur inter æquidistantem & verticem sectionis.

Theor. XLIII. *Prop.* XLIII.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens conueniat cum diametro: & à tactu ad diametrum linea ordinatim applicetur: huic verò æquidistans ducatur per verticẽ sectionis, quæ cum linea per tactum & centrum ducta conueniat, & sumpto aliquo puncto in sectione, ab eo ad diametrũ duæ lineæ ducãtur, vnà quidem contingenti æquidistans; altera verò æquidistans ei, quæ à tactu applicata est; triangulum ab ipsis factum in hyperbola minus erit, quàm triangulum, quod abscindit linea per centrum, & tactum ducta, triangulo ab ea, quæ ex centro, simili abscisso: in ellipsi verò, & circuli circumferentia, vnà cum triangulo abscisso ad centrum æquale erit triangulo simili abscisso, quod ab ea quæ ex centro describitur.

Theor. XLIV. *Prop.* XLIV.

Si vnam oppositarum sectionum recta linea contingens cum diametro conueniat: à tactu verò ad diametrum linea ordinatim applicetur, atque huic æquidistans ducatur per verticem alterius sectionis, vt conueniat cum linea per tactum, & centrum ducta: sumpto autem in sectione quauis puncto, applicentur ad diametrum duæ lineæ, qua-

rum altera contingenti æquidistet: altera æquidistet ei, quæ à tactu ordinatim applicata est: triangulum ab ipsis factum minus est, quàm triangulum, quod abscindit applicata ad centrum sectionis, triangulo simili abscisso ab ea, quæ ex centro.

Federicus Commandinus.

Si vnam oppositarum sectionum recta linea contingat: & à tactu ducatur diameter vsque ad alteram sectionem, quæ ab eo puncto ducitur lineæ sectionem contingenti æquidistans, sectionem ipsam continget.

Theor. XLV. *Prop.* XLV.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum secunda diametro conueniat; & à tactu ad eandem diametrum linea applicetur, diametro alteri æquidistans: & per tactum & centrum ducta linea producatur; sumpto autem in sectione quouis puncto, ad secundam diametrum ducantur duæ lineæ, quarũ vna contingenti, altera applicatæ æquidistet: triangulum, quod ab ipsis constituitur, in hyperbola quidem maius est quàm triangulũ abscissum ab applicata ad centrum, triangulo, cuius basis est linea contingens, & vertex centrum sectionis: in ellipsi verò & circuli circumferentia vnà cum triangulo abscisso, æquale est triangulo, cuius basis linea contingens, & vertex sectionis centrum.

Theor. XLVI. *Prop.* XLVI.

Si parabolem recta linea contingens cum diametro cõueniat: quæ per tactum ducitur diametro æquidistans ad easdem partes sectioni, lineas in sectione ductas, quæ contingenti æquidistant, bifariam secabit.

Theor. XLVII. *Prop.* XLVII.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum diametro conueniat: per tactum, & centrum ducta linea ad easdem partes sectioni, lineas, quæ in sectione ducuntur, contingenti æquidistantes bifariam secabit.

Theor. XLVIII. *Prop.* XLVIII.

Si vnam oppositarum sectionum recta linea contingens cum diametro conueniat: & per tactum & centrum linea producta secet alteram sectionem: quæ in altera sectione ducta fuerit, contingenti æquidistans à linea producta bifariam secabitur.

Theor. XLIX. *Prop.* XLIX.

Si parabolem recta linea contingens cum diametro conueniat: & per tactum ducatur linea diametro æquidistans: à vertice verò ducatur æquidistans ei, quæ ordinatim applicata est; & fiat vt portio con-

tingentis inter applicatam & tactum interiecta ad portionem æquidistantis, quæ itidem inter tactum, & applicatam interiicitur: ita quædam recta linea ad duplam contingentis: quæ à sectione ducta fuerit, æquidistans contingenti ad lineam, quæ per tactũ ducitur diametro æquidistans, potetit rectangulum contentum inuenta linea, & ea, quæ inter ipsam & tactum interiicitur.

Theor. L. *Prop.* L.

Si hyperbolem, vel ellipsim, vel circuli circumferentiam recta linea contingens cum diametro conueniat: & per tactum, & centrum linea producatur: à vertice autem ordinatim applicata conueniat cũ linea producatur: à vertice autem ordinatim applicata conueniat cũ linea, quæ ducitur per tactum & centrum: fiatque vt portio contingenca, quæ ducitur per tactum & centrum: fiatque vt portio contingentis inter tactum, & applicatam interiecta, ad portionem lineæ ductæ per tactum & centrum, quæ itidem inter tactum & applicatam interiicitur, ita quædam recta linea ad duplam contingentis: quæ à sectione ducitur contingenti æquidistans ad lineam per tactum & centrum ducta poterit spatium rectangulum, quod adiacet inuentæ lineæ, latitudinem habens interiectam inter ipsam & tactũ: in hyperbola quidem excedens figurâ simili contentæ lineâ dupla eius, quæ est inter centrum, & tactum, & inuentâ linea: in ellipsi verò & circulo eadem deficiens.

Theor. LI. *Prop.* LI.

Si quamlibet oppositarum sectionum recta linea contingens cum diametro conueniat; & per tactum & centrum linea producatur vsq; ad alteram sectionem: à vertice verò ducatur linea æquidistãs ei, quæ ordinatim applicata est: conuenienſque cum linea per tactum, & centrum ducta: & fiat vt portio contingentis inter applicatam & tactum ad portionem lineæ ductæ per tactum, & centrum, quæ inter tactum & applicatam interiicitur, ita quædam recta linea ad duplam contingentis: quæ in altera sectione ducitur æquidistans contingenti, ad lineam per tactum & centrum ductam, poterit rectangulum, quod adiacet inuentæ lineæ, latitudinem habens, lineam, quæ est inter ipsam & tactum: excedenſque figura simili ei, quæ linea inter oppositas sectiones interiecta & inuenta continetur.

Itaque his demonstratis, perspicuum est in parabola vnamquamque rectarum linearum, quæ diametro ex generatione ducuntur æquidistantes, diametrum esse: in hyperbola verò, ellipsi, & oppositis sectionibus vnamquamque earum, quæ per centrum ducuntur. Et in parabola quidem applicatas ad vnamquamque diametrum, æquidistantes contingentibus, posse rectangula ipsi adiacentia: in hyperbola & oppositis posse rectangula adiacentia ipsi, quæ excedunt eadem figura: in ellipsi autem quæ eadem deficiunt. Postremò

quæ-

quacumque circa sectiones adhibitis principalibus diametris demonstrata sunt, & aliis diametris assumptis eadem contingere.

Problema I. *Prop.* LII.

Recta linea data in plano, ad vnum punctum terminata, inuenire in plano coni sectionem, quæ parabole appellatur, ita vt eius diameter sit data linea: vertex lineæ terminus, quæ verò à sectione ad diametrum in dato angulo applicatur, possit rectangulũ contentũ linea, quæ est inter ipsam & verticem sectionis, & altera quadã data linea.

Probl. II. *Prop.* LIII.

Datis duabus rectis lineis terminatis, quæ ad rectos inter se angulos constituantur: & altera producta ad easdem partes angulo recto, inuenire in linea producta coni sectionem, quæ hyperbole dicitur, in eodem plano, in quo sunt datæ lineæ: ita vt producta sit diameter sectionis, & vertex punctum, quod ad angulum consistit: quæ verò à sectione ad diametrum applicatur, angulum faciens æqualẽ dato, possit rectangulum, quod adiacet alteri lineæ, latitudinem habens lineã interiectam inter applicatam & verticem sectionis: excedénsque figura simili, & similiter posita ei, quæ datis à principio lineis continetur.

Probl. IV. *Prop.* LIV.

Datis duabus rectis lineis terminatis, atque ad rectos inter se angulos, inuenire circa diametrum alteram ipsarum, coni sectionem, quæ ellipsis appellatur, in eodem plano, in quo sunt datæ lineæ: ita vt vertex sit punctum ad rectum angulum: & à sectione ad diametrum applicatæ in angulo dato possint rectangula adiacẽtia alteri lineæ, quæ latitudinem habeant, lineam inter ipsas & verticem sectionis interiectam, deficiantque figurâ simili, & similiter posita ei, quæ datis rectis lineis continetur.

Probl. IV. *Prop.* LV.

Datis duabus rectis lineis terminatis, atque ad rectos inter se angulos; inuenire oppositas sectiones, quarum diameter sit vna datarum linearum: & vertices lineæ termini: applicatæ verò ab vtraque sectione in dato angulo possint spatia adiacentia alteri lineæ, excedentiaque figurâ simili ei, quæ datis lineis continetur.

Probl. V. *Prop.* LVI.

Datis duabus rectis lineis se se bifariam secantibus, circa vtramque ipsarum sectiones oppositas describere, ita vt rectæ lineæ sint coniugatæ diametri: & quarumlibet oppositarum sectionum diameter possit figuram aliarum oppositarum.

APOLLONII
PERGÆI
CONICORVM
LIBER SECVNDVS.

Videantur 12. Lemmata Pappi.

Theorema I. *Propositio* I.

SI hyperbolem recta linea ad verticem contingat: & ab ipso ex vtraque parte diametri sumatur æqualis ei, quæ potest quartam figuræ partem; lineæ, quæ à sectionis centro ad sumptos terminos contingentis ducuntur, cum sectione non conuenient.

Theor. II. *Prop.* II.

Iisdem manentibus demonstrandum est non esse alteram asymptoton, quæ angulum DCE diuidet.

Theor. III. *Prop.* III.

Si hyperbolem contingat recta linea, cum vtraque asymptoton cõueniet, & ad tactum bifariam secabitur; quadratum verò vtriusque eius portionis æquale erit quartæ parti figuræ, quæ ad diametrum per tactum ductam constituitur.

Probl. IV. *Prop.* IV.

Datis duabus rectis lineis angulum continentibus, & puncto intra angulum dato, describere per punctum coni sectionem, quæ hyperbole appellatur, ita vt datæ lineæ ipsius asymptoti sint. *Vide Lemma Pappi.*

Theor. V. *Prop.* V.

Si parabolæ, vel hyperbolæ diameter lineam quandam bifariam secet: quæ ad terminum diametri contingit sectionem æquidistans est lineæ bifariam sectæ.

Theor. V. *Prop.* VI.

Si ellipsis, vel circuli circumferentiæ diameter lineam quandã non per centrum transeuntem bifariam secet: quę ad terminum diametri contingit sectionem, æquidistans erit bifariam sectæ lineæ.

Theor. VI. *Prop.* VII.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam recta linea contin-

gat: & huic æquidistans ducatur in sectione: & bifariam diuidatur: quæ à tactu ad punctum lineam bifariam diuidens iungitur, sectionis diameter erit.

Theor. VII. *Prop.* VIII.

Si hyperbolæ recta linea occurrat in duobus punctis, producta ex vtraque parte cum asymptotis conueniet: & lineæ, quę ex ipsa abscissæ intersectionem, & asymptotos interiiciuntur, æquales erunt.

Theor. VIII. *Prop.* IX.

Si recta linea asymptotis occurrens ab hyperbola bifariam secetur, in vno tantum puncto sectionem contingit.

Theor. IX. *Prop.* X.

Si recta linea sectionem secans cum vtraque asymptoton conueniat: rectangulum contentum rectis lineis, quæ inter asymptotos & sectionem interiiciuntur, æquale est quartæ parti figuræ factæ ad diametrum, quæ ęquidistantes ipsi ductæ lineæ bifariam diuidit.

Theor. X. *Prop.* XI.

Si vtramque linearum continentium angulum, qui deinceps est angulo hyperbolem continenti, secet recta linea: in vno tãtùm puncto cum sectione conueniet; & rectangulum constans ex iis, quæ interiiciuntur inter lineas angulum continentes, & sectionem, æquale erit quartæ parti quadrati ex diametro, quæ secanti lineæ æquidistans ducitur.

Theor. XI. *Prop.* XII.

Si ab aliquo puncto corũ, quæ sunt in sectione ad asymptotos duæ rectæ lineæ in quibuslibet angulis ducantur: & ab altero puncto in sectione sumpto ducantur aliæ lineę his ipsis æquidistantes: rectangulũ ex æquidistantibus constans æquale est ei, quæ fit ex iis, quibus illæ æquidistantes ductæ fuerant.

Theor. XII. *Prop.* XIII.

Si in loco asymptotis & sectione terminato, quædam recta ducatur, alteri asymptoton æquidistans: in vno puncto tantùm cum sectione conueniet.

Theor. XIII. *Prop.* XIV.

Asymptoti, & sectio in infinitum productæ ad seipsas propiùs accedunt: & ad interuallum perueniunt minus quolibet dato interuallo.

Ex hoc manifestum est, lineas AB, AC, *ad sectionem accedere propiùs, quàm omnes aliæ asymptoti: & angulum* BAC *minorem esse quolibet angulo, qui aliis eiusmodi lineis continetur.*

Theor. XV. *Prop.* XV.

Oppositarum sectionum asymptoti communes sunt.

Theor. XV. *Prop.* XVI.

Si in oppoſitis ſectionibus quædam linea recta ducatur, ſecans vtramque linearum continentium angulum, qui deinceps eſt angulo ſectiones continenti; cum vtraque oppoſitarum in vno tantùm puncto conueniet: & lineæ, quæ ex ipſa abſciſſæ inter aſymptotos, & ſectiones interiiciuntur, æquales erunt.

Theor. XVI. *Prop.* XVII.

Oppoſitarum ſectionum, quæ coniugatę appellantur, aſymptoti communes ſunt.

Theor. XXVII. *Prop.* XXVIII.

Si vni oppoſitarum ſectionum, quę coniugatę dicuntur, occurrat recta linea: & producta ad vtraſque partes extra ſectionem cadat: cum vtraque ſectionum, quę deinceps ſunt, in vno tantùm puncto conueniet.

Theor. XVIII. *Prop.* XIX.

Si in oppoſitis ſectionibus, quæ coniugatæ appellantur, ducatur recta linea, quamuis ipſarum contingens: cum ſectionibus, quæ deinceps ſunt, conueniet: & ad tactum bifariam ſecabitur.

Theor. XIX. *Prop.* XX.

Si vnam oppoſitarum ſectionum, quæ coniugatæ appellantur, recta linea contingat: & per ipſarum centrum ducantur duæ lineæ, vna quidem per tactum, altera verò contingenti æquidiſtans, quouſque occurrat vni earum ſectionum, quæ deinceps ſunt, recta linea, quæ in occurſu ſectionem contingit, æquidiſtans erit lineæ per tactum, & centrum ductæ, quæ verò per tactus & centrum ducentur, oppoſitarum ſectionum diametri erunt. *Theor.* XX. *Prop.* XXI.

Iiſdem poſitis oſtendendum eſt punctum, in quo contingentes lineæ conueniunt, ad vnam aſymptoton eſſe.

Theor. XXI. *Prop.* XXII.

Si in oppoſitis ſectionibus, quæ coniugatæ appellantur, ex centro ad quamuis ſectionem ducatur recta linea; & huic æquidiſtans altera ducatur, quæ cum vna ex ſectionibus, quæ deinceps ſunt, & cũ aſymptotis conueniat: rectangulum conſtans ex portionibus lineæ ductæ inter ſectionem, & aſymptotos interiectis, quadrato lineæ, quæ ex centro ducitur, æquale erit.

Theor. XXII. *Prop.* XXIII.

Si in oppoſitis ſectionibus, quæ coniugatæ appellantur, ex centro ducatur quædam recta linea ad quamuis ſectionem: & huic æquidiſtãs ducatur, quę cũ tribus, quæ deinceps ſunt, ſectionibus cõueniat,

rectangulum constans exportionibus lineæ ductæ inter trés sectiones interiectis, duplũ erit quadrati eius lineæ, quæ ex cẽtro ducitur.

Theor. XXIII. *Prop.* XXIV.

Si parabolæ duæ lineæ rectæ occurrant, vtraque in duobus punctis: & nullius ipsarum occursus alterius occursibus contineatur: conuenient inter se se extra sectionem.

Theor. XXIV. *Prop.* XXV.

Si hyperbolæ occurrant duæ rectæ lineæ, vtraque in duobus punctis: nullius autem ipsarum occursus alterius occursibus contineatur conuenient quidem inter se se extra sectionem, sed tamen intra angulum, qui hyperbolem continet.

Theor. XXV. *Prop.* XXVI.

Si in ellipsi, vel circuli circumferentia duæ rectæ lineæ non transeuntes per centrum se inuicem secent; bifariam se se non secabunt.

Theor. XXVI. *Prop.* XXVII.

Si ellipsim, vel circuli circumferentiam duæ rectæ lineæ contingant: & si quidem ea, quæ tactus contingit per centrum transeat sectionis: contingentes lineæ sibi ipsis æquidistabunt: sin minus, conuenient inter se se ad easdem centri partes.

Theor. XXVII. *Prop.* XXVIII.

Si in coni sectione, vel circuli circumferentia duas lineas æquidistantes recta linea bifariam secet, diameter erit sectionis.

Theor. XXVIII. *Prop.* XXIX.

Si coni sectionẽ, vel circuli circũferentiã duæ rectæ lineæ contingentes in idem punctum conueniant: & ab eo ad punctum, quod lineam tactus contingentem bifariam secat, alia linea ducatur: sectionis diameter erit.

Theor. XXIX. *Prop.* XXX.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam duæ rectæ lineæ contingentes in vnum punctum conueniant; diameter, quæ ab eo puncto ducitur, lineam tactus contingentem bifariam secabit.

Th. XXX. *Prop.* XXXI.

Si vtramque oppositarum sectionum duæ rectæ lineæ contingant: & si quidem ea, quæ tactus coniungit, per centrum transeat, contingentes lineæ æquidistantes erunt: sin minus. conuenient inter se se ad easdem partes centri.

Theor. XXX. *Prop.* XXXI.

Si vtrique oppositarum sectionum rectæ lineæ occurrant, ipsas vel in puncto contingentes, vel in duobus secantes; & productæ inter se

conueniant: punctum, in quo conueniunt, erit in angulo, qui deinceps est angulo sectionem continenti.

Theor. XXXII. *Prop.* XXXIII.

Si vni oppositarum sectionum recta linea occurrens; & producta ex vtraque parte extra sectionem cadat: cum altera sectione non cõueniet: sed transibit per tres locos; quorũ vnus quidem est sub angulo sectionẽ cõtinente: duo verò sub iis angulis, qui deinceps sunt.

Theor. XXXII. *Prop.* XXXIV.

Si vnam oppositarum sectionum recta linea contingat: & huic æquidistans ducatur in altera sectione: quæ à tactu ad medium lineæ æquidistantis ducitur, oppositarum sectionum diameter erit.

Theor. XXXIV. *Prop.* XXXV.

Si diameter in vna oppositarum sectionum rectam lineam bifariam secet; quæ in termino diametri contingit alteram sectionem: lineæ bifariam sectæ erit æquidistans.

Theor. XXXV. *Prop.* XXXVI.

Si in vtraque oppositarum sectionum rectæ lineæ inter se æquidistantes ducantur: quæ ipsarum medium coniungit, oppositarum sectionum diameter erit.

Theor. XXXVI. *Prop.* XXXVII.

Si oppositas sectiones linea recta secet, non transiens per centrum: quæ à medio ipsius ad centrum ducitur, oppositarum sectionum diameter erit, quæ recta appellatur: transuersa verò diameter, ipsi coniugata est ea, quæ à centro ducitur æquidistans lineæ bifariam sectæ.

Theor. XXXVII. *Prop.* XXXVIII.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingant, in vnum punctum conuenientes: quæ ab eo puncto ad medium lineæ tactus coniungentis ducitur, oppositarum sectionum diameter erit, quæ recta vocatur: transuersa verò, ipsi coniugata, quæ per centrum ducitur, lineæ tactus coniungenti æquidistans.

Theor. XXXVIII. *Prop.* XXXIX.

Si oppositas sectiones contingant duæ rectæ lineæ in vnum punctum conuenientes: quæ per punctum illud, & per centrum ducitur, lineam tactus coniungentem bifariam secabit.

Theor. XXXIX. *Prop.* XL.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes in vnum conueniant: & per punctum, in quo conueniunt, linea ducatur, tactus cõiungenti æquidistans, & sectionibus occurrẽs: quæ ab occursibus ad medium lineæ tactus coniungentes ducuntur, sectiones ipsas contingunt.

Theor. XL. *Prop.* XLI.

Si in oppositis sectionibus duæ rectæ lineæ se inuicem secent, non transenates per centrum, se se bifariam non secabunt.

Theor. XLI. *Prop.* XLII.

Si in oppositis sectionibus, quæ coniugatæ appellantur, duæ rectæ lineæ se inuicem secent, non transeuntes per centrum: bifariam se se non secabunt.

Theor. XLII. *Prop.* XLIII.

Si vnam oppositarum sectionum, quæ coniugatæ appellantur, recta linea in duobus punctis secet: & à centro duæ lineæ ducantur, vna quidem ad medium lineæ secantis, altera verò ipsi æquidistans: erunt hæ oppositarum sectionum coniugatæ diametri.

Probl. II. *Prop.* XLIV.

Data coni sectione diametrum inuenire.

Probl. III. *Prop.* XLV.

Data ellipsi, vel hyperbola centrum inuenire.

Probl. IV. *Prop.* XLVI.

Data coni sectione axem inuenire.

Probl. V. *Prop.* XLVII.

Data hyperbola, vel ellipsi axem inuenire.

Theor. XLIII. *Prop.* XLVIII.

His ita demonstratis reliquum est, vt ostendamus non esse alios axes ipsarum sectionum.

Probl. VI. *Prop.* XLIX.

Data coni sectione, & puncto non intra sectionem dato, ab eo rectam lineam ducere, quæ sectionem contingat.

Probl. VII. *Prop.* L.

Data sectione coni, lineam contingentem ducere, quæ cum axe ad partes sectionis angulum faciat, dato angulo acuto æqualem.

Probl. VIII. *Prop.* LI.

Data sectione coni, lineam contingentem ducere, quæ cum diametro per tactum ducta faciet angulum dato angulo acuto æqualem.

Theor. XLIIII. *Prop.* LII.

Si ellipsim recta linea contingat, angulus, quem facit cum diametro per tactum ducta, non est minor angulo deinceps ei, qui lineis ad mediam sectionem inclinatis continetur.

Probl. IX. *Prop.* LIII.

Data ellipsi contingentem lineam ducere, quæ cum diametro per tactum ducta faciat angulum dato angulo acuto æqualem: oportet autem acutum angulum datum non esse minorem angulo deinceps ei, qui lineis ad mediam sectionem inclinatis continetur.

APOLLONII
PERGÆI CONICORVM
LIBER TERTIVS.

Ad Eudemum Pergamenum.

Theor. I. *Prop.* I.

SI coni sectionem, vel circuli circumferentiam rectæ lineæ contingentes inter se conueniant: & per tactus ducantur, diametri, quæ contingentibus occurrant: triangula ad verticem facta sibi ipsis æqualia erunt. *Videantur initio libri huius Lemmata* 14. *Pappi Alexandrini.*

Theor. II. *Prop.* II.

Iisdem positis, si in coni sectione, vel circuli circumferentia sumatur aliquod punctum: & per ipsum æquidistantes contingentibus vsque ad diametros ducantur: quadrilaterum factum ad vnam contingentium, & ad vnam diametrorum, æquale erit triangulo, quod ad eandem contingentem, & ad alteram diametrum constituitur.

Theor. III. *Prop.* III.

Iisdem positis, si in coni sectione, vel circuli circumferentia duo puncta sumantur; & per ipsa ducantur æquidistantes contingentibus vsque ad diametros: quadrilatera, quæ ab ipsis fiunt, in diametris constituta, inter se æqualia erunt.

Theor. IV. *Prop.* IV.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes inter se conueniant: & per tactus ducantur diametri contingentibus occurrentes, triangula, quæ ad contingentes constituuntur, sibi ipsi æqualia erunt.

Theor. V. *Prop.* V.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & in quauis sectionum aliquod punctum sumatur, à quo ducantur duæ lineæ, vna quidem contingenti æquidistans, altera verò æquidistans ei, quæ tactus coniungit: triangulum, quod ab ipsis constituitur ad diametrum per occursum ductam, à triangulo, quod est ad occursum contingentium, differt triangulo facto ad contingentem & ad diametrum, quæ per tactum ducta fuerit.

Constat

Conſtat igitur triangulum K F L quadrilatero M G K æquale eſſe.

Theor. VI. *Prop.* VI.

Iiſdem poſitis ſi in vna oppoſitarum ſectionum aliquod punctum ſumatur: & ab eo ducantur rectæ lineæ, contingentibus æquidiſtantes, quæ & contingentibus, & diametris occurrant: quadrilaterum ab ipſis factum ad vnam contingentium, & ad vnam diametrorum, æquale erit triangulo, quod ad eandem contingentem, & ad alteram diametrum conſtituitur.

Theor. VII. *Prop.* VII.

Iiſdem poſitis, ſi in vtraque ſectione aliqua puncta ſumantur: & ab ipſis ducantur lineæ contingentibus æquidiſtantes, quæ & contingentibus, & diametris occurrant: quadrilatera à lineis ductis conſtituta ad diametros, inter ſe æqualia erunt.

Theor. VIII. *Prop.* VIII.

Iiſdem poſitis pro punctis K L ſumantur C D, in quibus diametri cum ſectionibus conueniant: & per ipſa contingentibus æquidiſtantes ducantur. Dico D G quadrilaterum quadrilatero F C; & quadrilaterum X I quadrilatero F O æquale eſſe.

Theor. IX. *Prop.* IX.

Iiſdem poſitis, ſi alterum quidem punctum ſit inter diametros, vt X: alterum verò ſit idem, quod vnum punctorum C D, vt C: & æquidiſtantes ducantur. Dico triangulum C E O æquale eſſe quadrilatero K E: & quadrilaterum L O æquale ipſi L M.

Theor. X. *Prop.* X.

Iiſdem poſitis, ſumantur K L non tamen in punctis, in quibus diametri ſectionibus occurrent. Demonſtrandum eſt quadrilaterum L T R X quadrilatero O X K I æquale eſſe.

Theor. XI *Prop.* XI.

Iiſdem poſitis, ſi in quauis ſectione punctum ſumatur: & ab ipſo lineæ æquidiſtantes ducantur, vna quidem contingenti æquidiſtans: altera verò æquidiſtans ei, quæ tactus coniungit, triangulũ, quod ab ipſis fit ad diametrum per occurſum contingentium ductam, à triangulo contento linea contingente, & diametro per tactum, differt triangulo, quod ad contingentium occurſum conſtituitur.

Theor. XII. *Prop.* XII.

Iiſdem poſitis ſi in vna ſectione ſumantur duo puncta: & ab vtriſque ſimiliter æquidiſtantes ducantur: quadrilatera ab ipſis conſtituta inter ſe æqualia erunt.

Theor. XIII. *Prop.* XIII.

Si in oppositis sectionibus, quæ coniugatæ appellantur, rectæ lineæ contingentes sectiones, quæ deinceps sunt, in vnum punctum concurrant, & per tactus diametri ducantur: triangula, quorum communis vertex est sectionum centrum, inter se æqualia erunt.

Theor. XIV. *Prop.* XIV.

Iisdem positis, si in quauis sectione punctum sumatur, & ab ipso ducantur lineæ æquidistantes contingentibus vsque ad diametros: triangulum, quod ad centrum constituitur, à triangulo circa eundem angulum differt triangulo basim habente lineam contingentem, & verticem sectionum centrum.

Theor. XV. *Prop.* XV.

Si vnam oppositarum sectionum, quæ coniugatæ appellantur, rectæ lineæ contingentes conueniant: & per tactus diametri ducantur: sumatur autem punctum in quauis sectionum coniugatarum: & ab ipso ducantur æquidistantes contingentibus vsque ad diametros: triangulum, quod ab ipsis ad sectionem constituitur, maius est, quàm triangulum, quod ad centrum, triangulo basim habente lineam contingentem, & verticem centrum sectionum.

Theor. XVI. *Prop.* XVI.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam duæ rectæ lineæ contingentes in vnum conueniant; & ab aliquo puncto eorum, quæ sunt in sectione, ducatur linea vni contingentium æquidistans, quæ & sectionem & alteram contingentium secet, vt quadrata contingentium inter se se, ita erit rectangulum contentum lineis, qui interiiciuntur inter sectionem, & contingentem, ad quadratum lineæ inter æquidistantem & tactum interiectæ.

Theor. XVII. *Prop.* XVII.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam duæ rectæ lineæ cõtingentes in vnum conueniant: sumantur autem in sectione duo quæuis puncta: & ab iis ducantur lineæ contingentibus æquidistantes, quæ & sibi ipsis & lineæ occurrant: vt quadrata contingentium inter se se, ita erit rectangulum contentum lineis, quæ interiiciuntur inter sectionem & linearum occursum, ad rectangulum, quod lineis similiter sumptis continetur. *Vide Lemma Eutocij.*

Theor. XVIII. *Prop.* XVIII.

Si oppositas sectiones duæ rectæ contingentes in vnum conueniant: sumatur autem in quauis sectione aliquod punctum: & ab eo ducatur linea vni contingentium æquidistans, quæ & sectionem & alteram contingentium secet: vt quadrata contingentium inter se se, ita erit

rectangulum contentum lineis, quæ interiicuntur inter sectionem & contingentem, ad quadratum lineæ inter æquidistantem & tactum interiectæ.

Theor. XIX. *Prop.* XIX.

Si oppositas sectiones duæ rectę lineæ contingentes in vnum conueniant, & ducantur contingentibus æquidistantes, quæ & sibi ipsis, & sectioni occurrant: vt quadrata contingentium inter se se, ita erit rectangulum contentum lineis, quæ interiiciuntur inter sectionem, & linearum occursum, ad rectangulum, quod lineis similiter sumptis, continetur.

Theor. XX. *Prop.* XX.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & per occursum ducatur linea tactus coniungenti æquidistans, quæ secet vtramque sectionem, ducatur autem alia linea æquidistans eidem; sectionesque, & contingentes secans: erit vt rectangulum contentum lineis, quæ inter occursum contingentium & sectiones interiiciuntur, ad quadratum lineæ contingentis, ita rectangulum, quod continetur lineis inter sectiones & contingentem interiectis, ad quadratum lineæ ad tactum abscissæ.

Theor. XXI. *Prop.* XXI.

Iisdem positis, si in sectione duo puncta sumantur: & per ipsa ducantur rectæ lineæ: vna quidem contingenti æquidistans, altera verò æquidistans lineæ tactus coniungenti: quæ & sibiipsis, & sectionibus occurrant: erit rectangulum contentum lineis, quæ interiiciuntur inter occursum contingentium, & sectiones, ad quadratum contingentis, ita rectangulum contentum lineis inter sectiones, & linearum occursum interiectis, ad rectangulum, quod lineis similiter sumptis continetur.

Probl. XXII. *Prop.* XXII.

Si oppositas sectiones contingant duæ rectæ lineæ inter se æquidistantes: ducantur autem aliæ lineæ, quæ & sibi ipsis & sectionibus occurrant: vna quidem contingenti æquidistans, altera verò æquidistans ei, quæ tactus coniungit: erit vt transuersum latus ad rectum figuræ, quæ ad lineam tactus coniungentem constituitur, ita rectangulum contentum lineis inter sectionem & linearum occursum interiectis ad rectangulum, quod lineis similiter sumptis continetur.

Theor. XXIII. *Prop.* XXIII.

Si in oppositis sectionibus, quę coniugatę appellantur, duæ rectæ lineæ oppositas sectiones contingentes conueniant in quauis sectione: ducantur autem aliquę lineę contingentibus æquidi-

ſtantes, quę & ſibi ipſis, & aliis ſectionibus oppoſitis occurrant: vt quadrata contingentium inter ſe ſe, ita erit rectangulum lineis, quæ inter ſectiones, & occurſum interiiciuntur, ad rectangulum, quod lineis ſimiliter ſumptis continetur. *Theor. XXIV. Prop. XXIV.*

Si in oppoſitis ſectionibus, quas coniugatas appellamus, à centro ad ſectiones ducantur duæ rectæ lineę, quarum vna quidem ſit tranſuerſa diameter, altera verò recta, & ducantur aliæ lineę his diametris ęquidiſtantes, quę & ſibi ipſis & ſectionibus occurrant, ita vt occurſus ſit in loco inter quatuor ſectiones intermedio: rectangulum contentum portionibus lineę diametro tranſuerſæ æquidiſtãtis, vnà cum eo ad quod rectangulum ex portionibus lineæ ęquidiſtantis rectę diametro proportionem habet eandem, quàm diametri rectę quadratum ad quadratum tranſuerſæ: æquale erit duplo quadrati, quod à dimidia tranſuerſę diametri conſtituitur.

Theor. XXV. Prop. XXV.

Iiſdem poſitis, ſit linearum ipſis AC, BD æquidiſtantium occurſus in vna ſectionum DB, atque in puncto X, vt poſitum eſt. Dico rectangulum contentum portionibus lineę, quę tranſuerſę diametro ęquidiſtat, videlicet OXN, maius eſſe quàm illud, ad quod rectangulum ex portionibus lineę æquidiſtantis rectæ diametro, hoc eſt BXM, eandem proportionem habet, quàm rectæ diametri quadratum ad quadratum tranſuerſæ, duplo quadrati eius, quod à dimidia tranſuerſæ diametri conſtituitur. *Theor. XXVI. Prop. XXVI.*

Quod ſi æquidiſtantium occurſus ad punctum X ſit in vna ſectionum AC, vt poſitum eſt, rectangulum, quod continetur portionibus lineæ æquidiſtantis tranſuerſæ diametro, hoc eſt LXF minus erit, quam illud, ad quod rectangulum portionibus alterius lineæ contentum, hoc eſt RXG, eandem proportionem habet, quam rectę diametri quadratum ad quadratũ tranſuerſæ: duplo quadrati eius, quod à dimidia tranſuerſæ diametri conſtituitur.

Theor. XXVII. *Prop.* XXVII.

Si in ellipſi, vel circuli circumferentia coniugatæ diametri ducantur, quarum altera quidem ſit recta, altera verò tranſuerſa; & ducantur duę rectę lineę diametris æquidiſtantes, quæ & ſibi & ſectioni occurrant; quadrata ex portionibus lineæ æquidiſtantis tranſuerſæ diametro, quæ inter ſectionem, & linearum occurſum interiiciuntur aſſumentia figuras ex portionibus lineę, quæ rectæ diametro ęquidiſtat, inter linearum occurſum, & ſectionem interiectis, ſimiles & ſimiliter deſcriptas ei, quæ ad rectam diametrum conſtituitur, quadrato tranſuerſę diametri ęqualia erunt.

Th. XXVIII. *Prop.* XXVIII.

Si in oppositis sectionibus, quas coniugatas appellamus; coniugatæ diametri ducantur, vt earum altera recta sit, altera tranſuersa: & ducãtur duæ rectæ lineæ diametris æquidistantes, quæ & sibi ipsis & sectionibus occurrant: quadrata ex portionibus lineæ æquidistantis rectę diametro, quæ inter linearum occursum, & sectiones interiiciuntur, ad quadrata ex portionibus alterius lineæ, quæ tranſuersæ diametros æquidistat, interſectionem & occursum linearum interiectis: eandem proportionem habent, quam rectæ diametri quadratum ad quadratum taanſuersæ.

Th. XXIX. *Prop.* XXIX.

Iisdem positis, si linea rectæ diametro æquidistans secet asymptotos: quadrata ex portionibus ipsius, quæ inter linearum occursum, & asymptotos interiiciuntur, assumentia dimidium quadrati facti à recta diametro, ad quadrata ex portionibus lineę quę tranſuersæ diametro æquidistat, inter occursum linearum, & asymptotos interiectis eandem proportionem habent, quàm rectæ diametri quadratum ad quadratum tranſuersæ.

Th. XXX. *Prop.* XXX.

Si hyperbolem contingentes duæ rectæ lineæ sibi ipsis occurrant; & per tactus linea producatur; per occursum verò ducatur linea vni asymptoton æquidistans: sectionemque & lineam contingentem tactus secans: quæ interiicitur inter occursum, & lineam tactus coniungentem à sectione bifariam diuidetur.

Th. XXXI. *Prop.* XXXI.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & per tactus linea producatur: per occursum verò ducatur linea asymptoto æquidistans, quæ sectionem & lineam tactus coniungentem secet: linea inter occursum, & eam quæ tactus coniungit, interiecta à sectione bifariam diuidetur.

Theor. XXXII. *Prop.* XXXII.

Si hyperbolæ duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & per tactus linea producatur: & per occursum verò contingentium ducatur linea, tactus coniungenti æquidistans; & per punctum quod coniungentes tactus bifariam secat ducatur linea æquidistans alteri asymptoton: quæ inter dictum punctum, & lineam æquidistantem interiicitur, à sectione bifariam diuidetur.

Theor. XXXIII. *Prop.* XXXIII.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ cõtingentes sibi ipsis occurrant; & per tactus linea producatur: per occursum verò contingẽtiũ

ducatur linea tactus contingenti æquidistans: & per punctum, quod coniungentem tactus bifariam secat, ducatur linea æquidistans alteri asymptoton, conuenientsque cum sectione, & cum linea æquidistante per occursum ducta, quæ inter dictum punctum, & lineam æquidistantem interiicitur; à sectione bifariam diuidetur.

Theor. XXXIV. *Prop.* XXXIV.

Si in vna asymptoton hyperbolæ aliquod punctum sumatur: ab eóque recta linea sectionem contingat: & per tactum ducatur æquidistans asymptoto: quæ per dictum punctum transit, alteri asymptoton æquidistans, à sectione bifariam diuidetur.

Theor. XXXV. *Prop.* XXXV.

Iisdem positis, si à sumpto puncto recta linea ducatur, sectionem in duobus punctis secans: erit vt tota ad eam, quæ extra sumitur, ita inter se se portiones illius, quæ intra sectionem continetur.

Theor. XXXVI. *Prop.* XXXVI.

Iisdem positis, si à puncto ducta linea, neque sectionem in duobus punctis secet, neque æquidistans, sit asymptoto, sed cum opposita sectione conueniat: erit vt tota ad lineã, quæ inter sectionem, & asymptoton ad eam, quæ inter asymptoton & alteram sectionem.

Theor. XXXVII. *Prop.* XXXVII.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam, vel sectiones oppositas, contingentes duæ rectæ lineæ sibi ipsis occurrant. & per tactus linea producatur: ab occursu verò contingentium ducatur linea sectionem in duobus punctis secans: erit vt tota ad eam, quæ extra sumitur, ita portiones inter se se, quæ à linea tactus coniungente fiunt.

Theor. XXXVIII. *Prop.* XXXVIII.

Iisdem positis, si per contingentium occursum ducatur recta linea, tactus coniungenti æquidistans: & per punctum, quod coniũgentem tactus bifariam diuidit, ducatur linea secans, & sectionem ipsam in duobus punctis, & lineam æquidistantem per occursum ductam: erit vt tota ad eam, quæ extra sumitur inter sectionem, & lineam æquidistantem, ita portiones inter se se, quæ à linea tactus coniungente efficiuntur.

Theor. XXXIX. *Prop.* XXXIX.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & per tactus linea producatur: ab occursu verò contingentium ducta linea, & vtramque sectionem, & lineam tactus coniũgentem secet: erit vt tota ad eam, quæ extra sumitur, inter sectionem & coniungentem tactus, ita portiones inter se se, quæ inter sectiones & contingentium occursum interiiciuntur.

Theor. XL. *Prop.* XL.

Iisdem positis, si per occursum contingentium ducatur recta linea, tactus coniungenti æquidistans: & à puncto quod coniungentem tactus bifariam diuidit, ducatur linea secans vtramque sectionem, & æquidistantem ei, quæ tactus coniungit: erit vt tota ad eam, quæ extra sumitur inter æquidistantem & sectionē, ita portiones inter se se, quæ inter sectiones, & coniungentem tactus interiiciuntur.

Theor. XLI. *Prop.* XLI.

Si parabolem contingentes tres rectæ lineæ inter se cōueniant, in eandem proportionem secabuntur.

Theor. XLII. *Prop.* XLII.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia, vel oppositis sectionibus ab extremo diametri ducantur lineæ æquidistantes ei, quæ ordinatim applicata est; & alia quæpiam linea quomodocumque contingens ducatur: abscindet ex ipsis lineas continentes rectangulum æquale quartæ parti figuræ, quæ ad eandem diametrum constituitur.

Theor. XLIII. *Prop.* XLIII.

Si hyperbolem recta linea contingat, abscindet ex asymptotis ad sectionis centrum lineas continentes rectangulum æquale ei, quod continetur lineis ab altera contingente abscissis ad verticem sectionis, qui est ad axem.

Theor. XLIV. *Prop.* XLIV.

Si hyperbolem, vel oppositas sectiones contingentes duæ rectæ lineæ asymptotis occurrant: quæ ad occursus ducuntur, lineæ tactus coniungenti æquidistantes erunt.

Theor. XLV. *Prop.* XLV.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia, vel oppositis sectionibus ab extremo axis lineæ ad rectos angulos ducātur, & quartæ parti figuræ æquale rectangulum comparetur ad axem ex vtraque parte: quod in hyperbola quidem, & sectionibus oppositis excedat figurâ quadratâ: in ellipsi verò deficiat: & ducatur linea sectionem cōtingens, occurrénsque eis, quæ sunt ad rectos angulos: lineæ, quæ ab occursibus ducuntur ad puncta ex comparatione facta, angulos rectos ad ea efficient.

Theor. XLVI. *Prop.* XLVI.

Iisdem positis, lineæ coniunctæ æquales facient angulos ad contingentes.

Theor. XLVII. *Prop.* XLVII.

Iisdem positis, linea ab occursu coniunctarum ad tactum ducta, perpendicularis est ad contingentem.

Theor. XLVIII. *Prop.* XLVIII.

Iisdem positis, ostendendum est lineas, quæ à tactu ducũtur, ad pũcta ex comparatione facta, æquales cõtinere angulos ad contingentem.

Theor. XLIX. *Prop.* XLIX.

Iisdem positis, si ab aliquo punctorum ad contingentem perpendicularis agatur, quæ à facto puncto ducuntur ad axis extrema, rectos angulos continebunt.

Theor. L. *Prop.* L.

Iisdem positis, si à sectionis centro ducatur linea contingenti occurrens: æquidistansque lineæ per tactum, & per vnum punctorum ductæ dimidio axis æqualis erit.

Theor. LI. *Prop.* LI.

Si in hyperbola, vel oppositis sectionibus ad axem comparetur rectãgulum æquale quartæ parti figuræ: excedensque figura quadrata: & à punctis ex comparatione factis ad quamlibet sectionem rectæ lineæ inclinentur: maior minorem quantitate axis superabit.

Theor. LII. *Prop.* LII.

Si in ellipsi ad maiorem axem ex vtraque parte comparetur rectãgulum æquale quartæ parti figurę, defacienſque figura quadrata: & à punctis ex comparatione factis ad sectionem rectę lineæ inclinentur: ipsi axi æquales erunt.

Theor. LIII. *Prop.* LIII.

Si in hyperbola, vel ellipsi, vel circuli circumferentia, vel sectionibus oppositis ab extremo diametri ducãtur lineæ ordinatim applicatis æquidistantes: & à dictis terminis ad idem sectionis punctum lineæ ductę secent æquidistantes: rectangulum ex abscissis factum æquale erit figuræ, quæ ad eandem diametrum constituitur.

Theor. LIV. *Prop.* LIV.

Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam contingentes duæ rectæ lineæ sibi ipsis occurrant: & per tactus ducantur contingentibus æquidistantes: à tactibus verò ad idem sectionis punctum ductæ lineæ æquidistantes secent rectangulum ex abscissis cõstans ad quadratum lineæ tactus coniungentis, proportionem habebit compositam ex proportione, quam habet quadratum portionis lineæ ab occursu contingentium ad punctum medium coniungentis tactus ductæ, quæ est intra sectionem, ad reliquæ portionis quadratum: & ex proportione, quam habet rectangulum ex contingentibus factum ad quartam partem quadrati lineæ tactus coniungentis.

Theor.

Theor. LV. *Prop.* LV.

Si oppositas sectiones duæ rectæ lineæ contingentes sibi ipsis occurrant: & per occursum ducantur linea coniungenti tactus æquidistans: per tactus verò ducantur æquidistantes contingentibus: & à tactibus ad idem alterius sectionis punctum ducantur lineę, quæ equidistantes secent: rectangulum ex abscissis constans ad quadratum lineæ tactus coniungentis eãdem proportionem habebit, quam rectãgulum ex contingentibus factum ad quadratum lineæ ab occursu ad sectionem ductæ, quæ quidem coniungenti tactus æquidistet.

Theor. LVI. *Prop.* LVI.

Si vnam oppositarum sectionum duæ rectæ lineæ cõtingentes sibi ipsis occurrant: & per tactus ducantur contingentibus æquidistãtes: à tactibus verò ad idem alterius sectionis punctum ducantur lineæ, æquidistantes secent: rectangulum ex abscissis constãs ad quadratũ lineæ tactus coniungẽtis proportionem habebit compositam ex portione, quam habet quadratum portionis lineæ ad punctum medium coniungentis tactus ductæ, quæ est inter dictum punctum, & alteram sectionem, ad quadratum eius, quæ inter sectionem, & occursum interiicitur; & ex proportione, quam habet rectangulum ex contingentibus factum ad quartam partem quadrati lineæ tactus coniungentis.

APOLLONII
PERGÆI
CONICORVM
LIBER QVARTVS.

Ad Attalum Præfatio.

VDEMO Pergameno ad quẽ 3. priores libros miserat mortuo, 4. mittit Attalo, quem docet hoc libro cõtineri ad quot puncta plurima conorum sectiones inter se se, & circuli circumferentiæ occurrere possint, nisi totæ totis congruant. Præterea coni sectio, & circuli circumferentia; & oppositæ sectiones oppositis sectionibus ad quot puncta plurima occurrant: ad hæc non pauca his similia. Ex his quod primo loco dictum est, Conon Samius

ad Trasidem scribens explicauit, non rectè in demonstrationibus ver-
fatus. Itaque Nicoteles Cyrenæus eum leniter reprehendit. De secũ-
do Nicoteles in libro contra Cononem mẽtionem sic fecit, tanquam
quod facilè demonstrari posset. Sed tamen nos, inquit Apollonius,
neque ab ipso, neque ab alio quopiam demõstratum inuenimus. Ter-
tium verò, & eiusdem generis alia, ne in mẽtem quidem alicui vn-
quam venisse comperimus. At quæ diximus ab alijs demonstrata non
fuisse, omnia multis, ac variis, nouisque theorematibus indigent, quo-
rum plurima in tribus primis libris, reliqua in hoc exposuimus. Horũ
igitur contemplatio non paruam vtilitatem affert, & ad compositio-
nes problematum, & ad determinationes. Nicoteles quidem ob dis-
sensionem, quæ illi cum Conone erat, scribit nihil eorum, quæ à Co-
none inuenta sunt, ad determinationes pertinere. Quod ille falso af-
firmat, nam & si omnino absque his determinationes reddere possi-
mus, tamen ex his ipsis nonnulla faciliùs percipiuntur: vel hoc, quòd
aliquid multipliciter fiat, vel quotupliciter, vel rursus quod nullo mo-
do fiat: quæ quidem cognitio si antecesserit, ad quæstiones magnam
præstat facultatem. Præterea ad definitionũ resolutiones theoremata
hæc valde vtilia sunt: quæ etiam si absit vtilitas propter ipsas demon-
strationes digna sunt vt recipiantur: multa enim alia in mathemati-
cis disciplinis ob hoc ipsum & non ob aliquod aliud recipere consue-
uimus.

Theor. I. *Prop.* I.

Si in coni sectione, vel circuli circumferentia aliquod pũctum ex-
tra sumatur: atque ab eo ad sectionem ducãtur duæ rectæ lineæ, vna
quidẽ contingens, altera verò in duobus pũctis secans: & quam pro-
portionem habet tota linea secãs ad partem sui ipsius, quæ extra sumi-
tur inter pũctum & sectionẽ interiecta in eandem diuidatur, quæ est
intra, ita vt rectæ lineæ eiusdẽ rationis ad vnum punctum conueniãt:
quæ à tactu ad diuisionem ducitur, occurret sectioni: & quæ ab occur-
su ducitur ad punctum extra sumptum sectionem continget.

Theor. II. *Prop.* II.

Hæc quidem communiter in omnibus sectionibus demonstrata
sunt, at in sola hyperbola, si linea DB sectionem contingat; & DC in
punctis E C secet: puncta verò E C contineant tactum ad B: &
punctum D sit intra angulum asymptotis comprehensum: similiter
fiet demonstratio: possumus enim à puncto D aliam ducere contin-
gentem *D A*, & quæ reliqua sunt ad demonstrationem perficere.

Theor. III. Prop. III.

Iisdem existentibus, puncta E C tactum ad B non contineant : sitque punctum *D* intra angulum asymptotis comprehensum, poterimus à puncto *D* alteram contingentem ducere, quæ sit *D A*, & reliqua similiter demonstrare.

Theor. IV. Prop. IV.

Iisdem positis, si occursus E C cõtineant tactum ad B : & punctum *D* sit in angulo, qui deinceps angulo asymptotis comprehenso: linea quæ à tactu ad diuisionem ducitur, occurret oppositæ sectioni: & quæ ab occursu ducitur, eandem sectionem continget.

Theor. V. Prop. V.

Iisdem positis, si punctum *D* sit in vna asymptoton: quæ à puncto B ad E ducitur, eidem asymptoto æquidistabit.

Theor. VI. Prrop. VI.

Si in hyperbola aliquod punctum extra sumatur, à quo ad sectionem ducantur duæ rectæ lineæ: altera quidem contingens: altera verò æquidistãs vni asymptoton: & portio æquidistãtis inter sectionẽ, & punctum interiecta, æqualis sit ei, quæ intra sectionem continetur: linea, quæ à tactu ad factum pũctum ducitur, occurrit sectioni : & quæ ab occursu ducitur ad punctum extra sumptum sectionem cõtinget.

Theor. VII. Prop. VII.

Iisdem positis, sit punctum *D* in angulo deinceps ei, qui asymptotis continetur. *D*ico etiam sic casum euenire.

Theor. VIII. Prop. VIII.

Iisdem positis, sit punctum *D* in vna asymptoton : & reliqua eadem fiant. *D*ico lineam, quæ à tactu ad externam partem sumptæ ducitur, æquidistantem esse asymptoto, in qua est punctum *D*.

Theor. IX. Prop. IX.

Si ab eodem puncto duæ rectæ lineæ ducantur, quarum vtraque conisectionem, vel circuli circumferentiam in duobus punctis secet. & quam proportionem habent totæ lineæ ad portiones, quæ extra sumuntur, in eam diuidantur, quæ sunt intra, ita vt partes eiusdem rationis ad idem punctum conueniant : quæ per diuisiones ducitur linea, sectioni in duobus punctis occurret : & quæ ab occursu ad punctum extra sumptum ducuntur, sectionem contingent.

Theor. X. Prop. X.

Hæc quidem communiter in omnibus, at in sola hyperbola ; si alia quidem eadem sint, vnius autem rectę lineæ occursus contineãt occursus alterius : & punctum *D* sit intra angulum asymptotis comprehensum ; eadem prorsus euenient, quæ dicta sunt, vt in secundo theoremate tradidimus.

Theor. XI. *Prop.* XI.

Iisdem positis, si vnius lineæ occursus alterius non contineant, & punctum D sit intra angulum asymptotis comprehensum: & figura, & demonstratio eadem erit, quæ in tertio theoremate.

Theor. XII. *Prop.* XII.

Iisdem positis, si occursus vnius lineæ, alterius occursus contineāt: & punctum sumptum sit in angulo deinceps ei, qui asymptotis comprehenditur: linea per diuisiones ducta, si producatur, occurret oppositæ sectioni: & quæ ab occursibus ducuntur ad punctum D, oppositas sectiones contingent.

Theor. XIII. *Prop.* XIII.

Iisdem positis, si punctum D sit in vna asymptoton, & reliqua eadem existant: quæ per diuisiones transit linea asymptoto, in qua est punctum, æquidistabit: & producta occurret sectioni: quæ verò ab occursu ad punctum ducitur, sectionem continget.

Theor. XIV. *Prop.* XIV.

Iisdem positis, si punctum D sit in vna asymptoton: & linea quidem DE sectionem in duobus punctis secet: D G verò alteri asymptoto æquidistans secet in vno tantùm; quod sit G; fiatque, vt E D ad DH, ita EK ad KH: & ipsi D G ponatur æqualis G L; quæ per puncta KL transit linea, asymptoto æquidistabit, & sectioni occurret: quæ verò ab occursu ducitur ad D, sectionem continget.

Theor. XV. *Prop.* XV.

Si in sectionibus oppositis inter duas sectiones sumatur aliquod punctum, & ab ipso duæ lineæ ducantur; altera quidem contingens vnam oppositarum: altera verò vtramque secans: & quam proportionem habet linea inter sectionem, quam non contingit, & punctum interiecta ad lineam; quæ est inter punctum, & alteram sectionem, eandem habeat linea quædam maior ea, quæ inter sectiones interiicitur ad excessum ipsius in eadem recta, & ad eundem terminum cum linea eiusdem rationis: quæ à termino maioris lineæ ad tactum ducitur, occurret sectioni, & quæ ab occursu ducitur ad sumptum punctum, sectionem continget.

Theor. XVI. *Prop.* XVI.

Iisdem positis, sit punctum D in angulo deinceps ei, qui asymptotis continetur: & reliqua eadem fiant. Dico lineam à puncto F ad C productam occurrere oppositæ sectioni: & quæ ab occursu ducitur ad D, eandem sectionem contingere. *Theor.* XVII. *Prop.* XVII.

Iisdem positis, sit punctum D in vna asymptoton. Dico lineam, quæ ab F ad C ducitur, asymptoto, in qua est punctum, æquidistare.

Theor. XVIII. *Prop.* XVIII.

Si in sectionibus oppositis aliquod punctum sumatur inter duas sectiones: & ab ipso duæ lineæ ducantur, vtrâmque sectionem secantes: & quam proportionem habent interiectæ inter vnam sectionem & punctum ad eas, quæ inter idem punctum, & alteram sectionem interiiciuntur, eandem habeant lineæ maiores iis, quæ sunt inter sectiones oppositas ad excessus ipsarum: quæ per terminos maiorum linearum transeunt, occurrent sectionibus: & quæ ab occursibus ad sumptum punctum ducuntur, sectiones contingent.

Theor. XIX. *Prop.* XIX.

Sumatur punctum D in angulo deinceps ei, qui asymptotis continetur: ducantúrque rectæ lineæ sectiones secantes: & vt dictum est, diuidantur. Dico eam, quæ per KG producitur, occurrere vtriquesectionum: & quæ ab occursibus ducuntur ad D sectiones cõtingere.

Theor. XX. *Prop.* XX.

Si sumptum punctum sit in vna asymptoton, & reliqua eadem fiant: linea, quæ transit per terminos excessuum, asymptoto, in qua est punctum, æquidistabit: & quæ à puncto ducitur ad occursum sectionis, & lineæ per terminos transeuntis, sectionem continget.

Theor. XXI. *Prop.* XXI.

Sint rursus oppositæ sectiones AB: sítque punctum D in vna asymptoton: & linea quidem DBK in vno tantùm puncto occurrat sectioni B, alteri asymptoto æquidistans: linea verò CDHG vtríque sectioni occurrat: & vt CD ad DH, ita CG ad GH. & ipsi DB æqualis sit BK. Dico lineam, quæ per puncta KG transit, occurrere sectioni: asymptotóque, in qua est punctum D. æquidistare: & quæ ab occursu ad punctum D ducitur sectionem contingere.

Theor. XXII. *Prop.* XXII.

Sint similiter oppositæ sectiones, asymptotíque: & punctum D sumatur in angulo deinceps ei, qui asymptotis continetur: linea verò CDH secet vtráque sectiones: & DB alteri asymptoto æquidistet: sítque vt CD ad DH, ita CG ad GH: & ipsi DB æqualis ponatur BK. Dico lineam, quæ per puncta KG transit, occurrre vtríque oppositarum sectionum: & quæ ab occursibus ducuntur ad D sectiones eadem contingere.

Theor. XXIII. *Prop.* XXIII.

Sint itidem oppositæ sectiones AB: punctúmque D sit in angulo deinceps ei, qui asymptotis continetur: & linea quidem BD sectionẽ B in vno puncto tantùm secet, alteri asymptoto æquidistans: linea verò DA similiter sectionem A: sítque DB ipsi BG æqualis: & DA

ipſi AK. Dico lineam, quæ tranſit per KG, occurrere ſectionibus, & quæ ab occurſibus ad D ducuntur, ſectiones contingere.

Theor. XXIV. *Prop.* XXIV.

Coni ſectio coni ſectioni, vel circuli circumferentiæ non occurrit ita vt pars quidem eadem ſit: pars verò non ſit communis.

Theor. XXV. *Prop.* XXV.

Coni ſectio coni ſectionem vel circuli circumferentiam in pluribus punctis, quàm quatuor non ſecat.

Theor. XXVI. *Prop.* XXVI.

Si dictarum linearum aliquæ in vno puncto ſeſe contingant, non occurrent ſibi ipſis ad alia puncta plura quàm duo.

Th. XXVII. *Prop.* XXVII.

Si prædictarum linearum aliquæ in duobus punctis ſeſe contingant, in alio puncto ſibi ipſis non occurrent.

Theor. XXVIII. *Prop.* XXVIII.

Parabole parabolem non contingit, præterquàm in vno puncto.

Theor. XXIX. *Prop.* XXIX.

Parabole hyperbolem non contingit in duobus punctis extra ipſam cadens.

Theor. XXX. *Prop.* XXX.

Parabole ellipſim, vel circuli circumferentiam non contingit in duobus punctis intra ipſam cadens.

Theor. XXXI. *Prop.* XXXI.

Hyperbole hyperbolem idem centrum habens in duobus punctis non continget.

Theor. XXXII. *Prop.* XXXII.

Si ellipſis ellipſim, vel circuli circumferentiam, idem centrum habens in duobus punctis contingat: linea coniungens tactus per centrum tranſibit.

Theor. XXXIII. *Prop.* XXXIII.

Coni ſectio, vel circuli circumferentia, coni ſectioni, vel circuli circumferentiæ, quæ non ad eaſdem partes conuexa habeat, ad plura puncta, quàm duo non occurret.

Theor. XXXIV. *Prop.* XXXIV.

Si coni ſectio, vel circuli circumferentia occurrat vni oppoſitarum ſectionum in duobus punctis: & lineæ, quæ inter occurſus interiiciuntur, ad eaſdem partes concaua habeant: producta linea ad occurſus alteri oppoſitarum ſectionum non occurret.

Theor. XXXV. *Prop.* XXXV.

Si coni ſectio, vel circuli circumferentia vni oppoſitarum ſectionũ

occurrat: reliquæ ipſarum non occurret ad plura puncta, quàm duo.

Theor. XXXVI. *Prop.* XXXVI.

Coni ſectio, vel circuli circumferentia oppoſitis ſectionibus ad plura puncta, quàm quatuor non occurret.

Theor. XXXVII. *Prop.* XXXVII.

Si coni ſectio, vel circuli circumferentia vtramque oppoſitarum ſectionum concaua ſui parte contingat, alteri oppoſitarum non occurret.

Theor. XXXVIII. *Prop.* XXXVIII.

Si coni ſectio, vel circuli circumferentia vtramque oppoſitarum ſectionum contingat in vno puncto; oppoſitis ſectionibus in alio puncto non occurret.

Theor. XXXIX. *Prop.* XXXIX.

Si hyperbole vni oppoſitarum ſectionum in duobus punctis occurrat, conuexa habens è regione ſita: quæ ſibi opponitur ſectio, alteri oppoſitarum non occurret.

Theor. XL. *Prop.* XL.

Si hyperbole occurrat vtrique oppoſitarum ſectionum: quæ ipſi opponitur ſectio, nulli oppoſitarum in duobus punctis occurret.

Theor. XLI. *Prop.* XLI.

Si hyperbole vtramque oppoſitarum ſectionum in duobus punctis ſecet, conuexa habens è regione ſita: quæ ipſi opponitur ſectio, nulli oppoſitarum occurret.

Theor. XLII. *Prop.* XLII.

Si hyperbole vnam oppoſitarum ſectionum in quatuor punctis ſecet, quæ ipſi opponitur ſectio, non occurret alteri oppoſitarum.

Theor. XLIII. *Prop.* XLIII.

Si hyperbole alteri oppoſitarum in duobus punctis occurrat, concaua habens ad eaſdem partes: quę ipſi opponitur ſectio nulli oppoſitarum occurret.

Theor. XLIV. *Prop.* XLIV.

Si hyperbole vni oppoſitarũ ſectionum occurrat in tribus punctis, quæ ipſi opponitur alteri oppoſitarum, præterquam in vno puncto, non occurret.

Theor. XLV. *Prop.* XLV.

Si hyperbole vnam oppoſitarum ſectionum contingat, alteram verò ſecet in duobus punctis: quæ ipſi opponitur ſectio, nulli oppoſitarum occcurret.

Theor. XLVI. *Prop.* XLVI.

Si hyperbole vnam oppositarum sectionum in vno puncto contingat; & secet in duobus punctis: quæ ipsi opponitur sectio, alteri oppositarum non occurret.

Theor. XLVII. *Prop.* XLVII.

Si hyperbole vnam oppositarum sectionum contingens in alio puncto secet: quæ ipsi opponitur sectio alteri oppositarum non occurret præterquam in vno puncto.

Theor. XLVIII. *Prop.* XLVIII.

Si hyperbole vnam oppositarum sectionum in vno puncto contingat; quæ ipsi opponitur sectio, alteri oppositarum non occurret ad plura puncta, quam duo.

Theor. XLIX. *Prop.* XLIX.

Si hyperbole contingat vtramque oppositarum sectionum: quæ ipsi opponitur sectio nulli oppositarum occurret.

Theor. L. *Prop.* L.

Si vtraque oppositarum sectionum in vno puncto contingat, ad easdem partes concaua habens: in alio puncto non occurret.

Theor. LI. *Prop.* LI.

Si hyperbole vnam oppositarum sectionum contingat in duobus punctis: quæ ipsi opponitur sectio, alteri oppositarum non occurret.

Theor. LII. *Prop.* LII.

Si hyperbole vnam oppositarum sectionum contingat, conuexa habens è regione sita: quæ ipsi opponitur sectio, alteri oppositarum non occurret.

Theor. LIII. *Prop.* LIII.

Oppositæ sectiones oppositas non secant in pluribus punctis, quàm quatuor.

Theor. LIIII. *Prop.* LIIII

Si oppositæ sectiones oppositas in vno puncto contingant: non occurrent sibi ipsis ad alia puncta plura, quàm duo.

Theor. LV. *Prop.* LV.

Si sectiones oppositæ oppositas contingant in duobus punctis: in alio puncto sibi ipsis non occurrent.

PRÆFATIO SEREI ANTISSENSIS PHILOSOPHI, in librum de sectione cylindri.

Serenus Cyro S. D.

CVm videam quam plurimos (amice Cyre) eorum qui in Geometria versantur, arbitrari transuersam cylindri sectionem longè diuersam esse ab ea sectione coni, quæ ellipsis appellatur: non committendum putaui, vt ab errore non auerterē tum eos ipsos, qui ita arbitrantur, tum eos, qui ab his illud ita esse persuaderi possent. Quam quam absurdum omnino videatur Geometras ipsos de problemate geometrico sine demonstratione quicquam affirmare: oratio enim probabilis, & sine vllo artificio à Geometria alieniſſima est. Itaque quoniam ita sentiunt, nos autem non assentimur, libuit geometricè demonstrare vnam, atque eandem specie sectionem necessariò fieri in vtrisque figuris, in cono, inquam, & cylindro, si modò ratione quadam & non simpliciter secentur. Quemadmodum autem veteres, qui conica tractarunt, non contenti communi intelligentia coni, nempè quod à triangulo rectangulo constitueretur: vniuersaliùs, & artificiosius de ipso conscripserunt, non tantùm rectos, sed etiam scalenos conos statuentes: ita & nobis faciendum erit. Nam cùm cylindri sectionem nobis tractandam proposuerimus, non solùm rectum cylindrum, sed etiam scalenum ponentes, quæ ad hanc contemplationem pertinent, latiùs, fusiùsque explicabimus. Et quamquam certò sciam neminem fore, qui facilè admittat non omnem conum rectum esse, communi notione id suadente: tamen contemplationis gratiâ melius esse iudicaui vniuersaliori definitione ipsum comprehendere: etenim cylindri recti sectio eadem est, quæ ellipsis recti coni: sed cylindro vniuersaliùs accepto, sectionem eius omni pariter ellipsi eandem esse necessariò continget: id quod nos in hoc libro probare instituimus. Attendenda autem priùs hæc sunt quæ ad propositam materiam definire oportet.

DEFINITIONES.

I. SI igitur duorum circulorum æqualium, & æquidistantium diametri semper inter se æquidistantes, & ipsæ in circulorum planis circa manens centrum circumferanur: & vna circumferatur recta linea diametrorum terminos ex eadem parte coniungens, quo-vsque rursus in eum locum restituatur, à quo moueri cœpit; superficies, quæ à circumlata linea describitur, cylindrica superficies vocetur: quæ quidem & in infinitum augeri potest: lineâ ipsa describente in infinitum producta.

II. Cylindrus, figura, quæ circulis æquidistantibus, & cylindrica superficie inter ipsos interiecta continetur.

III. Cylindri basis, circuli ipsi.

IV. Axis, recta linea, quę per circulorum centra ducitur.

V. Latus autem cylindri linea, quæ cum recta sit, & in superficie ipsius cylindri: bases vtrasque contingit: quam & circumlatam cylindri superficiem describere antea diximus.

VI. Cylindrorum, recti quidem dicantur, qui axem habent ad rectos angulos existentem ipsis basibus.

VII. Scaleni autem, qui non ad rectos angulos existentem ipsis basibus axem habent. Sed & hæc ex Apollonio scire oportet.

VIII. Omnis lineæ curuæ in vno plano existentis diameter vocetur recta linea, quæ quidem ducta à linea curua, omnes, quę in ipsa ducuntur, rectæ cuipiam æquidistantes bifariam diuidit.

IX. Vertex lineæ, terminus ipsius rectæ, qui est ad lineam.

X. Ordinatim ad diametrum applicari dicitur vnaquæque linearũ æquidistantium.

XI. Coniugatæ diametri dicantur, quæ quidem à linea ordinatim ductæ ad coniugatas diametros, ipsas similiter diuidunt.

XII. His igitur positis, & transuersis sectionibus cylindri punctum quod diametrum bifariam diuidit, centrum sectionis vocetur.

XIII. Quæ à centro ad lineam perducitur, dicatur ea, quæ ex centro.

XIV. Quæ verò per centrum sectionis transit, ęquidistans ei, quæ ordinatim applicata est, & terminatur ab ipsa linea, secunda diameter dicatur. Demonstrabitur enim lineas omnes in sectione ductas, quæ quem diametro ęquidistant, bifariam secare.

XV. Illud etiam determinandum est, similes ellipses esse quarũ cõ-

iugatæ diametri ſe ſe ad angulos æquales ſecantes eandem habent proportionem.

Theorema I. *Propoſitio* I.

SI duæ rectæ lineæ ſe ſe tangentes, duabus rectis lineis ſe ſe tangentibus ęquidiſtent, & ſint vtræque vtriſque æquales: quę terminos earũ coniungũt rectæ lineæ, & ipſæ æquales, & æquidiſtantes erunt.

Theorema II. *Propoſitio* II.

Si cylindrus plano ſecetur per axem, ſectio parallelogrammum erit.

Theor. III. *Prop.* III.

Si cylindrus plano ſecetur æquidiſtante ei parallelogrammo, quod fit per axem, ſectio parallelogrammum erit, æquales ipſi angulos habens.

Theor. IV. *Prop.* IV.

Si curuæ lineæ recta ſubtendatur: & quæ ad lineam ad ſubtenſam perpendiculares ducuntur, poſſint æquale, ei quod ipſius ſubtenſæ partibus continetur: dicta linea circuli circumferentia erit.

Theor. V. *Prop.* V.

Si cylindrus plano baſibus æquidiſtante ſecetur, ſectio circulus erit, centrum habens in axe.

Theor. VI. *Prop.* VI.

✠ Si cylindrus ſcalenus plano per axem ſecetur, ad rectos angulos ipſi baſi: ſecetur autem & altero plano, recto ad parallelogrammum per axem, quod faciat communem ſectionem in parallelogrammo rectam lineam, æquales angulos continentem iis, qui ſunt parallelogrammi, non autem ipſius baſibus æquidiſtantem: ſectio circulus erit. Vocetur autem talis ſectio ſubcontrariæ.

Theor. VII. *Prop.* VII.

Cylindro dato, & puncto in ſuperficie eius: per dictum punctum latus cylindri ducere.

Theor. VIII. *Prop.* VIII.

Si in ſuperficie cylindri duo puncta ſumantur non exiſtentia in latere parallelogrammi per axem: quæ dicta puncta coniungit recta linea intra cylindri ſuperficiem cadet.

Theor. IX. *Prop.* IX.

Si cylindrus plano ſecetur, neque baſibus æquidiſtante, neque ſubcontrariè poſito, neque per axem, neque æquidiſtante ei, quod per axem fit parallelogrammo: ſectio neque circulus, neque parallelogrammum erit.

Simul verò & illud demonstratum est rectam lineam, quæ in sectione ipsi FG *æquidistans ducta bifariam diuidit* CD, *diametro basis æqualem esse.*

Theor. X. *Prop.* X.

Si cylindrus plano per axem secetur: sumatur autem aliquod punctum in eius superficie, quod non sit in latere parallelogrammi per axem: & ab ipso ducatur recta linea æquidistans rectæ cuipiam, quæ in eodem plano existit, in quo cylindri basis, & ad rectos incidit basi parallelogrammi per axem: cadet ea inter parallelogrammũ, & producta vsque ad alteram partem superficiei ab ipso parallelogrammo bifariam secabitur.

Theor. XI. *Prop.* XI.

Si cylindrus secetur plano, basis planum extra circulum secante: communis autem sectio perpendicularis sit ad basim parallelogrãmi per axem; vel ad eam, quæ in rectum ipsi cõstituitur: rectæ lineæ, quæ à sectione in superficie cylindri à secante plano facta ducuntur; æquidistantes lineę perpendiculari ad basim parallelogrammi per axem, vel ad eam, quę in rectum ipsi constituitur, in communem sectionem planorum cadent: & productæ vsque ad alteram sectionis partem, à communi planorum superficie bifariam diuidentur: quæ verò perpendicularis est ad basim parallelogrammi per axem, vel ad eam, quæ ipsi in rectum constituitur, cylindro recto existente, etiam ad communem planorum sectionem, parallelogrammi scilicet per axem, & secantis plani perpendicularis erit: scaleno autem existente cylindro non item, præterquam cum parallelogrammum per axem ad ipsam basim cylindri rectum fuerit.

Theor. XII. *Prop.* XII.

✠ Si duæ rectæ lineæ similiter secentur, erit vt quadratum primæ ad quadratum secundæ: ita quod fit ex primæ partibus rectangulum ad rectangulum ex partibus secundæ.

Theor. XIII. *Prop.* XIII.

✠ Si cylindrus plano secetur per axem, & secetur altero plano basis planum secante, ita vt communis sectio basis, & secantis plani perpendicularis sit ad basim parallelogrammi per axem, vel ad eam, quæ in rectum ipsi constituitur: à sectione autem ad diametrum ducatur linea communi planorum sectioni æquidistans: poterit dicta linea spatium quoddam, ad quod rectangulum diametri sectionis partibus contentum eam proportionem habet, quam diametri sectionis quadratum ad quadratum diametri basis.

Theor. XIV. *Prop.* XIV.

Recta linea, quæ punctum, quod diametrum sectionis bifariam diuidit ordinatim in sectione applicatur, secunda diameter erit.

Theor. XV. *Prop.* XV.

Si cylindrus plano secetur basis planum secante: communis autem sectio plani basis, & secantis plani perpendicularis sit ad basim parallelogrammi per axem, vel ad eam quæ ipsi in rectum constituitur: quæ à sectione ad diametrum ducitur linea, æquidistans communi planorum sectioni iam dictæ, poterit spatium quoddam, ad quod rectangulum diametri partibus contentum eam proportionem habet, quam diametri sectionis quadratum ad quadratum secundæ diametri: quæ verò à sectione ad secundam diametrum ducitur, æquidistans diametro, poterit spatium, ad quod rectangulum ex secundæ diametri partibus eam habet proportionem, quam quadratum secundæ diametri ad ipsum diametri quadratum.

Theor. XVI. *Prop.* XVI.

Si in cylindri sectione coniugatæ diametri sint, & fiat, vt diameter sectionis ad secundam diametrum, ita secunda diameter aliam quampiam: quę à sectione ad diametrum ordinatim applicata est, poterit spatium, quod adiacet tertiæ proportionali, latitudinem habens eam, quę inter ordinatim applicatam, & sectionem interiicitur: & deficiens figura simili ei, quæ diametro ipsa & tertia proportionali continetur

Th. XVII. *Prop.* XVII.

Si in cylindri sectione coniugatæ diametri sint: & fiat vt secunda diameter ad diametrũ, ita diameter ad aliam lineam: quæ à sectione ad secundam diametrum ordinatim applicatur, poterit spatium, quod adiacet tertiæ proportionali, latitudinem habens eam, quæ inter ordinatim applicatam, & sectionem interiicitur: & deficiens figura simili ei, quæ secunda diametro, & tertia proportonali inuenta continetur.

Th. XVIII. *Prop.* XVIII.

Si in sectione cylindri rectæ lineæ ad diametrum ordinatim applicentur, erunt quadrata earum ad spatia contenta lineis, quæ inter ipsas, & terminos transuersi lateris figuræ interiiciuntur vt rectum figuræ latus ad transuersum: inter se verò, vt spatia, quæ lineis similiter sumptis continentur.

Th. XIX. *Prop.* XIX.

Itaque dico fieri posse, vt conum simul & cylindrum vna eademque ellipsi sectos ostendamus.

Probl. I. *Prop.* XX.

Cono dato & ellipsi, in eo cylindrum eadem ellipsi coni sectum inuenire.

Probl. II. *Prop.* XXI.

Cylindro dato & ellipsi, in eo conum eadem ellipsi cylindri sectum inuenire.

Probl. III. *Prop.* XXII.

Cono dato inuenire cylindrum, & vtrosque eodem plano secare, quod sectiones in vtrisque similes ellipses efficiat.

Probl. IIII. *Prop.* XXIII.

Cylindro dato inuenire conum, & vtrosque secare eodem plano, quod sectiones faciat in vtrisque ellipses similes.

Theor. XX. *Prop.* XXIV.

Sit recta linea A B, quæ secetur in punctis *C D*, & non sit A C maior quam *D B*. *D*ico si ad *A C* comparetur spatium æquale quadrato C B, excedens figura quadrata: latus excessus maius quidem esse, quam *C D*: minus verò, quàm C B.

Probl. V. *Prop.* XXV.

*D*ato cylindro ellipsi secto, conum constituere in eadem basi cylindri, eadémque altitudine: & sectum eodem plano, quod sectionem faciat ellipsim cylindri ellipsi similem.

Probl. VI. *Prop.* XXVI.

*D*atum cylindrum, vel conum scalenum possumus ex eadem parte infinitè secare duobus planis, non æquidistanter positis, quæ ellipses similes efficiant.

Probl. VII. *Prop.* XXVII.

*D*atum cylindrum scalenum, vel conum possumus ex oppositis partibus infinitè secare duobus planis, quæ ellipses similes efficiant.

Theor. XXI. *Prop.* XXVIII.

Ex his manifestum est coniugationi similium ellipsium, quæ ex eadem parte sit, similem esse coniugationem quandam similium ellipsium ex oppositis partibus; quippe quæ diametros habet ex contraria parte diametris respondentes.

Theor. XXII. *Prop.* XXIX.

Rectæ lineæ, quæ ab eodem puncto cylindricam superficiem contingunt ex vtraque parte: omnes in vnius parallelogrammi lateribus tactiones fiunt.

Theor. XXIII. *Prop.* XXX.

Hoc demonstrato. Sit parallelogrammum A B C *D*: & eius basi *A B* æquidistantes ducantur E F, G H: sumpto autem aliquo puncto

k, non existente in plano parallelogrammi, iungantur, k *E*, k *F*, k *G*, k *H*: quæ productæ occurrant plano cuipiam æquidistanti ipsi A B *C D* in punctis L M N X: & iungantur L N M X. *D*ico lineam M X ipsi L N æquidistantem esse.

Theor. XXIV. *Prop.* XXXI.

Si extra triangulum punctum sumatur: & ab eo ducatur quædam recta linea triangulum secans: à vertice autem ad basim alia agatur, quæ secet lineam ductam, ita vt quam proportionē habet tota ad partem extra triangulum assumptam, eādem habeat eius, quæ intra triāgulum continetur, maior portio ad minorē quælibet recta linea, quæ ex eodem puncto ducta triangulum secat, ab ea, quæ à vertice ad basim ducitur, in eandem proportionem secatur. Quod si lineæ ab eo puncto in triangulum ductæ secentur in eandem proportionem: recta linea, quæ ipsas secat in triangulo, per trianguli verticem necessariò transibit.

Theor. XXV. *Prop.* XXXII.

Rectæ lineæ, quæ ab eodem puncto conicam superficiem contingunt ex vtraque parte: omnes in vnius trianguli lateribus tactiones faciunt.

Theor. XXVI. *Prop.* XXXIII.

Hoc demonstrato, sit triangulum ABC, cuius basi DC æquidistātes ducantur DEFG, & sumpto aliquo pūcto H, quod non sit in triāguli plano, iungantur HD, HE, HG, HE; & productæ occurrāt plano alicui, quod plano ABC æquidistet, in punctis KLMN: planum igitur per lineas DEKH ductum secabit etiam planum KLMN & in eo communem sectionem faciet rectam lineam KN, ipsi DE æquidistātem. Eodem modo & planum ductum per lineas FG, LH faciet rectā lineam LM æquidistantem ipsi FG. Quoniam igitur planum k *H L* æquidistantibus planis ABC, k *L MN* secatur, communes ipsorum sectiones KL, DF æquidistantes sunt, & eadem ratione æquidistantes MN, GE, ergo productæ KL, MM conuenient inter se se: conueniant in X: & cum duæ lineæ KX, XN duabus DA, AE æquidistent, angulus ad X, angulo ad A æqualis erit. Rursum cum duæ XK, KN æquidistent duabus AD, DE, erit angulus XKN angulo ADE æqualis: triangula igitur XKN, ABC inter se se similia erunt.



Quod si punctum *H* fingamus esse corpus illuminãs, & triangulum ABC eius radiis oppositum, siue per se se, siue in cono, continget radios, qui ab ipso *H* emittuntur, per triangulum ABC facere triangulum vmbræ *XKN* ipsi ABC simile; & quamquam hæc ad opticam contemplationem pertineant, & ob id à proposita tractatione aliena videantur, tamen perspicuè constat sine iis, quæ hoc loco de coni & cylindri sectione, hoc est de elipsi, & rectis lineis cum contingentibus demonstrata sunt, problema eiusmodi absolui non posse: quare non temerè, sed necessario de his sermonem instituimus.

SERENI LIBER SECVNDVS

DE SECTIONE CONI.

Serenus Cyro S. D.

VM sectio conorum, optime Cyre, quæ per verticem efficitur, triangula quidem in conis constituat, variam autem, & perpulchram habeat contemplationem: & à nullo eorum, qui ante nos fuerunt, quod sciam, pertractata sit: optimè me facturum existimauir, si locum hunc non inexplicatum relinquerẽ, perscriberemque de his, quæcumque mihi in mentem venerunt: maiorem autem ferè partem eorum, quæ profundiore geometria indigere videntur, arbitror me hoc libro complexum esse: neque enim mirum videri debet, si aliquid quod scribi oporteret, prætermiserim, vtpote qui primus hanc contemplationem aggressus: quamobrem par est, vel te, cum in horum studium incubueris, vel posteriorum aliquem, qui in hæc inciderit, à me impulsum, ea, quæ prætermissa sunt, supplere: sunt tamen nonnulla, quæ consultò prætermiserim, vel quòd manifesta essent, vel quod ab aliis tractata: siquidem in omni cono sectionem triangulum esse, quando per verticem secatur, cum aliis demonstratum sit nos omisimus, ne aliena nostris inuentis insererentur. Quæ autem in prõptu essent, & quæ vnusquisque per se nullo negotio intelligere posset, non existimaui me scribere oportere, ne legentium animos parum attentos facerem. Sed iam ad id quod propositum est accedamus.

Theor.

Theorema I. *Propositio* I.

SI quatuor rectarum lineārum prima ad secundam maiorem proportionem habeat, quàm tertia ad quartam: rectangulum contentum prima & quarta maius est eo, quod secunda & tertia continetur.

Theor. II. *Prop.* II.

Si in triangulo orthogonio ab altero angulorum ad vnum latus, quod est circa rectum angulum linea ducatur: habebit ducta linea ad eam, quæ inter ipsam & perpendicularem interiicitur, maiorem proportionem, quàm quæ à principio subtenditur recto angulo ad iam dictum latus.

Theor. III. *Prop.* III.

Si conus rectus planis per verticem secetur, eorum, quæ in sectionibus fiunt triangulorū, æquales habentia bases inter se æqualia erūt.

Theor. IV. *Prop.* IV.

In conis rectis similia triangula inter se æqualia erunt.

Theor. V. *Prop.* V.

Si conus rectus planus per verticem secetur, & per axem, & extra axem: sitque axis non minor semidiametro basis: eorum, quæ fiunt, triangulorum maximum est illud, quod per axem constituitur.

Theor. VI. *Prop.* VI.

Licet idem; & aliter vniuersaliùs demonstrare, ex omnibus simpliciter triangulis, quod maiorem basim habet, illud maius esse.

Theor. VII. *Prop.* VII.

Si in cono recto triangulum per axem maximum sit triangulorum omnium, quæ extra axem constituuntur: axis coni minor erit semidiametro basis.

Probl. I. *Prop.* VIII.

Conum rectum, cuius axis non sit minor semidiametro basis, plano per verticem ducto ita secare, vt faciat triangulum, quod ad triangulum per axem proportionem habeat datam. Oportet autem datam proporionem esse minoris ad maius.

Theor. VIII. *Prop.* IX.

Si planis conus rectus per verticem secetur, & per axem, & extra axem: triangulorū autem, quæ fiunt extra axem vnum aliquod æquale sit triangulo per axem: axis coni semidiametro basis minor erit.

Theor. IX. *Prop.* X.

Iisdem manentibus demonstrandum est, si rursus planum ducatur

per verticem conum secans, faciénsque in basi rectam lineam, cuius magnitudo inter bases æqualium triangulorum contineatur: triangulum illud vtrisque triangulis æqualibus maius esse.

Probl. II. *Prop.* XI.

Datum conum rectum, cuius axis sit minor semidiametro basis, plano per verticem ita secare, vt faciat triangulum æquale ei, quod per axem constituitur.

Theor. X. *Prop.* XII.

Si conus rectus planis per verticem secetur: & in vno eorum triangulorum, quæ fiunt, linea à vertice ad basim perpendicularis ducta æqualis sit dimidiæ basis: erit illud triangulum maius omnibus triangulis dissimilibus, quæ in cono constituuntur.

Probl. III. *Prop.* XIII.

Datum conum rectũ, cuius axis sit minor semidiametro basis, plano per verticem ita secare, vt faciat triangulum maius omnibus triãgulis dissimilibus, quæ in cono constituuntur.

Probl. IV. *Prop.* XIV.

Datum conum plano per axem ad rectos angulos ipsi basi secare.

Theor. XI. *Prop.* XV.

Si conus scalenus plano per axem secetur ad rectos angulos ipsi basi, triangulum in cono factum scalenum erit, cuius maius latus maxima erit linearum omnium, quæ à vertice coni ad basis circumferentiam ducuntur: & minus latus linearum omnium similiter dictarum minima erit: aliarum verò, quæ maximè propinquior est, maior erit, quàm quæ ab ipsa magis distat.

Theor. XII. *Prop.* XVI.

Si in triangulo à vertice ad punctum, quod basim bifariam diuidit, recta linea ducatur: quadrata ex lateribus facta æqualia erunt quadratis, quæ fiunt ex basis partibus, & duplo quadrati eius lineæ, quæ à vertice ad basim ducta fuerit.

Theor. XIII. *Prop.* XVII.

Si quatuor linearum prima ad secundam maiorem proportionem habeat, quàm tertia ad quartam: & quadratum primæ ad quadratũ secundæ maiorem habebit proportionem, quàm tertiæ quadratũ ad quadratum quartæ. Quod si quadratum primæ ad quadratum secundæ maiorem proportionem habeat, quàm tertiæ quadratum ad quadratum quartæ: & prima ad secundam maiorem proportionem habebit, quàm tertia ad quartam.

Theor. XIV. *Prop.* XVIII.

Si duæ magnitudines æquales inæqualiter diuidantur: & alterius

partium maior ad minorem proportionẽ maiorem habeat, quàm partium alterius maior ad minorẽ, vel æqualis ad æqualem: prædictarũ partium maior omniũ maxima, minor verò omnium minima erit.

Theor. XV. *Prop.* XIX.

Si duo triangula & baſes æquales habeant, & lineas, quæ à vertice ad punctũ, quod baſim bifariam ſecat ducuntur: alterius autẽ maius latus ad minus maiorẽ proportionem habeat, quàm reliqui maius latus ad minus, vel æquale ad æquale: triangulũ illud, cuius maius latus ad minus maiorem habet proportionem, altero minus erit.

Theor. XVI. *Prop.* XX.

Si duo triangula inæqualium laterum & baſes æquales habeant, & lineas, quæ à vertice ad punctum baſim bifariam ſecans ducuntur: minoris trianguli maius latus ad minus maiorem proportionem habebit quàm maioris maius latus ad minus.

Probl. V. *Prop.* XXI.

Datum conum ſcalenum plano per verticem ita ſecare, vt in cono triangulum æquicrure efficiat.

Theor. XVII. *Prop.* XXII.

Triangulorum, quæ in cono ſcaleno per axem conſtituuntur, maximum eſt æquicrure: & minimum, quod eſt ad rectos angulos baſi coni: reliquorum verò maximo propinquius maius eſt eo, quod plus diſtat.

Probl. VI. *Prop.* XXIII.

In dato cono ſcaleno à vertice ad circumferentiam baſis lineã ducere, ad quam maxima proportionem datã habeat: oportet autem datam proportionem eſſe maioris ad minus, & minorem eſſe ea quã habet maxima linearum, quæ in cono ducuntur, ad minimam.

Probl. VII. *Prop.* XXIV.

Sit datum triangulum ſcalenum ABC, cuius latus BA maius ſit latere AC, & baſis BC bifariam in D ſecetur, ducatúrque AD: ſit autẽ ED perpendicularis ad BC: & æqualis ipſi DA: & ſit AF ad eandem BC perpendicularis: oporteátque aliud triangulum conſtituere maius triangulo ABC, quod habeat lineã ductam à vertice ad punctũ baſim bifariã ſecans, vtrique ipſarũ DE, DA æqualem: & ad triangulum ABC proportionem eandem habeat, quàm H maior ad G minorem: habeat autem H ad G non maiorem proportionem, quàm DE ad AF.

Probl. VIII. *Prop.* XXV.

Datum conum ſcalenum ſecare per axem plano faciente in eo triangulum, quod ad minimum triangulorum per axem proportionem datam habeat: oportet autem datam proportionẽ eſſe maioris

ad minus, neque maiorem ea, quam maximum triangulorum per axem habet ad minimum.

Theor. XVIII. *Prop.* XXVI.

Si conus ſcalenus plano per axem ſecetur ad rectos angulos ipſi baſi,& linea,quę àvertice facti ttianguli ad baſim perpendicularis ducitur,non minor ſit baſis ſemidiametro: erit triangulum ad rectos angulos baſi maximum omnium, quæ extra axem in cono conſtituuntur,& baſes habent dicti trianguli baſi æquidiſtantes.

Th. XIX. *Prop.* XXVII.

At ſi à puncto A ad C D perpendicularis ducta minor ſit ſemidiametro baſis: non erit triangulum ACD maximum omnium, quæ baſes ipſi CD ęquidiſtantes habent: demonſtratio autem & figura eadem eſt.

Theor. XX. *Prop.* XXVIII.

Si cono ſcaleno planis per verticem ſectio,in baſibus æquidiſtantibus triangula æquicruria fiant: ſitque axis coni non minor ſemidiametro baſis triangulum æquicrure per axem tranſ ens maximum erit omnium ęquicrurium, quæ ex ea parte, ad quam axis inclinat, conſtituuntur.

Theor. XXI. *Prop.* XXIX.

Si in triangulo orthogonio ab angulo recto ad ſubtenſam quædam inea ducatur: habebit ducta ad partem,quę inter ipſam, & vnam continentium angulum rectum interiicitur,maiorem proportionē, quàm reliqua rectum angulum continens ad lineam ſubtenſam.

Theor. XXII. *Prop.* XXX.

Si cono ſcaleno planis per verticem ſecto,in baſibus ęquidiſtantibus æquicruria triangula conſtituantur ex ea parte, ad quam axis inclinat:& dictorum triangulorum vnum aliquod ęquale ſit triangulo æquicurri per axem: recta linea,quæ à vertice ad baſim trianguli perpendicularis ducitur,ipſo axe minor erit.

Theor. XXIII. *Prop.* XXXI.

Si cono ſcaleno per verticem planis ſecto in baſibus æquidiſtantibus æquicruria triangula conſtituantur ex ea parte, ad quam axis inclinat:& dictorum triangulorum vnum aliquod æquale ſit triangulo æquicruri per axem:axis coni ſemidiametro minor erit.

Theor. XXIIII. *Prop* XXXII.

Si cono ſcaleno planis per verticem ſecto, in baſibus æquidiſtantibus triangula ęquicruria conſtituantur ex ea parte, à qua axis declinat: triangulum æquicrure per axem tranſiens non erit omnium eiuſmodi triangulorum minimum.

Theor. XXV. *Prop.* XXXIII.

Si in eadem bsi duo triangula conſtituantur: & alterius quidem latus ſit ad rectos angulos baſi: alterius verò ad angulos obtuſos: ſítque ambligonij trianguli altitudo non minor altitudine orthogonij: angulus, qui ad orthogonij verticem angulo, qui ad verticem ambligonij maior erit.

Theor. XXVI. *Prop.* XXXIV.

Iiſdem poſitis, ſi trianguli orthogonij angulus ad verticem non maior ſit eo, qui continetur linea vertices triangulorum coniungente, & latere ambligonij, quod obtuſum angulum cum baſi efficit: linea in triangulo orthogonio ſubtenſa angulo recto ad eam, quæ eſt ad rectos angulos baſi, minorem habet proportionem, quàm ſubtenſa angulo obtuſo in ambligonio ad eam, quæ eſt ad angulos obtuſos.

Theor. XXVII. *Prop.* XXXV.

Iiſdem poſitis, ſi in triangulo orthogonio ſubtenſa angulo recto ad eam, quæ eſt ad rectos angulos baſi maiorem proportionem habeat, quàm angulo obtuſo ſubtenſa in ambligonio ad eam, quæ eſt ad angulos obtuſos: angulus ad verticem orthogonij maior eſt angulo, qui linea vertices triangulorum coniungente, & ea, quæ eſt ad angulos obtuſos baſi continetur.

Theor. XXVIII. *Prop.* XXXVI.

Si cono ſcaleno per verticem planis ſecto, in baſibus æquidiſtantibus triangula æquicruria conſtituantur ex ea parte, à qua axis declinat: angulum æquicrure per axem tranſiens omnium eiuſmodí triangulorum neque maximum, neque minimum erit.

Theor. XXIX. *Prop.* XXXVII.

In omni cono ſcaleno, cum triangula per axem poteſtate infinita ſint: lineæ, quæ à vertice coni ad baſes dictorum triangulorum perpendiculares ducuntur omnes in vnius circuli circumferentiam cadunt: quiquidẽ eſt in eodẽ plano, in quo baſis coni, & circa diametrũ interiectam inter centrum baſis, & perpendicularem, quæ à vertice coni ad dictum planum ducitur.

Quare conſtat dictas perpendiculares à puncto ſublimi ad circuli circumferentiam cadentes in coniſuperficie ferri: cuius quidem baſis eſt circulus à caſu perpendicularium deſcriptus, & vertex idem, qui eſt primi coni vertex.

Probl. IX. *Prop.* XXXVIII.

In cono ſcaleno dato aliquo triangulo per axem, quod neque maximum ſit, neque minimum: inuenire aliud triangulum per axem, quod vnà cum dato, vtriſque maximo & minimo per axem ſit æquale.

Theor. XXX. *Prop.* XXXIX.

Si duorum triangulorum per axem baſes abſcindant æquales circumferentias ad diametrum, quæ per lineam perpendicularem ducitur: triangula inter ſe æqualia erunt. Vocentur autem eiuſdē ordinis.

Theor. XXXI. *Prop.* XL.

Triangulorum per axem, quæ eiuſdem ſunt ordinis, & æqualia & inter ſe ſimilia erunt.

Theor. XXXII. *Prop.* XLI.

Si coni ſcaleni axis æqualis ſit baſis diametro: erit vt maximum triangulorum, quæ per axem conſtituuntur ad minimum, ita minimum ad æquicrure, quod eſt ad rectos angulos baſi.

Theor. XXXIII. *Prop.* XLII.

Rurſus ſit vt triangulum EAE ad CAD, ita CAD ad HAK. Dico axem BA ſemidiametro baſis æqualem eſſe.

Theor. XXXIV. *Prop.* XLIII.

Si circulus circulum ſecet per centrum ipſius deſcriptus: & ab altera eorum ſectione ducantur lineæ ſecantes circumferentiam, quæ per centrum trāſit, & ad alterius circuli circumferentiam protrahantur: recta linea inter conuexam alterius circuli circumferentiam, & inter concauam alterius interiecta æqualis eſt lineæ, quæ à communi ſectione lineæ ductæ, & circumferentiæ per centrum, ad alteram communem circulorum ſectionem perducitur.

Theor. XXXV. *Prop.* XLIV.

Si in porttone circuli inflectantur rectæ lineæ: maxima quidem erit, quæ ad punctum medium inflectitur: aliarum verò ſemper ipſi propinquior remotiore maior erit.

Theor. XXXVI. *Prop.* XLV.

Si quatuor rectis lineis inæqualibus exiſtentibus quadrata maximæ, & minimæ æqualia ſint quadratis reliquorum: recta linea conſtans ex maxima & minima minor erit ea, quæ ex reliquis conſtat.

Theor. XXXVII. *Prop.* XLVI.

Si duæ rectæ inæquales diuidantur: & partium minoris quadrata æquālia ſint quadratis partium maioris: earum omnium maxima quidem erit maior maioris pars, minor verò minima.

Theor. XXXVIII. *Prop.* XLVII.

Si duæ rectæ lineæ æquales ita diuidantur, vt rectangulum contentum partibus vnius æquale ſit ei, quod alterius partibus continetur: erunt vnius partes partibus alterius æquales.

Theor. XXXIX. *Prop.* XLVIII.

Si conus ſcalenus per axem ſecetur; eorum, quæ fiunt triangulorum

quod maius est, maiorem perimetrum habet: & cuius trianguli maior perimeter, illud maius est.

Ex quibus perspicuum est in conis scalenis, maximi quidem triangulorum, quæ fiunt per axem, hoc est æquicruris perimetrum esse maximam, minimi verò, hoc est eius, quod est ad rectos angulos basi coni, perimetrum minimam esse; & aliorum semper quod maius est maiorem perimetrum habere, quàm quod minus.

Theor. XL. *Prop.* XLIX.

Rectorum conorum æqualium, & dissimilium triangula per axem ex contraria parte respondent suis basibus.

Theor. XLI. *Prop.* L.

Quorum conorum rectorum triangula per axem ex contraria parte respondent suis basibus, ij inter se sunt æquales.

Theor. XLII. *Prop.* LI.

Si conorum basis ad basim duplam proportionem habeat eius, quam conus ad conum: triangula per axem inter se æqualia erunt.

Th. XLIII. *Prop.* LII.

Si triangula per axem inter se æqualia sint: & basis ad basim duplam proportionem habebit eius, quam conus habet ad conum.

Theor. XLIV. *Prop.* LIII.

Recti coni æquealti duplam inter se proportionem habent eius, quàm triangula per axem.

Theor. XLV. *Prop.* LIV.

Si coni inter se se duplam proportionem habeant eius, quam triangula per axem: ipsi æquealti erunt.

Theor. XLVI. *Prop.* LV.

Si recti coni ex contraria parte respondeant suis axibus: triangula per axem inter se æqualia erunt.

Theor. XLVII. *Prop.* LVI.

Si triangula per axem inter se æqualia sint: & coni ex contraria parte suis axibus respondebunt.

Theor. XLVIII. *Prop.* LVII.

Si coni recti ex contraria parte suis basibus respondeant: triangula per axem inter se triplam proportionem habebunt eius quam basis habet ad basim ex contraria parte.

Theor. XLIX. *Prop.* LVIII.

Quorum conorum rectorum triangula per axem inter se triplam proportionem habent eius, quam basis ad basim ex contraria parte coni suis basibus ex contraria parte respondebunt.

Theor. L. *Prop.* LIX.

✠ Si rectus conus ad conum rectū duplam proportionem habeat eius, quam basis ad basim: triangulum per axem ad triangulum per axem triplam proportionem habebit, quam trianguli basis ad basim.

Theor. LI. *Prop.* LX.

Si triangulum per axem ad triangulum per axem triplam proportionem habeat eius, quam trianguli basis ad basim; conus ad conum duplam proportionem habebit, quam coni basis ad basim.

IN CLARISSIMI VIRI

CLAVDII MYDORGII

CONICA.

PRÆFATIO.

ELEMENTA Conica quæ sequuntur non pendent à præcedentibus Apollonianis, quibus simpliciora sunt, fontésque detegunt ex quibus occultè hausit. Primus liber directè probat, quæ Pergæus solùm indirectè, & ex absurdo demonstrarat: neque solùm ad solidorum problematum determinationes, & compositiones, vt libri Apollonianis, sed etiam ad experimenta Physica collineat; vt hoece primo libro 4. Pergæi libros habeas.

Secundus agit de Conicarum linearum descriptione Geometrica in plano, per puncta; dum ad totius operis calcem methodi mechanicæ & organicæ reijciuntur. Tertius & quartus de eiusdem nomis coni sectionum inuicem comparatione: quos hactenus editos legimus; reliquos frustra speraturi, nisi precibus ab autore possit eos aliquis extorquere.

Quintus igitur de coni sectionum portionibus, & de coni portionum sectionibus. Sextus de datis Conicis, siue problematibus coni sectiones determinantibus. Septimus de adscriptis, & inscriptis conicis, siue de maximis & minimis ad specularia, & dioptricem spectantibus. Octauus denique lineas conicas, & conoideas superficies è propria cuiusque naturæ, & habitudine ad radium siue in opaco, siue in diaphano ad inuicem comparat: tandémque præcipua circa reflexum, & refractum mysteria non vulgo cognita detegetquorum nouâ luce constanter ad cuiusuis propositi speculi, aut optatæ lentis diaphanæ fabricam accingaris.

De nominibus autem sectionum, vnde ortæ sint, facilè iudices ex 11, 12 & 13 prop. l. 1. Apollonij, vbi rectas à singulis sectionibus ad principales diametros ordinatim applicatas expendens, demonstrauit in parabola quidem, ipsarum quadratis æqualia rectangula, latitudines habentia contiguis interceptis diametri portionibus æquales, ad aliquam rectam (quam vocat rectã sectionis diametrũ, vel rectum latus, Mydorgius verò parametrum) applicata nec eam excedit, nec ab ea deficit, sed ei conuenit; quod sequente 10 prop. l. 1. demonstratur: ille itaque propter istam applicationem conuenientem, ei parabolæ, vel applicationis nomen indidit.

Cumque vidisset in aliis duabus sectionibus, ordinatim applicatarum quadratis æqualia istiusmodi rectangula ad sectionis parametrum applicata, in hyperbola quidem ipsam excedere; in ellipsi verò ab eadem deficere figura simili, similiterque posita ei quæ à transuersa diametro, & contigua parametro continetur; quæ est 13. prop. l. seq. illis excessus, & defectus nomina fecit. Sed poterat etiam circulo, vt pote coni sectioni, nomen ellipsis vniformis tribuere, cùm suas transuersas diametros, & parametros, & figuras ab ipsis constantes habeat; & instar ellipseos, ordinatarum quadratis æqualia rectangula, latitudines habentia interceptis diametri portionibus æquales, ad contiguas parametros applicata, semper deficiant figura simili, similiterque posita ei quæ à transuersa diametro, & eadem parametro constituitur: de quibus vid. 4. & 5. prop. l. p. A). & 2, 3 & 13 Myd. qui tamen à proprijs coni sectionibus circulum reijcit, in quibus si cum triangulo numeretur, futuræ sint 5 sectiones: neque Eutocij rationem de sectionum nominibus adprobat.

Sunt & alia plurima in illis sectionibus consideranda, verbi gratiâ, in parabola diametros omnes principali diametro, siue ex generatione, & idcirco inuicem æquidistare; in hyperbola, ellipsi, & circuli circumferentia ad inuicem inclinari, & coire, pérque commune sectionis centrum transire: quamobrem in parabola quamcunque rectam diametro æquidistantem, eiusdem parabolæ diametrum esse: in aliis tribus prædictis, quamcunque rectam per sectionis centrum ductam, aut ei occurrentem, & intra sectionem perductam, eiusdem etiam sectionis esse diametrum, vt ad prop. 27. Myd. monet.

Porrò Vietæ analysis praxis nostros Geometras eò perduxit, vt

iam ostendant nullum esse problema quod non soluant; quale, verbi causâ fuerit istud à Girardo des Argues propositum, & à viro illustri, cuius nomine hi Conicorum libri gaudent, vt etiam à nostro Geometra, & ab alijs solutum.

Datâ in plano sectione coni, non circulo, datoque extra idem planum puncto, per quod transiens recta linea infinitè producta circumducatur circa coni sectionem datã, donec eò restituatur vnde moueri cœpit; describatque hoc motu superficiem quandam. Quæritur an superficies illa sit conica, & vtrum planum eam ita secare possit, vt sectio sit circuli circumferentia. Quòd si ita sit, quæritur ipsius plani secantis positio.

Operæ verò fuerit pretium, si quisque propriâ manu diagrammata è cuiuslibet propositionis regione pingat, præsertim verò ad 2. librum, in quo plurimæ propositiones capitalibus litteris significant ad illarum intellectum requiri figuras.

Nota verò sequentes conicorum libros ita conceptos & editos, vt nullâ ratione Conicis Apollonianis egeant, solosque sex primos Euclidis libros supponant: hinc fit vt ab istorum possis incipere lectione, cósque postea cum præcedentibus Apollonij comparare.

CLAVDII MYDORGII PATRICII PARISINI.

CONICORVM,

LIBER PRIMVS.

De Elementis Conicis, siue de Coni sectionum ortu & generatione, ac propria cuiusque natura.

DEFINITIONES.

1. SVPERFICIES Conica dicitur, ea quam ducta à manente sublimi puncto per circuli circumferentiam in eodem non existentem plano recta linea interminata, & circa eandem circumferentiam circumducta donec ad idem eiusdem punctum redeat à quo cæpit moueri, describit.

2. Vertex superficiei Conicæ dicitur, manens punctum à quo educta recta linea superficiem conicam describit.

3. Axis superficiei conicæ dicitur, recta linea à vertice conicæ superficiei ad centrum circuli, circa cuius circumferentiam circumducta recta linea eandem superficiem descripsit perducta.

4. Conicæ superficies oppositæ, siue ad verticem existentes, dicuntur, quæ simul eadem recta linea vltra verticem producta, & circa eandem circuli circumferentiam circumducta describit. Ideóque & communem verticem, & axes in directum habent.

5. Conus autem dicitur, solida figura contenta circulo, & conicâ superficie à vertice ad eiusdem circuli circumferentiam interceptâ.

6. Vertex coni idem est qui & superficiei conicæ ipsum conum continentis.

7. Basis coni dicitur, circulus ad cuius circumferentiam educta, & circumducta recta linea superficiem conicam descripsit.

8. Axis coni dicitur idem, qui superficiei conicæ, conum continentis. Recta nempe à vertice coni ad centrum circuli, qui eiusdem est basis, perducta.

9. Oppositi coni, siue ad verticem existentes, dicuntur, qui oppositis superficiebus conicis continentur, idcóque & verticem commu-nem, & axes in directum habet.

10. Conus rectus dicitur, cuius axis ad rectos ipsius basi angulos insistit.

11. Conus scalenus dicitur, cuius axis non ad rectos ipsius basi angulos insistit.

12. Coni sectionem cum Apollonio intelligimus, lineam in coni superficie, quæ est communis plani cuiuspiam conum diuidentis & eiusdem superficiei sectio interminata, aut vbique sibi ipsi continua. Ideóque & in eodem etiam plano existit.

13. Conicam lineam intelligimus, cuiuscunque coni sectionis portionem.

14. Rectas lineas in sectione, aut portione, ductas dicimus, quæ vtrinque in ipsa sectione, aut portione terminatur.

15. Diametrum cuiuscunque coni sectionis, aut portionis, dicimus, quamcunque rectam lineam intra sectionē ductam, quæ binas quascunque rectas lineas in ipsa sectione, aut portione ductas inuicem æquidistantes bifariam diuidit. Quæ & intercepta diameter etiam dicitur.

16. Ordinatam autem ad diametrum, siue ordinatim applicatam intelligimus, vnamquamque linearum in coni sectione, aut portione, ductarum ab eadem diametro bifariam sectarum, aut cuipiam bifariam sectæ æquidistantium.

17. Axem cuiuscunque coni sectionis, aut portionis dicimus, diametrum quæ ordinatim ad ipsam applicatas bifariam, & ad angulos rectos, diuidit. Qui & intra sectionem interceptus axis etiam dicetur.

18. Verticem coni sectionis, aut portionis, dicimus, terminum cuiuscunque diametri qui in ipsa est sectione, aut portione, dicetúrque in axe vertex supremus.

19. Parametrum coni sectionis dicimus, rectam lineam à cuiuslibet coni sectionis, aut portionis, vertice eductam ordinatim ad contiguam diametrum applicatis æquidistantem: cui comparantur, & secundum quam æstimantur, & possunt omnes quæcunque à coni sectione, aut portione, ad eandem diametrum ordinatim applicantur. Quæ & recta iuxta quam possunt ad diametrum à coni sectione, aut portione, ordinatim ductæ dicetur. Quæ, si ab axis termino sit educta, recta parameter: sin autem, parameter simpliciter dicetur.

PROPOSITIONES 59.

1. SI conus plano per verticem secetur, sectio erit triangulũ, *idemque contingit si per axem secetur, cùm axis coni per eius verticem transeat.*

2. Si conus plano secetur æquidistante basi, erit facta in superficie coni sectio circuli circumferentia.

DEFINITIONES SECVNDÆ.

1. SVbcontrariam positionem dicimus, quando bina triangula similia ad communem verticem angulum posita bases habent non parallelas. Ideoque & ipsa triangula dicentur subcontrariè posita. Ideoque etiam bases subcontrariè inuicem positæ.

2. Subcontrariam coni sectionem dicimus, siue conus secetur duobus planis ad idem per axem triangulum rectis, & ab ipso ad verticem abscindentibus bina triangula similia, sed subcontrariè posita, siue conus per axem iam sectus plano ad basim recto, rursus secetur plano ad triangulum per axem recto, & ab ipso ad verticem abscindente triangulum simile, sed subcontrariè positum.

PROPOSITIO III.

SI conus scalenus plano secetur subcontrariè basi, erit facta in superficie coni sectio circuli circumferentia.

DEFINITIONES TERTIÆ.

1. PArabolam dicimus, quamcunque coni sectionem, cuius diameter alterutri crurum trianguli per axem secti coni æquidistat.

2. Hyperbolam dicimus, quamcunque coni sectionem cuius diameter producta alterutri crurum trianguli per axem secti coni infra verticem occurrit.

3. Ellipsim dicimus, quamcunque coni sectionem, cuius diameter vtrique crurum trianguli per axem secti coni infra verticem occurrit, eiusdem basi neque æquidistans, neque subcontrariè posita.

4. Oppositas sectiones dicimus, binas hyperbolas in oppositis superficiebus ab vno eodémque plano non per verticem sectis factas.

2010 Ministerio de Cultura

5. Transuersam diametrum dicimus, rectam lineam quæ in hyperbóla interceptæ cuilibet diametro in directũ est posita, vel in ellipsi ipsa est intercepta diameter continuata, & vtrobique vtroque triangguli per axem secti coni crure intercipitur. Quæ & in oppositis sectionibus, vel ellipsi, veluti & in circuli circumferentia, cùm sit diameter, vtrinque etiam à sectione terminatur. Quæ si intercepto axi sit in directum, aut sit ipse axis continuatur, transuersus etiam axis dicetur.

6. Centrum coni sectionis dicimus, pũctum in quod diametri omnes concurrunt. Quodque transuersam quamcunque diametrum bifariam diuidit.

7. Figuras hyperbolarũ, vel ellipsium, veluti & circuli circunferentiarum, dicimus, parallelogramma sub earumdem sectionum transuersis diametris, & contiguis parametris contenta. Quarum illæ transuersa dicentur latera, hæ coefficientia.

8. Secundam diametrum dicimus, rectam lineam quæ in ellipsi, vel in oppositis sectionibus, veluti & in circuli circumferentia, ordinatim ad aliquam diametrum applicatis æquidistans per centrum ducta, & ab ipso bifariam secta, media proportionalis est inter latera figuræ ad eandem diametrum factæ.

9. Coniugatas diametros dicimus, binas rectas lineas in ellipsi, vel in oppositis sectionibus, veluti & in circuli circumferentia, per centrum ductas, quarũ vtraque diameter est, & rectas lineas alteri æquidistantes vtrinque sectione terminatas bifariam diuidit. Quare si etiam ad angulos rectos, coniugati axes dicentur: & in ellipsi, etiam extremæ diametri.

10. Principalem coni sectionis diametrum, siue diametrum ex generatione, aut ex coni sectione, dicimus, rectam lineam quæ plani trianguli per axem secti cuiuslibet coni, & plani secantis, ipsámque in superficiè coni sectionem generantis, communis est sectio ipso cono facta. Vnde & ipsi respondens, siue contigua', parameter etiam principalis: & ex ipsis constantes figuræ etiam principales; & coniugatæ diametri principales.

11. Assumptas coni sectionum diametros, aut parametros, dicimus diametros omnes & parametros quæcũque ad principales primò positas, aut ad axes sectionum comparantur. Ideoque & assumptæ figuræ etiam, & assumpta eorumdem latera, & assumptæ coniugatæ diametri nonnunquam occurrent.

12. Vmbilicum parabolæ dicimus, punctum in eiusdem axe intersectionem signatum, à supremo vertice distans spatio quadrantis rectæ parametri.

13. Vmbilicos hyperbolarum & ellipſium dicimus, puncta ineadem vniuſcuiuſque axe ſignata, ab vnoquoque tranſuerſi axis termino diſtantia ſpatio rectæ, cuius quadrato rectangulum æquale quartæ parti figuræ, ſub eodem axe tranſuerſo & recta parametro factæ, ipſo tranſuerſo axi applicatum in hyperbola quidem excedit, & in ellipſi deficit.

PROPOSITIONES.

4. SI conus plano per axem ſecetur, ſecetúrque & alter plano quod baſim coni ſecet ſecundum rectam lineam quæ ad baſin trianguli per axem ſit perpendicularis: communis autem plani ſecantis, & trianguli per axem ſectio ſit alterutri crurum eiuſdem trianguli æquidiſtans, erit facta in ſuperficie coni ſectio parabola: eiuſque diameter communis plani ſecantis & trianguli per axem ſectio.

5. Si conus plano per axem ſecetur, ſeceturque & altero plano quod baſim coni ſecet ſecundum lineam rectam quæ ſit ad baſim trianguli per axem perpendicularis: communis autem placio ſecantis, & trianguli per axem ſectio alterutri crurum eiuſdem trianguli vltra verticẽ producto occurrat, erit facta in ſuperficie coni ſectio hyperbola, cuius erit diameter communis plani ſecantis & trianguli per axem ſectio.

6. Si conus plano per axem ſecetur, ſecetúrque & altero plano quod baſim coni, aut eius planum productum, ſecet ſecundum rectam linẽa quæ ad baſim trianguli per axem, aut ad eam quæ ipſi in directum eſt, ſit perpendicularis: communis autem plani ſecantis, & trianguli per axem ſectio vtrique crurum eiuſdem trianguli infra verticem occurrat, baſi non æquidiſtans, neque ſubcontrariè poſita: conuſque, ſi opus eſt, produci intelligatur; erit facta in ſuperficie coni ſectio ellipſis, cuius erit diameter communis plani ſecantis & trianguli per axem ſectio.

7. In omni parabola, ſi à ſectione ad diametrum binæ rectæ lineæ ſint ordinatim applicatæ, erunt quadrata ipſarum ad inuicem, vt contiguæ ab ipſis interceptæ ad verticem diametri portiones.

8. In omni hyperbola, vel ellipſi, vt & in circuli circumferentia, ſi à ſectione ad interceptam diametrũ binæ rectæ lineæ ordinatim ſint applicatæ; erunt quadrata ipſarum ad inuicem, vt rectangula ſub contiguis diametri portionibus ab vtroque tranſuerſæ termino ſumptis ad inuicem.

Lemma.

20 Ministerio de Cultura

Lemma I. 9. Si ſit quadratum quodlibet, & rhombus quadrato æquilaterus, atque etiam rectangulum quodcumque, & parallelogrãmum ipſi æquilaterum, rhombóque æquiangulum; vt quadratum ad rectangulum, ita erit rhombus ad parallelogrammum, & conuerſim.

10. In omni parabola, ſi à vertice ſectionis recta ſit ordinatim ad diametrum applicatis ducta æquidiſtans, quæ ſe habeat ad quamlibet interceptam eiuſdem diametri portionem, vt quadratum contiguæ ordinatim applicatæ ad eiuſdem interceptę diametri portionis quadratum, erunt ſingularum omnium ab eadem ſectione ad eandem diametrum ordinatam applicatarum quadratis, vel rhombis, æqualia ſingula rectangula, vel parallelogramma, eidem rectæ à vertice ductæ adiacentia, latitudinéſque aut latera habentia interceptas diametri portiones à vertice.

11. Si in coni ſectione diameter quampiam rectam lineam bifariam ſecet, & omnes ipſi æquidiſtantes in eadem ſectione ductas bifariam quoque ſecabit. *Bifariam autem ſecta erit ad diametrum ordinatim applicata.*

12. Si conus plano per axem ſectus, rurſus alio plano ſecetur ſecundum lineam quæ ad baſim trianguli per axem ſit perpendicularis: & ſit formata in ſuperficie coni ſectio parabola: quæ erit ratio rectanguli ſub trianguli per axem cruribus ad baſis eiuſdem quadratum, eadem erit & rectæ vtroque ſectionis & coni vertice interceptæ ad contiguam ſectionis parametrum.

13. In omni hyperbola, vel ellipſi, veluti & in circuli circumferentia, ſi à vertice ſectionis recta ſit ordinatim ad diametrum applicatis ducta æquidiſtans, quæ ſe habeat ad tranſuerſam diametrum, vt cuiuſlibet ordinatim applicatæ quadratum ad rectangulum ſub contiguis diametri portionibus ab vtroque trãſuerſæ termino sũptis, erũt ſingularum omniũ ab eadẽ ſectione ad eãdem diametrũ ordinatim ductarũ quadratis vel rhombis æqualia ſingula rectangula vel parallelogramma eidem rectæ à vertice ductæ adiacentia, latitudinéſque aut latera habentia interceptas à vertice diametri portiones, & in hyperbolæquidem excedentia, in ellipſi autem, veluti & in circuli circumferentia, deficientia figuris ſimilibus ſimilitérque poſitis ei quæ à tranſuerſa diametro, & eadem recta à vertice ducta formatur. *Vide* 2. *Corollaria.*

15. Si conus plano per axem ſectus rurſus alio plano ſecetur ſecundum lineam quæ ad baſim trianguli per axem, aut ipſi æquidiſtãtem, ſit perpendicularis: & ſit formata in ſuperficie coni ſectio hyperbola, ſiue ellipſis, cuius diametro parallela acta ſit à vertice coni ad baſim

eiuſdem, vbi opus, productam: quæ erit ratio quadrati ductæ parallelæ ad rectangulum ſub contiguis baſis partibus ab vtroque eiuſdem termino ſumptis, eadem erit & tranſuerſæ ſectionis diametri ad eiuſdem contiguam parametrum.

15. Si circulum qui baſis eſt coni recta contingat linea in eodem exiſtens plano, & à vertice coni per contactum recta agatur; planum per vtramque productum ſuperficiem coni continget: eritque contactus in eadem linea à vertice cõni ducta.

16. Si conus plano per axem ſectus rurſus plano quod neque baſi æquidiſtet, aut ſubcontrariè ſit, poſitum, neque per verticem tranſeat, ſecetur ſecundum lineam quæ ad baſim trianguli per axem, aut ipſi æquidiſtantem, ſit perpendicularis, faciátque in ſuperficie ſectionem quamcunque; & ſumpto quolibet in facta ſectione puncto, per ipſum recta agatur, circuli, qui baſis eſt coni, aut ipſi æquidiſtat, circumferentiam contingens, & in eodem exiſtens plano, ſiquidem ducta cõtingens baſi trianguli per axem æquidiſtat: quæ à vertice trianguli ducetur contingenti æquidiſtans productæ ſectionis diametro occurret in puncto, à quo ad aſſumptum in eadem ſectione punctum ducta recta linea ipſam ſectionem in eodem præaſſumpto puncto continget.

17. Si à vertice cuiuſcunque coni ſectionis recta ducatur ordinatim ad diametrum applicatis æquidiſtans; ipſa ſectionem in eodem verticis puncto continget. Quare cuiuſcunque ſectionis parameter ſectionem in vertice contingit, cùm ordinatis æquidiſtet.

18. Si parabolem recta contingat linea productæ diametro occurrens, & à tactu ad diametrum recta ſit ordinatim applicata, erunt interceptæ vtrinque à vertice diametri portiones æquales.

19. Si hyperbolem, aut ellipſim, vt & circuli circumferentiam recta contingat productæ diametro occurrens, & à contactu ad diametrum recta ſit ordinatim applicata: erunt diametri portiones ab vtroque tranſuerſæ termino ad contingentem ſumptæ inuicem, vt eiuſdem diametri portiones vtroque eodem reſpondente termino & ordinatim ducta interceptæ inuicem.

20. Si in parabola à ſumpto quolibet in ſectione puncto recta ad diametrum ordinatim ſit applicata; & interceptæ diametri portioni à vertice æqualis in directum apponatur, recta quæ à facto in producta diametro termino ad aſſumptum in ſectione punctum ducetur, ſectionem in eodem aſſumpto puncto continget.

21. Si parabolem recta contingat productæ diametro occurrens,

quæ à vertice ad ipſam recta ducetur ordinatis æquidiſtans poterit quadrato, vel rhombo ſpatium æquale quadranti rectanguli, vel parallelogrammi, ſub producta diametro, & contigua parametro.

22. Si in hyperbole, aut ellipſi, vt & in circuli circumferentia à ſumpto quolibet in ſectione puncto recta ad diametrum ordinatim ſit applicata; & quæ fuerit diametri portionum applicata, & vtroque tranſuerſæ termino interceptarum ratio inuicem, eadem ſit eiuſdem diametri partium ab eodem vtroque reſpondente termino ad punctum in ea ſignatum ſumptarum inuicem, recta quæ à ſignato in diametro puncto ad aſſumptum in ſectione punctum ducetur, ſectionem in eodem præaſſumpto puncto continget.

23. Si hyperbolem, aut ellipſim, vt & circuli circumferentiam recta contingat cum diametro conueniens, & à tactu ad diametrum recta ordinetur: erit quadrato dimidiæ tranſuerſæ diametri æquale rectangulum ſub interceptis ordinatim ducta & contingente diametri portionibus à centro ſumptis, vel ſubinterceptis, tum ordinatim ducta, & contingente diametri portionibus.

24. Iiſdem poſitis; erit, in dictis ſectionibus, rectangulo ſub diametri partibus vtroque tranſuerſæ termino & contingente interceptis æquale rectangulum ſub eiuſdem diametri partibus contingenti contiguis à centro & ordinatim applicata ſumptis.

25. Iiſdem adhuc poſitis; erit, in dictis ſectionibus, rectangulo ſub diametri partibus vtroque tranſuerſæ termino & ordinatim applicata interceptis æquale rectangulum ſub eiuſdem diametri partibus applicatæ contiguis à centro & contingente ſumptis.

26. Si hyperbolem, aut ellipſim, veluti & circuli circumferentiam, recta contingat linea & ab vtroque tranſuerſæ diametri termino rectæ ordinatim applicatis æquidiſtantes eidem occurrant: quæ exipſis à contingente abſcindentur portiones, quadranti figuræ ad diametrum factæ æquale continebunt rectangulum, aut parallelogrammum figuræ æquiangulum.

27. Si hyperbolem, aut ellipſim, velut & circuli circumferentiam, recta contingat occurrens ei quæ per centrum ſectionis ordinatim applicatis ducetur æquidiſtans, & à tactu recta diametro parallela eidem per centrũ ductæ occurrat: erit quadranti figuræ ad diametrũ factæ æquale rectang. aut parallelogr. figuræ æquiangulum, ſub interceptis per centrum ductæ partibus à diametro factis contentum. *Vide monitum vtiliſſimum ad ſequentium propoſitionum intellectum.*

28. Si parabolam recta contingat, quæ per tactum diametro, aut

axi, æquidistans intra sectionem ducetur, rectas omnes in sectione ductas contingenti æquidistantes bifariam secabit. *Vide Coroll.*

29. Si hyperbolem, vel ellipsim, vt & circuli circumferentiam recta contingat; quæ per tactum & centrum recta intra sectionem ducetur, rectas omnes in eadem sectione ductas contingenti æquidistantes bifariam secabit. *Vide Coroll.*

30. Si in parabola binæ quælibet rectæ à sectione ad assumptam quamcunque rectam diametro, aut axi parallelam ducantur æquidistantes ei quæ sectionem in eiusdem assumptæ termino contingit, erunt æquidistantium quadrata inuicem, vt contiguæ eiusdem assumptæ portiones, à contactu ad inuicem.

Ijsdem positis, si in contingente sumatur recta quæ se habeat ad interceptam à contactu quamcunque rectæ diametro, aut axi, æquidistantis portionem, vt quadratum contiguæ contingenti æquidistantis à sectione ductæ ad ipsius interceptæ quadratum: erunt singulis contingenti æquidistantium rhombis æqualia singula ipsis æquiangula parallelogramma eidem contingenti adiacentia, lateráque habentia interceptas à contactu contiguas æquidistantis diametro portiones. *Vide Coroll.*

32. Si in hyperbola, aut ellipsi, binæ quælibet rectæ à sectione ad assumptam quamcunque rectam per centrum ductam agantur æquidistantes ei quæ sectionem in communi assumptæ rectæ termino contingat: erunt æquidistantium quadrata inuicem, vt rectangula sub contiguis eiusdem assumptæ partibus à dicto termino, & ab altero æqualiter à centro distante sumptis inuicem.

33. Ijsdem positis, si vt DI quadratum ad rectangulum ZIE, ita sit sumpta in contingente recta GE ad rectam EZ, erunt contingenti æquidistantium à sectione ad assumptam rectam per centrum ductam applicatarum rhombis singulis æqualia singula æquiangula parallelogramma eidem contingenti adiacentia, lateráque habentia contiguas interceptas à contactu eiusdem assumptæ portiones, & in hyperbola quidem excedentia, at in ellipsi deficientia figuris similibus similiterque positis ei quæ ab assumpta per centrum ducta & contingente formatur. *Vide Coroll.*

34. Si in ellipsi recta diametrum quampiam bifariam diuidens, eiusque contiguæ parametro æquidistans ducatur vtrinque sectione terminata; sectionis erit diameter media inter præassumptas proportione. Et quæ in ipsius alterutro termino contiguæ sectionis parameter sumetur, in continua omnium erit proportione. *Vide Coroll.*

Lemma II. 35. Si communes binorum planorum se inuicem secantium cum aliquo plano sectiones æquidistantes fuerint inuicem; erit & ijsdem æquidistans communis amborum eorumdem planorum sectio.

36. Si circulum qui basis est coni recta contingat in eodem existens plano, & per tactum & coni verticem bina agantur plana, quorum alterum coni superficiem secet secundum lineam à tactu ad basis diametrum perpendicularem, alterum eandem contingat: & sit à quocumque alio secanti æquidistantes plano facta quæcumque in eiusdem coni superficie hyperbola; contingens planum productū eiusdem hyperbolæ diametro trãsuersæ occurret in sectionis centro.

37. Si circulum qui basis est coni recta cõtingat linea in eodem existens plano: & à tactu ad basis diametrum recta ducatur perpendicularis, per quam & coni verticem planum producatur: & à quolibet alio ipsi æquidistante plano sit facta quæcumque in eiusdem coni superficie hyperbola: communisque ęquidistantis plani & basis coni sectio ad rectam contingentem producatur, quæ à centro hyperbolæ per communem earundem occursum recta quantumcunque producitur linea cum sectione, etiam quantumlibet producta, non coincidet. Vocabiturque sectionis asymptotos.

38. Iisdem positis; quæ à vertice sectionis ad vtramlibet asymptoton recta ducetur linea communi plani secantis & basis coni sectioni æquidistans poterit quadrato, vel rhombo, spatium ęquale quadranti figurę sectionis ad transuersam diametrum factę. *Vide Corollarium.*

39. Si in hyperbola ducta recta linea bifariam secetur, & vtrinque producta cum vtraque asymptoto conueniat; erit quadranti figuræ ad diametrum per bifariæ sectionis punctum ductam factę ęquale vnumquodque rectangulum, aut parallelogrammum figurę æquiangulum, sub partibus sectæ vtrinque à sectione factis contentum. *Vide duo Coroll.*

40. Hyperbola & asymptoti propiùs semper ad seipsas accedent quo longiùs producentur, & ad interuallum tandem peruenient dato quolibet interuallo minus.

41. Si angulum asymptotis contentum quæpiam diuidat linea; producta interceptæ sectioni tandem occurret. *Vide Corollarium & Monitum.*

42. Si coni ad verticẽm existentes plano per axem secentur; erunt facta triangula ad verticem posita similia, & eorum bases æquidistantes inuicem. *Vide Coroll.*

43. Si coni ad verticem existentes plano secentur non per verticem; erunt factæ in oppositis superficiebus oppositę sectiones hyperbolæ, quarum communis erit transuersa diameter: & vnius parameter alterius parametro æqualis erit & æquidistans. *Vide duo Coroll.*

44. Si ellipsim, aut oppositas sectiones binæ rectæ contingant inuicem occurrentes; quæ ab occursu ad medium lineæ tactus coniungentis recta ducetur linea sectionum erit diameter, diametro, quæ rectæ tactus coniungenti æquidistat, coniugata. *Vide duo Coroll.*

45. Si oppositarum sectionum alteram recta contingat linea; quæ per centrum eidem æquidistans ducetur, sectionum communis erit diameter communi per tactum ductæ diametro coniugata.

46. Si oppositarum sectionum alteram recta contingat linea vtrinque asymptotis terminata; quæ eidem æqualis & æquidistans per centrum ducetur ab ipso bifariam secta, sectionum communis erit secunda diameter.

47. Si parabolem recta contingat linea cum axe producto conueniens; quæ à tactu ad sectionis vmbilicum recta ducetur, æqualis erit axis portioni vmbilico & recta sectionem in eodem præassumpto puncto contingente interceptæ. *Vide duo Coroll.*

48. In omni parabola, recta linea quæ ab vmbilico ad sectionem educetur ordinatim ad axem applicata, interceptę axis portionis erit dupla. Et quæ ab eodem vmbilico ad sectionem aliter educetur, æqualis erit eidem axis portioni vertice & vmbilico interceptæ, vnà cum eiusdem axis portione inter verticem & ordinatim ab eductæ termino applicatam interceptæ.

49. Si hyperbolem, aut ellipsim, recta contingat linea, quæ à tactu ad vtrumque sectionis vmbilicum rectæ ducentur lineæ æquales ad contingentem angulos facient.

50. Si hyperbolem, aut ellipsim recta contingat linea: & ab vtroque vmbilico ad tactum binæ inclinentur lineæ; quæ à centro ad contingentem ducetur alterutri æquidistans, dimidio transuersi axis æqualis erit.

51. Si in hyperbola aut ellipsi ab vtroque vmbilico ad idem sectionis punctum binæ inclinentur rectæ lineæ, in hyperbola maior minorem quantitate transuersi axis superabit: & in ellipsi erunt simul transuerso axi æquales.

52. Data coni sectione; eiusdem diametrum inuenire. *Vide Coroll.*

53. Data quacumque hyperbola, aut ellipsi; eiusdem centrum inuenire.

54. Data coni sectione, eiusdem axem inuenire.

55. Data quacumque coni sectione, & puncto non intra sectionem dato, ab eodē rectam lineā ducere quæ sectionē cōtingat. *Vide Coroll.*

56. Data cuiuscumque coni sectionis diametro: contiguam eiusdem parametrum exhibere.

57. Datæ cuiuscumque hyperbolæ asymptotos inuenire.

58. Propositarum coni sectionum vmbilicos inuenire.

59. Cuiuscunque in cono exhibitæ sectionis parametrum exhibere.

Primi Libri Finis.

LIBER SECVNDVS
DE GEOMETRICA CONICARVM LINEARVM IN PLANO PER PVNCTA descriptione.

PROPOSITIO I.

SI sit quodlibet triangulum B A C, cuius basis B C bifariam secta sit in D: à quolibet autem ductæ, &, vbi opus, productæ A D puncto E facta E F parallela D C quæ occurrat A C in F, rectangulo C D, E F æquale fiat quadratum E G: dico punctum G esse in eadem parabola quæ per puncta B, A, G transit.

2. Si sit triangulum quodlibet B A C, cuius basis B C secta sit bifariam in D: ducta autem A D vtrunque secta in E, à sumpto in E D, etiam quantolibet producta, quolibet puncto F, ducatur F G parallela D C quæ occurrat A C in G, fiatque rectangulo E F G æquale quadratum F H: dico punctum H esse in eadem recta hyperbola, cuius sit vertex E.

3. Si sit triangulum quodlibet B A C, cuius basis B C secta sit bifariam in D: à quolibet autem in A D puncto E ducta E F parallela D G, quæ occurrat A C in F, rectangulo, D E F æquale ponatur quadratum E G: dico puncta A, G, D, esse in eadem certa ellipsi.

4. Circa datam quamcunque diametrum & ordinatam, parabo-

ram in plano per puncta quotlibet describere.

5. Circa datam quamcunque diametrum & ordinatam, hyperbolam specie notam per puncta in plano describere.

6. Circa datam diametrum & ordinatam, ellipsim specie notam per puncta in plano describere.

7. Si sit triangulum quodlibet BAC linea DE basi BC æquidistante sectum, quod rursus linea FG ad basim quomodocumque inclinata, siue etiam perpendiculari, parallelamque DE secante in H, diuidatur: rectæque FG à puncto sectionis H quomodocumque applicetur HI, cuius quadratum sit rectangulo DHE æquale: dico punctum I esse in coni sectione, cuius sit diameter GF, & vertex G.

8. Circa datum diametrum & basim, figuram parabola contentam in plano per puncta describere.

9. Circa datum diametrum & basim, figuram hyperbola specie nota contentam in plano per puncta describere.

10. Circa datam diametrum & basim figuram ellipsi specie nota contentam per puncta in plano describere.

11. Si sit triangulum quodcumque BAC cuius basis BC secta sit bifariam in D: ductæque AD æquidistans & æqualis ab alterutro B, aut C, termino ducatur CE: & sumpto in AD quolibet puncto F, ducatur ipsi BC parallela FGH secans AC in G, & occurrens EC in H: rectanguloque GFH æquale ponatur quadratum FI: dico puncta B, A, I, C, in eadem esse parabola.

12. Si sit triangulum quodcumque BAC cuius basis BC bifariam sit secta in D: iunctaque AD & producta versus A quantumlibet in E, ducatur EC: & sumpto in AD quolibet puncto F, ducatur FG parallela DC occurrens EC in H: rectanguloque GFH æquale ponatur quadratum FI: dico puncta B, A, I, C, in eadem esse hyperbola specie nota.

13. Si sit triangulum quodcumque BAC, cuius basis BC secta sit bifariam in D: ductaque AD & producta quantumlibet in E, iungatur EC, & producatur: sumptoque in AE quolibet alio puncto F, ducatur FG parallela DC, occurrens AC, vbi opus productæ, in G, & ipsi EC in H: rectanguloque GFH æquale ponatur quadratum FI: dico puncta B, AI, CE, esse in eadem ellipsi specie nota.

14. Circa datum quodcunque triangulum parabolam in plano per puncta describere.

15. Circa datum quodcunque triangulum hyperbolam specie notam

tam

tam in plano puncta describere.

16. Circa datum quodcunque triangulum ellipsim specie notam in plano per puncta describere. *Vide monitum.*

17. Si sit triangulum quodcunque A B C rectangulum ad B: sectæque A C bifariam in D perpendicularis exitetur D E, cui à puncto C ducta C E ipsi A B parallela occurrat in E: seceturque A B bifariam in F: dico punctum E esse in eadem parabola cuius vertex sit E, & vmbilicus A.

18. Si sit triangulum quodcumque A B C non rectangulum ad C: factaque B G æquali B C, secetur G A bifariam in H: & sectæ A C bifariam in E erigatur perpendicularis E F, quæ occurrat lateri B C in E, dico punctum F esse in hyperbola, aut ellipsi, cuius sint vmbilici A, B, & vertex H.

19. Datis, positione, paraboles vmbilico, & vertice; parabolem in eodem plano per puncta describere.

20. Datis, positione, hyperboles vmbilicis, & vertice; hyperbolem in eodem plano per puncta describere.

21. Datis, positione, ellipseos vmbilicis, & alterutro vertice; ellipsim in eodem plano per puncta describere.

22 Si sit data quæcunque recta linea A B bifariam diuisa in F: & sumpto in F A, vel in ipsa producta, quolibet alio puncto I, excitetur perpendicularis I E eiusmodi, vt ducta A E sit æqualis B I: erit punctum E in eadem parabola cuius sit vmbilicus A, & vertex F.

23. Si sit data quæcunque recta linea A B secta non bifariam in H: sitque A H minor quam H B, & ipsi æqualis ponatur H G: sumpto autem in H A, vel in ipsa producta, quolibet puncto E, descriptum centro B, interuallo B E, circuli arcum E F secet in F descriptus centro A, interuallo E G, arcus: erit punctum F in eadem hyperbola cuius sint vmbilici A B, & vertex H.

24. Si sit data recta linea quæcunque A B producta in H: & ipsi A H æqualis in directum apponatur H G: sumptóque quolibet interuallo B E, maiori quidem quàm A H, minori verò quàm B H, describatur circuli arcus E F, quem centro A, interuallo E G, descriptus arcus secet in F: erit punctum E in eadem ellipsi cuius sint vmbilici A B, & vertex H.

25. Datis, positione, paraboles vmbilico, & vertice; parabolem per puncta quotlibet in eodem plano promptè describere.

26. Datis, positione, hyperboles vmbilicis, & vertice; hyperbolem in eodem plano per puncta quotlibet promptè describere.

27. Datis, positione, ellipseos vmbilicis, & vertice alterutro; ellipsim in eodem plano per puncta quotlibet describere.

28. Si sit triangulum quodcumque B A C, eiusque basis B C secta sit bifariam in D: atque in B D, aut D C, vel etiam in ipsis productis, sumatur quodcunque punctum E, à quo ductæ A D parallela educatur E F secans A B, aut A C, si opus est productas, in puncto G: & vt B D ad D E, ita fiat E G ad G F: erit punctum F in eadem parabola quæ per puncta A, B, C, transit.

29. Circa datum quodcunque triangulum parabolam in plano per puncta describere.

30. Circa datum triangulum parabolam in eodem plano per puncta describere.

31. Parabolæ portionem per puncta quotlibet vlterius producere.

32. Data Parabolæ mutilæ hiatum per quotlibet intermedia puncta resarcire.

33. Si sit triangulum quodcunque B A C rectangulum ad B: & à quolibet in A B sumpto puncto D erigatur perpendicularis D E occurrens A C in E, atque à puncto A erigatur perpendicularis A F æqualis A D, & producatur in G, vt sit F G æqualis D E: sumptoque in D B, vel etiam in ipsa producta, quolibet puncto H, erigatur perpendicularis H I occurrens A C in I: & centro A, interuallo A H, descripta circumferentia parallelam ipsi A B à puncto F ductam secet in L: erigatúrque perpendicularis L M, quæ ponatur æqualis H I; erit punctum M in hyperbola, cuius vertex erit G, & dupla F G axis transuersu, sad quem recta parameter se habebit, vt A B quadratum ad B C quadratum.

34. Datis hyperboles axe transuerso, & eiusdem ad rectam parametrum ratione; hyperbolem per puncta quotlibet in plano delinearе. *Vide monit.*

35. Si sit triangulum quodcunque A B C rectangulum ad B: sumptoque in *A B* producta quolibet puncto D, ponatur in *B C*, si opus est, producta, ipsi *B D* æqualis *D E* & iunctæ A E æqualis ponatur A F, cui perpendicularis sit *F G* occurrens productæ A C in G: & à puncto D erigatur perpendicularis D H æqualis F G; erit punctum H in hyperbola cuius sit dupla *B C* axis transuersus, ad quem se recta parameter habeat vt *A B* quadratum ad *B C* quadratum.

36. Datis hyperboles axe transuerso, & ratione eiusdem ad rectam parametrum; hyperbolem in plano per puncta quotlibet describere.

37. Si sit triangulum quodcunque *A B C* rectangulum ad *B*: & à quolibet in A C puncto D ducatur D E parallela *A B*, occurrensque *B C* in E: productaque *A B* in *F*, fiat *A F* æqualis *A C*; erit punctum E in ellipsi, cuius dupla AF erit axis maior, minorque duplæ A D æqualis.

38. Datis ellipseos extremis diametris; eandem in plano per puncta quotlibet describere.

39. Iisdemmet datis, ellipsim describere.

40. Si sit triangulum quodcunque *A B C*, cuius basis *BC* secta sit bifariam in D: ductæque A D æquidistans ab alterutro basis termino, vt C, educatur CE occurrens productæ *B A* in E: sumptoque in DC, vel etiam in ipsa producta quolibet puncto F, vt DC ad CF, ita fiat EC ad CG: iunctæque *B G*, productæ vbi opus, occurrat in H ducta à puncto F ipsi AD æquidistans F H; erit punctum H in eadem parabola quæ per puncta *B*, *A*, *C* transit.

41. Circa datum quodcunque triangulum parabolam per puncta describere.

42. Datæ parabolæ mutilæ defectum per intermedia puncta farcire.

43. Parabolæ portionem descriptam vlterius per puncta producere.

44. Si sit triangulum quotcunque *A B C*: productisque *A B*, *A C* quantumlibet sumatur in *A B* producta punctum quodlibet D, per quod agatur D E parallela *B C*: sumaturque in D E recta *D F*, cuius quadrato plus possit D E quàm *B C*: erit punctum *F* in hyperbola, cuius sit vertex *B*, & dupla *A B* transuersa diameter ad contiguam parametrum se habens vt *A B* quadratum ad *BC* quadratum.

45. Datis hyperboles transuersa diametro, & eiusdem ratione ad contiguam parametrum, in dato angulo; hyperbolem in plano per puncta quotlibet describere. *Vide Monitum.*

46. Datis, positione hyperboles asymptotis, & puncto in sectione, circa asymptotos hyperbolem per puncta describere.

47. Datis positione, asymptotis, & puncto in sectione; hyperbolem per puncta describere.

48. Si sint binæ quælibet inæquales rectæ lineæ *A B* maior, C D minor, bifariam se se & ad rectos in E secantes angulos, in quas cadat recta *F G* æqualis dimidiæ inter vtramque differentiæ, quæ producta in H faciat *F H* æqualem A E, erit punctum H in eadem ellipsi quæ per puncta *B*, *C*, *A*, *D* transit.

49. Datis ellipſcos extremis diametris; ellipſim per puncta quotlibet in plano deſcribere.

50. Si ſit recta quæpiam linea *A B* vtcunque ſecta in *C*: & eductæ quomodocunque *G D* quadratum fiat rectangulo *A C B* æquale; erit punctum D in parabola, cuius erit A vertex, A C diameter, & C B ea iuxta quam poterunt à ſectione ad A C diametrum ordinatim ductæ, ſiue ſectionis parameter.

51. Datis, poſitione, diametro, & contigua parametro, paraboles portionem per puncta quotlibet in plano deſcribere.

52. Si ſit triangulum quodcunque A B C: & à quolibet angulo A oppoſito B C lateri parallela agatur quæcunque A D: ſumptoque in A B, etiam quantolibet producta, quolibet puncto E, ducatur eidem B C parallela E F, quæ ſecet A C in G, & poſſit quadrato bina A D, E G quadrata: erit punctum F in hyperbola cuius vertex erit D, & dupla A D tranſuerſa diameter, ad quem ſe habeat contigua parameter vt A B quadratum ad B C quadratum.

53. Datis hyperboles tranſuerſa diametro, & ratione eiuſdem ad contiguam parametrum, in angulo dato hyperbolem per pũcta quotlibet in plano deſcribere.

54. Datis, poſitione, aſymptotis, & puncto in ſectione, hyperbolem per puncta quotlibet in plano deſcribere.

55. Si ſit triangulum quodcunque A B C, cuius latus A B bifariam ſectum ſit in D. iunctæque C D æquidiſtans & æqualis à quolibet in A D, aut D B, puncto E ducatur E F ſecans C B, aut eidem occurrens, in G: & quadratorum E F, F G differentiæ æquale ſumatur quadratum E H: ſi quidem A C B angulus eſt rectus, erit punctum H in circuli circumferentia, cuius erit diameter A B: ſin autem, erit idem punctum H in ellipſi quæ per puncta A, C, B tranſit, cuiuſque tranſuerſa erit diameter *A B*.

56. Circa poſitione datas diametrum & vnam ex ordinatim ad ipſam ductis ellipſim, per puncta quotlibet deſcribere.

57. Si ſit triangulum quodcunque A C B, cuius baſis ſecta ſit bifariam in D: ductaque A D ducatur A E æquidiſtans & æqualis D C, & in quotlibet partes æquales diuidatur: perque numerum quadrato numeri partium in A E factarum æqualem diuidatur A D: ſumpta autem A F quotlibet partium ex A E, ſumatur in A D, recta A G quadrato partium A F reſpondens: ductæque F H æquidiſtanti A D occurrat in H ducta G H æquidiſtans A E, erit punctum H in parabola quæ per B, A, C tranſit.

58. Circa positione datas diametrum & basim, figuram parabola contentam per puncta quotlibet in plano describere.

59. Paraboles mutilæ hiatum per puncta quotlibet inter media resarcire.

60. Parabolæ portionem vlterius per puncta quotlibet producere.

61. Si sit recta linea A B bifariam diuisa in C : eductaque quomodocunque recta C D, diuidatur vtraque A C, C B in quotlibet partes æquales: sumptáque A E earumdem quotlibet, educatur E F æquidistans C D : & qualium C D æstimabitur numero quadrato partium in A C, aut C B, factarum, Earumdem sumatur pro recta E F numerus planus sub partibus A E, E B factus ; erit punctum F in eadem parabola, quæ per A, D, B puncta transit.

62. Circa positione datas diametrum & basim, portionem parabola contentam per puncta quotlibet describere. *Vide Monitum.*

63. Si sit triangulum quodcunque A B C, in cuius alterutro latere, vt B C, bifariam secto in D bina E & F puncta æqualiter à media D sectione remota sumantur, erit vtrumque E & F punctum in eadem hyperbola specie data.

64. Datis, positione, asymptotis, & puncto in sectione; hyperbolem per quotlibet alia puncta describere.

65. Si sit triangulum quodcunque A B C : & in producto vtrolibet eiusdem latere, vt A B, sumatur punctum quodlibet D, à quo ipsi B C parallela agatur D E : sit autem rectangulo A B C æquale rectangulum A D E : erunt puncta E, C in eadem hyperbola specie data.

66. Datis hyperboles transuersa diametro, & eiusdem ad contiguam in dato angulo parametrum ratione, hyperbolem per puncta in plano describere.

67. Datis, positione, asymptotis, & puncto in sectione: hyperbolem per puncta in eodem plano describere. *Vide Monitum.*

68. Si sit data quęcunque coni sectio A E cuius diameter sit A B, & vertex A : producta autem B quantumlibet in G, & sumptò in A B puncto quolibet C, educatur quomodocunque recta C D sectioni occurrens in E, faciénsque rationem C E ad C D eandem ei quæ est C A ad C G : dico punctum D fore in eiusdem nominis sectione cuius sit vertex G, & diameter G B. *Vide Monitum.*

69. Data quacunque in plano coni sectione : quotlibet alias eiusdem nominis sectiones in eodem plano per puncta exhibere. *Vide Monitum.*

Secundi libri finis.

LIBER TERTIVS,

DE EIVSDEM NOMINIS CONI SECTIONVM INVICEM COMPARATIONE PRIOR, siue, DE IISDEM CONI-SECTIONIBVS.

DEFINITIONES.

1. SIMILES Coni-sectionum diametros dicimus, cum vnius anguli ab ordinatim ad ipsam ductis facti, æquales sunt alterius angulis qui ab ordinatim ad ipsam ductis fiunt.

2. Coni-sectionem Coni-sectioni aptè superponi dicimus, cum binæ quælibet ipsarum similes diametri ita superponuntur & conueniunt, vt vertices congruant inuicem.

3. Easdem Coni-sectiones dicimus, quæ congruunt omnino & conueniunt altera alteri aptè superposita.

4. Similes conos dicimus, quorum per axem sectorum ad rectos basi angulos triangula sunt similia.

5. Dissimiles dicimus, aut specie differentes, conos, quorum triangula per axem ad basim recta non sunt similia.

PROPOSITIO I.

SI sint binæ parabolæ, veluti & binæ circulorum circumferentiæ, circa communem diametrum positæ, quas in communi vertice eadem recta contingat linea: & non sit altera alteri eadem; non erit illarum aliud insuper commune punctum.

2. Si sint binæ hyperbolæ, aut binæ ellipses, non eædem inuicem, quas circa communem diametrum positas in communi vertice eadem recta contingat linea: & altera alteri occurrat; erunt illarum

bina occursus puncta: sed in nullo alio communi puncto rursus conuenient.

3. Conii sectio sectioni vel circuli circumferentiæ non conueniet ita, vt pars tantum altera eadem sit. *Vide Coroll.*

4. Si binæ parabolæ, vel binæ hyperbolæ, aut binæ ellipses, veluti & binæ circulorum circumferentiæ, circa communem diametrum positæ, & eandem rectam lineam communi vertice contingentes, inuicem rursus conueniant: parabolæ quidem, veluti & circulorum circumferentiæ, in vno præter verticem communi puncto: at hyperbolæ, vel ellipses, etiam in tribus; erit altera alteri parabola, vel hyperbola, aut ellipsis, veluti & circuli circumferentia, eadem.

5. Si sint binæ parabolæ, veluti & binæ circulorum circumferentiæ: & vtrobique à sectione ad diametrum recta ordinatim ducta, fuerint tam ductæ vtriusque quam interceptæ ab ipsis diametrorum portiones ad verticem æquales: atque in binis parabolis æqualis etiam vtrobique angulus applicata, & diametro contentus; erit altera alteri parabola, vt & circuli circumferentia, eadem.

6. Si sint binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses: & binis vtrobique rectis à sectione ad diametrum ordinatim applicatis, fuerint vnius applicatæ, & interceptæ ab ipsis diametri portiones ad verticem, alterius applicatis & interceptis, singulæ singulis, æquales, & sub æqualibus etiam vtrobique angulis coniunctæ; erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis, eadem.

7. Si binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, æquales habeant diametros transuersas, & vtrobique à sectione eadem recta ordinatim applicata, fuerint tam applicatæ inuicem, quam interceptæ ab ipsis diametrorum portiones ad verticem etiam inuicem æquales: atque æqualis angulus vtrobique applicata & diametro contentus; erit altera alteri hyperbola, aut ellipsis, eadem.

8. Si binæ Parabola, vt & binæ circulorum circumferentiæ, parametros æquales habeant, & in æqualibus angulis ad contiguas diametros applicatas; erit altera alteri parabola, vt & circuli circumferentia, eadem. *Vide Coroll.*

9. Si binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, æquales habeant diametros transuersas, & ad ipsas in æqualibus vtrobique angulis applicatas parametros etiam æquales, erit altera alteri hyperbola, siue ellipsis, eadem.

10. Si binæ Coni sectiones eædem sint inuicem; quæ sub æqualibus vtrobique angulis applicabuntur Parametri, æquales erunt inuicem, & transuersæ item diametri inuicem.

11. Si propositi cuiuslibet trianguli internum verticis angulum, aut producto alterutro vltra verticem crure, externum binæ rectę subtendant, itavt ad communem verticalem angulum bina constituant similia triangula: & rectis eiusmodi communi angulo subtensis parallelæ à trianguli vertice ad basim cadant; erunt sub interceptis sectæ, aut productæ basis partibus à dictis parallelis facta rectangula inuicem, vt parallelarum quadrata inuicem.

12. Si Conus iam plano per axem sectus ad rectos basi angulos, rursus secetur duobus planis ad triangulum per axem rectis, formantibúsque in superficie binas hyperbolas, quarum productæ diametri constituant ad externum eiusdem per axem trianguli verticalem angulum bina triangula similia & æqualia; erit factarum huiusmodi binarum hyperbolarum altera alteri eadem. *Vide Coroll. & Monitum.*

13. Si Conus iam plano sectus per axem ad rectos basi angulos, rursus secetur duobus planis ad triangulum per axem rectis, formantibúsque in superficiei binas Ellipses, quarum transuersæ diametri cõstituant ad internum eiusdem per axem trianguli verticalem angulũ bina triangula similia, & æqualia, erit factarum huiusmodi binarum ellipsium altera alteri, eadem. *Vide Coroll.*

14. Si oppositi Coni plano secentur non per verticem; erit factarum in vtraque superficie oppositarum hyperbolarum altera alteri eadem.

15. Si propositi cuiuslibet triãguli basis bis sectâ, aut vtrinque productâ, eadem sit vtrobique quadrati rectæ à vertice ductæ ratio ad triangulum sub conterminis sectæ aut productæ basis partibus, erunt ad verticem siue internè vtrinque resecti, siue externè additi vtrinque anguli inuicem æquales.

16. Si Conus plano iam sectus per axem ad rectos basi angulos, rursus duobus planis secetur ad triangulum per axem rectis, formantibúsque in superficie Coni binas easdem inuicem siue hyperbolas, siue ellipses, erunt factarum huiusmodi sectionum transuersæ diametri ad angulum verticis eiusdem trianguli, siue externum, siue internum, subcontrariè inuicem positę. *Vide Coroll.*

17. Si Conus iam plano per axem sectus ad rectos basi angulos, secetur rursus alio plano ad triangulum per axem recto, formante in superficie sectionem quæ sit hyperbolæ vel ellipsis: diameter autem e-

ctionis

ctionis biſecanti angulum verticis eiuſdem trianguli non ſit æquidiſtans, neque perpendicularis, erit factæ in ſuperficie ſectioni alteraeadem ſuperficie ſectio eadem & ſubcontrariè poſita.

18. Si Conus iam plano ſectus per axẽ ad rectos baſi angulos, rurſus ſecetur alio plano ad triangulum per axem recto, formante in ſuperficie ſectionem quæ ſit hyperbole: diameter autem ſectionis biſecanti angulum verticis eiuſdem trianguli ſit æquidiſtans; erit facta eiuſmodi hyperbola ſingularis ſectio: nec alteri hyperbolæ in eadem ſuperficie ſubcontrariè erit poſita. *Vide Coroll.*

19. Cuicunque in cuiuſlibet Coni recti ſuperficie ſectæ ellipſi, altera in eadem ſuperficie ellipſis eadem eſt, & ſubcontrariè poſita.

20. Si Conus ſcalenus plano iam ſectus per axẽ ad rectos baſi angulos, rurſus ſecetur plano ad triangulum per axem recto, formante in ſuperficie ſectionem quæ ſit ellipſis: diameter autem ſectionis biſecanti angulum verticis eiuſdem trianguli ſit perpendicularis; erit facta huiuſmodi ellipſis ſingularis ſectio: nec alteri in eadem ſuperficie ſubcontrariè erit poſita. *Vide duo Coroll.*

21. Si Conus binis æquidiſtantibus planis ad eaſdem verticis partes ſecetur, non erit factarum in ſuperficie binarum ſectionum altera alteri eadem. *Vide Corollarium.*

22. Si ſint bina triangula iſoſcelia, quorum baſes ſint in cadẽ ratione ſectæ & vtrobique à ſectionis puncto ad crus alterutrum rectâ alteri ductâ parallelâ, eadem ſit vtrobique rectanguli ſub baſis partibus ad quadratum parallelæ ratio, erit altetum alteri triangulum ſimile.

23. Si ſint bina triangula iſoſcelia, quorum baſes ſint ita ſectæ, vt ductâ vtrobique à ſectionis puncto ad crus alterutrum alteri parallela, eadem ſit vtrobique ratio rectanguli ſub baſis partibus ad quadratum parallelæ: non ſit autem baſis partium ſimiliter ſumptarum inuicem eadem vtrobique ratio; non erit alterum alteri triangulũ ſimile.

24. Si ſint bina triangula iſoſcelia, quorum baſes ſint ſimiliter ſectæ, aut productæ: & ſit vtrobique eadem ratio, rectanguli ſub ſegmentis baſis, aut ſub baſe producta & eius exteriori parte, ad quadratum ductæ à vertice ad ſectionis punctum, aut productæ terminum; erit alterum alteri triangulum ſimile.

25. Si ſint bina triangula Iſoſcelia, quorum baſes ſint aut vtraque ſecta, aut vtraque producta, itavt ſit eadem vtrobique rectanguli ſub ſegmentis baſis, aut ſub baſe producta & eius exteriori parte, ad quadratum ductę à vertice ad ſectionis punctum, aut productę terminum ratio: non ſit autem eadem vtrobique baſis partium inuicem ratio;

non erit alterum alteri triangulum simile.

26. Cuilibet cuiuscunque Coni sectioni alterius cuiuspiam dissimilis coni sectio aliqua eadem est. *Vide Coroll.*

27. Si à vertice cuiuscunque trianguli rectæ lineæ quotlibet ad basim ducantur; minor erit ratio quadrati eius quæ angulum bifariam diuidet ad rectangulum sub segmentis basis ab ipsa factis, quàm quadrati cuiusuis aliæ ad rectangulum sub sibi conterminis basis segmentis.

28 Non cuilibet cuiuscunque Coni hyperbolæ, alterius cuiuslibet coni hyperbola aliqua eadem est. *Vide Coroll.*

29. Datam rectam bifariam sectam iterum secare, vt rectangulum sub inæqualibus totius segmentis ad quadratum inter segmenti datam teneat rationem.

30. Data hyperbola; conum exhibere cuius sit sectio singularis.

31. Data hyperbola; conum exhibere cuius sit è binis iisdem & sub contrarijs sectionibus vna.

32. Si recta linea AB, & ad ipsam perpendicularis *C D*: sitque maior C D ad C B ratio, quàm A C ad C D; iunctis A D, B D, dico angulum A D B esse acutum. *Vide Coroll. & Monitum.*

33. Si Conus plano secetur quod vtrique crurũ trianguli per axem infra eiusdem verticem occurrat, basi neque æquidistans, neque subcontrariè positum, sectio circuli circumferentia non erit. *Vide duo Corollaria.*

34. Data ellipsi; Conum exhibere cuius sit sectio singularis.

35. Data ellipsi; Conum exhibere cuius sit è binis ijsdem & subcontrariis sectionibus vna,

36. A vertice Trianguli cuiuslibet ad eiusdem basim ducere rectam cuius quadratum ad rectangulum sub segmentis basis ab ipsa factis contentum datam teneat rationem.

37. A dati cuiuslibet trianguli vertice ad basim productam ducere rectam cuius quadratum ad rectangulum sub base producta, & eius exteriori parte comprehensum datam teneat rationem.

38. Si à vertice cuiuscunque trianguli ad basim productam recta agatur quæ possit rectangulum sub contetminis basi partibus contentum; fiet exterior verticalis angulus interiori opposito ab basim æqualis: at verò si rectæ à vertice ductæ quadratum prædicto rectangulo sit maius; erit verticalis exterior angulus opposito ab basim interno angulo minor: & recta cuius quadratum minus erit maiorem semper externum verticalem constituet angulum. *Vide duo Corollaria.*

39. Dato cono; exhibere in eius superficie parabolem datæ eandem.

40. Dato cono, exhibere in eius superficie hyperbolam datæ eandem.

41. Dato cono, exhibere in eius superficie datæ ellipsi eandem.

42. Dato cono, exhibere in eius superficie datæ circuli circumferentiæ eandem circumferentiam.

43. Si recta linea parabolem altero contingens termino, altero cum axe conueniens, bifariam secetur, quæ per sectionis punctum ipsi perpendicularis ducetur, paraboles vmbilico occurret.

44. Si parabolem recta contingat linea, quæ per sectionis vmbilicum eidem ducetur æquidistans, abscindet à diametro per contactum ducta rectam intra sectionem æqualem quadranti contiguæ parametri.

45. Datis, positione, duabus rectis lineis in dato quocunque angulo inuicem iunctis, quarum altera sit terminata, conum exhibere, & in eius superficie sectionem quæ sit parabole, cuius datarum altera sit diameter, altera terminata parameter, & vertex connexionis punctum, cuiusque ordinatæ ad eandem diametrum in eodem dato angulo applicentur.

46. Datis positione duabus rectis lineis in dato angulo non recto inuicem iunctis, quarum altera sit terminata, in eadem producta pũctum inuenire, à quo ad circumferentiam semicirculi super ipsa descripti recta ducatur linea alteri datarum parallela, cuius quadratum ad rectangulum sub productæ partibus puncto inuento & eodem circumferentia interceptis datam teneat rationem.

47. Si angulum ab hyperboles asymptotis contentum recta quæpiam subtendens linea bifariam secetur, ordinatim ad diametrum per bifariæ sectionis punctum ductam applicatis erit æquidistans.

48. Datis positione duabus rectis lineis terminatis in dato quocunque angulo inuicem iunctis, quarum altera sit vltra connexionẽ producta, Conum exhibere, & in eius superficie sectionem quæ sit hyperbole, cuius datæ primùm lineæ sint altera transuersa diameter, altera terminata parameter, & vertex connexionis punctum, atque producta diameter ad quam ordinatæ in eodem dato angulo applicentur.

49. Datis positione duabus rectis lineis in dato quocunque angulo non recto inuicem iunctis, quarum altera terminata circuli sit diameter, inuenire in eiusdem circuli circumferentia punctum à quo ad

eandem diametrum actu recta ducatur alteri datarum parallela, cuius quadratum ad rectangulum sub diametri partibus ab ipsa factis datam teneat rationem.

50. Datis positione duabus rectis lineis terminatis in dato quocunque angulo inuicem iunctis: conum exhibere, & in eius superficie sectionem quæ sit ellipsis, cuius vertex sit punctum ad angulum, & datarum linearum altera parameter, altera contigua transuersa diameter, ad quam ordinatæ in eodem dato angulo applicentur. *Vide Monitum.*

51. Dato cono: datisque positione duabus rectis lineis in dato angulo inuicem coniunctis quarum altera sit terminata: exhibere conum dato similem, & in eius superficie parabolam, cuius datarum altera sit diameter, altera terminata parameter, & vertex punctum quod est ad angulum, itavt ordinatæ ad eandem diametrum in eodem dato angulo applicentur.

52. Dato cono datisque positione duabus rectis lineis terminatis in dato quocunque angulo inuicem iunctis, quarum altera sit ad partes anguli producta, exhibere conum dato similem, & in eius superficie hyperbolam cuius datæ primum lineæ sint altera transuersa diameter, altera contigua parameter, vertexque punctum quod est ad angulum, & producta diameter ad quam ordinatæ in eodem dato angulo applicentur.

53. Dato cono: datisque positione duabus rectis lineis terminatis in dato quocunque angulo inuicem iunctis: exhibere conum dato similem, & in eius superficie ellipsim cuius vertex sit punctum ad angulum, & datarum linearum altera parameter, altera transuersa diameter contigua, ad quam ordinatæ in dato eodem angulo applicentur.

54. Si binæ parabolæ æquales habeant axis portiones vertice & vmbilico interceptas, erit altera alteri eadem.

55. Si in binis parabolis vtrobique recta à sectione ad vmbilicum inclinentur sub æqualibus cum axe angulis, & ad easdem sectionis partes: sitque vnius inclinata alteri inclinatæ æqualis, erit altera alteri parabola eadem.

56. Si binæ hyperbolæ æqualibus asymptoton angulis contineantur: & recta à centro vnius ad sectionem ducta æqualis sit rectæ à cẽtro alterius ad sectionem ductæ asymptoton angulum similiter diuidenti, erit altera alteri hyperbola eadem. *Vide Monitum.*

57. In omni parabola, cuicunque diametro contigua parameter

rectam parametrum superat quadrupla axis portione intercepta eiusdem vertice & ordinatim ab assumptæ diametri vertice applicata.

58. In omni parabola, binarum inæqualium parametrorum maior semper remotiori ab axe diametro contigua est, minoremque superat quadrupla propioris diametri portione intercepta eiusdem vertice & perpendiculari ad ipsam à remotioris vertice ducta. *Vide Coroll.*

59. Si sint binæ parabolæ, & vtrobique recta sectionem contingat æqualis ei iuxta quam possunt à sectione ad diametrum per contactum ductam ordinatim applicatæ: sintque tam contingentes inuicem, quam anguli ab ipsis cum contiguis diametris facti etiam inuicem inæquales: quadranti autem excessus quo maior contingens minorem superat æquali sumptâ diametri minori contingenti contiguæ portione à vertice, indidem educta perpendicularis sectioni occurrat in puncto à quo ducta contingens cum contigua diametro æqualem faciat angulum ei qui in altera sectione à diametro, & contingente continetur; erit altera alteri parabola eadem.

60. In omni hyperbola, aut ellipsi, si ad expositam quamcunque diametrum à supremo vertice recta ordinatim applicetur, à cuius termino vsque ad axem eidem diametro perpendicularis excitetur; quæ erit ratio rectanguli sub eiusdem diametri partibus vtroque transuersæ termino & ordinatim ductâ interceptis ad eductæ perpendicularis quadratum, eadem erit & transuersi axis ad rectam sectionis parametrum.

61. Si sint binæ hyperbolæ aut binæ ellipses, & vtrobique rectâ à supremo vertice ad expositam quamcunque diametrum ordinatim ductâ, eadem sit vtrobique ratio rectanguli sub diametri partibus vtroque transuersæ termino & applicatâ interceptis ad contiguæ vsque ad axem eductæ eidem diametro perpendicularis quadratum: sitque etiam recta huius parameter alterius rectæ parametro æqualis; erit altera alteri hyperbola, aut ellipsis, eadem.

62. In omni parabola, si ab eodem sectionis puncto ad quamlibet diametrum binæ rectæ quomodocunque inclinentur; vt erunt ipsarum quadrata inuicem, ita erunt diametrorum quæ ipsis æquidistantes bifariam diuident contiguæ parametri inuicem.

53. Si sint binæ parabolæ, & vtrobique ad expositam quamcunque diametrum recta ducatur ordinatim applicata: atque ab alterutrius ductæ puncto quolibet ad diametrum recta ducatur æqualem

faciens angulum ei qui in altera sectione ducta, & diametro continetur: sit autem quadratum rectæ ordinatim applicatæ ad quadratum conterminæ ductæ, vt contigua eidem diametro parameter ad contiguam alteri diametro parametrum; erit altera alteri parabola eadem.

64. Si sint binæ parabolæ, & vtrobique à sectione ad expositam quamcunque diametrum recta sit ordinatim applicata, itavt sint interceptæ diametrorum portiones à vertice æquales inuicem: & ab vtriuslibet applicatæ termino in sectione recta alteri æqualis ad diametrum aptata æqualem faciat angulum ei qui in altera sectione ordinatim ducta & diametro continetur: erit altera alteri parabola eadem.

65. In omni hyperbola aut ellipsi, si ab axis puncto quolibet ad expositam quamcumque diametrum binæ rectæ ducantur, altera ordinatim applicata, altera axi perpendicularis: atque ab ordinatim applicatæ termino recta ad axem educatur eidem diametro perpendicularis; quæ erit ratio rectanguli sub diametri partibus ordinatim applicatæ contiguis à centro, & perpendiculari ab axe ducta sumptis ad conterminæ perpendicularis quadratum, eadem erit & transuersi sectionis axis ad rectam parametrum.

66. Si sint binæ hyperbolæ, aut binæ ellipses, æquales habentes rectas parametros, & vtrobique à quolibet in axe puncto ad assumptam quamcumque diametrum binæ rectæ agantur, altera ad eamdem ordinatim applicata, altera axi perpendicularis: atque etiam vtrobique ordinatim applicatæ contermina ad axem educatur assumptæ diametro perpendicularis: sit autem eadem rectanguli sub vnius diametri partibus ordinatim applicatæ contiguis à centro & perpendiculari ab axe ducta sumptis ad conterminæ perpendicularis quadratum ratio, quæ rectanguli sub alterius diametri partibus, similiter sumptis ad conterminæ ductæ perpendicularis quadratum; erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis eadem.

67. Data coni sectione, inuenire eiusdem diametrum ad quam ordinatim ductæ in dato angulo applicentur.

68. Si binarum parabolarum parametri sint inuicem æquales, non sint autem sub æqualibus vtrobique angulis ad contiguas diametros applicatæ; non erit altera alteri parabola eadem.

69. Si binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, transuersas diametros inuicem æquales habeant, & contiguas parametros etiam inuicem æquales: non sint autem æquales anguli qui vtrobique transuersa

diametro & contigua parametro continentur; non erit altera alteri hyperbola, aut ellipsis, eadem.

70. Si bina plana se inuicem non ad rectos secent angulos; quæ ab aliquo in eorum alterutro puncto ad communem amborum sectionem recta ducetur linea, cum contermina recta in altero plano, educta ad eandem communem sectionem perpendiculari rectos non constituit angulos.

71. Iisdem manentibus, si ab eodem præassumpto puncto ad eandem communem planorum sectionem plures rectæ agantur; quæ ipsarum maior erit, maiorem cum contermina in altero plano ducta perpendiculari efficiet angulum: & binæ inuicem æquales, æquales constituent angulos.

72. Si conus Scalenus plano sectus per axem non ad rectos basi angulos, rursus secetur duobus non æquidistantibus planis formantibus in superficie binas parabolas: sintque communes cum basi coni sectiones ad basim trianguli per axem perpendiculares: atque etiam rectæ vtriusque sectionis & eiusdem trianguli vertice interceptæ æquales inuicem; si quidem triangulum isosceles est, erit binarum eiusmodi parabolarum altera alteri eadem: at si Scalenum est, non erit altera alteri sectio eadem.

73. Si conus scalenus plano per axem sectus non ad rectos basi angulos rursus duobus planis secetur quæ faciant communes cum basi, aut ipsi æquidistante plano, sectiones ad trianguli per axem facti basim, aut ad ipsi æquidistantem, perpendiculares: & transuersæ sectionum in superficie factarum diametri æquales sint, & subcontrarie inuicem positæ, siue ad externum verticalem trianguli per axem angulum, si sint hyperbolæ, siue ad internum, si sint ellipses, si quidem triangulum per axem isosceles est, erit factarum eiusmodi binarum hyperbolarum, aut ellipsium, altera alteri eadem: at si triangulum per axem isosceles non est, neque dictarum sectionum altera alteri eadem erit. *Vide Monitum.*

74. Si conus scalenus plano per axem quomodocunque sectus rursus secetur secundum binas in eiusdem basi rectas ad basim trianguli per axem perpendiculares, duobus æquidistantibus planis formantibus in superficie binas hyperbolas, quarum transuersæ diametri sint æquales inuicem; erit factarum huiusmodi hyperbolarum altera alteri eadem.

Tertij libri Finis.

LIBER QVARTVS.

DE EIVSDEM NOMINIS CONI-SECTIONVM INVICEM COMPARATIONE POSTERIOR.

siue,

DE SIMILIBVS CONI-SECTIONIBVS.

DEFINITIONES.

I. SIMILES diametrorum portiones dicimus, quæ vtrobique à vertice sumptæ, & eodem ordine, in iisdem rationibus sunt ad inuicem.

2. Similes Coni-Sectiones dicimus, in quibus similes omnes similium diametrorum portiones vtrobique in iisdem sunt rationibus ad conterminas rectas à sectione ordinatim applicatas. *Vide* Monitum.

PROPOSITIO I.

OMnes parabolæ inuicem, veluti & circulorum circumferentiæ omnes inuicem, similes sunt.

2. Si sint binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, & vtrobique à sectione ad expositam diametrum binæ rectę ordinatim sint applicatę: sit autem ordinatim applicatarum ad inuicem, & ad conterminas diametri portiones à vertice abscissas eadem vtrobique ratio: atque etiã anguli vnius applicatis & diametro contentis sint æquales; erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis, similis.

3. Si binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, similes sint; habebunt figurarum ad similes diametros factarum latera inuicem in eadem ratione.

4. Si in binis hyperbolis, vel binis ellipsibus, ad expositas similes transuersas diametros contiguæ parametri eandem vtrobique teneant rationem, erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis similis. *Vide tria Coroll.*

5. Si sint binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, & recta vtrobique à sectione

fectionē ad expositam diametrum ordinatim applicata, eadem sit vtrobique ratio applicatæ ad transuersam diametrum, & ad abscissam eiusdem portionem à vertice: atque etiam angulus vnius applicata, & diametro contentus æqualis sit angulo alterius similiter contento, erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis, similis.

6. Si sint binæ hyperbolæ, vel binæ ellipses, & vtrobique recta sectionem contingens expositæ diametro occurrat, atque à contactus puncta recta ad eandem diametrum ordinatim applicatâ, eadē vtrobique sit ratio applicatæ ad diametri portiones ab ipsa & contingente ad verticem abscissas: atque etiam angulus vnius ordinatim ductâ & diametro contentus æqualis alterius angulo similiter contento, erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis similis. *Vide Monitum.*

7. In omni Parabola, vel ellipsi, maior erit semper transuersi axis ratio ad rectam parametrum ipso minorem, quàm assumptæ cuiuslibet transuersæ diametri ad suam contiguam parametrum Et contra, minor erit semper ratio transuersi axis ad rectam parametrum ipso maiorum, quam transuersæ cuiuslibet diametri ad sibi contiguam parametrum.

8. Si recta linea terminata producatur, aut secetur itavt sectæ partes fiant inuicem inæquales, & à productę termino, aut sectionis puncto, eidem perpendicularis erigatur, à cuius sumptis binis punctis ad primò positæ lineæ vtrumque terminum rectæ agantur lineæ; maioris ratio, quàm ductarum quadrati maioris ad quadratum minoris erit à citimo puncto ductarum quadrati ad quadratum ratio, quàm ductarum à remotiore puncto similiter sumptarum quadrati ad quadratum ratio.

9. Si, vt cuiuslibet trianguli ad verticem non rectanguli crurum quadrata ad inuicem, ita sunt respondentes basis partes à perpendiculari à vertice ducta factæ, erunt basis partes inuicem æquales, sin autem; erunt & basis partes inæquales inuicem. *Vide Corollar.*

10. In omni parabola, aut ellipsi, transuersam axem habente recta parametro maiorem, maior semper erit transuersæ cuiuslibet diametri eidem axi propioris ad suam contiguam parametrum ratio, quàm remotioris cuiuslibet ad suam. Et si transuersus axis minor sit recta parametro, etiam & transuersæ diametri eidem axi propioris ad suam contiguam parametrum ratio minor erit quàm remotioris ad suam.

11. In omni parabola, aut ellipsi, maior est ratio transuersæ diametri axi propioris ad suam minorem contiguam parametrum, quàm remotioris cuiuslibet ad suam. Et contra, minor est transuersæ diametri axi propioris ad suam maiorem parametrū contiguam ratio, quàm remotioris ad suam. *Vide Monitum.*

12. In omni hyperbola tranſuerſum axem habente rectæ parametro æqualem, erunt & omnes tranſuerſæ diametri ſuis contiguis parametris æquales.

13. Si in hyperbola, aſſumpta quælibet tranſuerſa diameter contiguæ ſibi parametro ſit æqualis, erunt & eiuſdem tranſuerſæ omnes diametri contiguis ſuis parametris æquales.

14. In omni hyperbola, veluti & in omni parabola, binarum diametrorum illa axi propior erit ad quam ordinatæ ſub maiore acuto angulo applicabuntur. *Vide Coroll.*

15. In omni ellipſi, quæ à maioris axis terminis ad idem ſectionis punctum binæ ducentur rectæ lineæ, angulum continebũt recto maiorem: maximúſque omnium is erit qui ad mediam ſectionem fiet: eique propior ſemper remotiore maior erit, quæ autem à minoris axis terminis ducentur, minorem recto facient angulum: minimuſque omnium ad mediam fiet ſectionem: & ei propior remotiore ſemper minor erit. *Vide Coroll.*

16. In omni ellipſi, binarum diametrorum illa maior axi propior erit, ad quam ordinatæ ſub minore obtuſo angulõ applicabuntur: & minori axi illa erit propior, ad quam ordinatæ ſub maiore acuto angulo ducentur. *Vide Coroll.*

17. Si ſint binæ hyperbolæ, & vtrobique aſſumptæ cuilibet tranſuerſæ diametro contigua parameter ſit æqualis, erit altera alteri hyperbola ſimilis. *Vide Coroll.*

18. Si binæ hyperbolæ, vel binæ ellipſes, figurarum latera in eadem ad inuicem ratione habeant vtrobique, ſed non æqualiter vtrobique inuicem inclinata, neque ſi ſint hyperbolæ, inuicem æqualia, non erit altera alteri hyperbola, vel ellipſis, ſimilis. *Vide Coroll. & Monium*

19. Si ſint bina triangula ad verticem æquiangula, & rectâ vtrobique à vertice ad mediam baſim ductâ, ſint vnius anguli ad mediam baſim facti ſinguli ſingulis alterius triãguli angulis ad mediam baſim factis æquales, erit alterum alteri triangulum ſimile.

20. Si binæ hyperbolæ æqualibus aſymptoton angulis contineantur: erit altera alteri hyperbola ſimilis.

21. Si binæ hyperbolæ, aut binæ ellipſes, interceptas vtrobique axis portiones vtroque vmbilico & vertice in eadem inuicem ratione habuerint, erit altera alteri hyperbola, aut ellipſis ſimilis.

22. Si binorum ſimilium triangulorum bina homologa latera ponantur hyperbolarũ aut ellipſium axes vtriſque vmbilicis intercepti, & vtrobique angulus paraſſumpto lateri oppoſitus à ſectionis linea

vel diuidi illigatur, vel tangi; erit binarum huiusmodi hyperbolarum, vel ellipsium, altera alteri similis.

23. Si in binis hyperbolis, aut binis ellipsibus, eadem fuerit vtro-que rectę parametri ad axis partem vertice & homologo vmbilico interceptam ratio, erit altera alteri hyperbola, vel ellipsis, similis. *Vide Monitum.*

24. Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam, binæ contingant lineæ inuicem occurrentes, & à quolibet in sectione puncto rectæ contingentibus æquidistantes ducantur donec diametris per tactus ductis occurrant; erunt vtrobique triangula à diametris & contingentibus facta inuicem æqualia; atque etiam quadrilatera vtrobique inter sectionem & diametrum constituta triangulis reciprocè ab æquidistantibus factis æqualia.

25. Si coni sectionem, vel circuli circumferentiam, binæ contingant lineæ inuicem occurentes, & à binis quibuslibet in sectione pũctis ad vtrasque diametros per tactus ductas rectæ contingentibus æquidistantes vtrobique ducantur, erunt vtrobique ab æquidistantibus ad diametrum constituta quadrilatera inuicem æqualia.

26. Si in coni sectione, vel circuli circumferentia, binæ rectæ inuicem se secantes ducantur, vt erunt contingentium ipsis æquidistantium, vtrobique à tactu ad communẽ occursum sumptarum, quadrata inuicem: ita erunt sub respondentium intra sectionem ductarum segmentis rectangula inuicem.

27. Si in coni sectione, veluti & in circuli circumferentia, binæ rectæ æquidistantes inuicem ducantur, quas secet recta aliqua etiam in sectione ducta, erunt sub æquidistantium segmentis facta rectangula inuicem, vt respondentia sub secantis segmentis rectangula inuicem. *Vide Coroll. & Monit.*

28. Si in parabola binæ æquidistãtes rectæ ducantur quas secet ducta ab aliquo in sectione puncto recta diametro ęquidistans, erunt sub æquidistantium segmentis facta rectangula inuicem, veluti portiones rectæ ad ipsas ductæ à sectione similiter sumptæ inuicem. *Vide Cor.*

29. Si in parabola recta quæpiam ducatur ad quam à duobus in sectione punctis binæ rectæ ducantur diametro æquidistãtes; erunt sub segmentis in primùm ducta factis rectangula inuicem, velupti ipsæ æquidistantes similiter sumptæ inuicem.

30. Si in parabola binæ æquidistantes rectæ ducantur ad quas singulas à binis quibuslibet in sectione punctis singulæ ducantur lineæ diametro æquidistantes, erunt sub segmentis æquidistantium facta rectangula inuicem, veluti rectæ à sectione ad ipsas ductæ inuicem.

31. Si in parabola binæ rectæ æquidistantes inuicem ducantur quas secet recta aliqua etiam intra sectionem ducta, erunt sub æquidistantium segmentis facta rectangula inuicem, vt respondentia sub secantis segmentis rectangula inuicem.

31. Si in hyperbola, velut & in ellipsi, atque in circuli circumferentia binæ rectæ æquidistantes inuicem ducantur, quas secet ducta ab aliquo in sectione puncto recta diametro eadem bifariam diuidẽti æquidistans, & ad oppositam sectionem perducta, vt erunt rectangula sub æquidistantium segmentis facta inuicem, ita erunt rectangula subæquidistantis diametro partibus vtráque sectarum æquidistantiũ, & vtroque in sectione termino interceptis, similiter sumpta inuicem. *Vide tria Coroll.*

33. Si sint binæ coni sectiones, & vtrobique quina in sectione puncta notata: sint autem vnius puncta ad inuicem similiter posita alterius punctis ad inuicem; erit altera alteri sectio similis. *Vide Coroll.*

34. Datis in plano quinque punctis, quæ totidẽ notatis in plano aliquo vmbræ diurnæ terminis sint similiter posita; per eadẽ conuenientem coni sectionem describere, quæ diurnum solis parallelum repręsentet: ideoque & lineatæ super eodem plano ab vmbræ acumine coni sectionis similis sit. *Vide Monit.*

35. Si in hyperbola recta quæpiã ducatur alterutri asymptoto æquidistans, binasque rectas quascunque æquidistantes in sectione ductas diuidens; erunt rectangula sub æquidistantium partibus vtrinque sectione terminatis inuicem, veluti rectę asymptoto ęquidistantis partes à sectione sumptæ inuicem.

36. Si in hyperbola recta quæpiam ducatur binas rectas æquidistãtes in sectione ductas ita diuidens, vt eadem sit rectangulorum sub æquidistantium partibus vtrinque sectione terminatis ad inuicem ratio, quę respondentium ductę rectę partium à sectione sumptarum ad inuicem; erit recta eiusmodi ducta alterutri sectionis asymptoto æquidistans.

37. Si sint binę hyperbolę, & à sumpto quolibet in vtraque sectione puncto binę rectę ducantur quę binas quascunque rectas ęquidistantes in sectione ductas ita diuidant, vt eadem sit vtrobique binorũ quorumlibet rectangulorum sub æquidistantium segmentis ad easdẽ partes factis ad inuicem ratio, quæ intersegmẽtorum ad inuicem: atque etiam angulus abs ductis vnius contẽtus æqualis angulo alterius ductis contento; erit altera alteri hyperbola similis.

38. Si conus binis æquidistantibus, aut inuicem subcontrariè positis planis secetur non per verticem, erit factarum in superficie coni

2011 Ministerio de Cultura

ſectionum altèra alteri ſimilis. *Vide Coroll. & Monitum.*

39. Dato cono; in eiuſdem ſuperficie datæ hyperbolæ, aut ellipſi, ſimilem in data diametrorum ratione hyperbolam, aut ellipſim, exhibere.

40. Data hyperbola, aut ellipſi; conum exhibere, & in eiuſdem ſuperficie ſectionem eidem datæ hyperbolæ, aut ellipſi ſimilem in data diametrorum ratione.

Quarti libri finis.

CONTRACTA PAPPI COLLATIO,

Libri tertij Propoſitiones 58.

NON omnia quidem hic habes quæ demonſtrauit Pappus, ſed ea ſolùm quæ faciliùs poſſint abſque diagrammatibus intelligi; cuius duo primi libri cùm hactenus minimè prodierint, tertio, quo Cratiſtam appellat, problema definit, in quo aliquid faciendum & conſtruendum ponitur: & diſcutit quod aliquis propoſuerat, nempe datis duabus rectis lineis duas medias proportionales in continua analogia per planorum contemplationem inuenire. Quibus diſcuſſis, prop. 4. notat problematum tria genera, στερεὰ, στερεὰ, γραμμικὰ, plana, ſolida, linearia: quorum prima per rectas lineas, & circuli circumferentiam, in plano genitas, ſoluuntur; ſecunda requirunt vnam, aut plures coni ſectiones, atque adeo ſolidarum figurarum ſuperficiem ſupponunt: tertia denique lineas quaſdam mixtas requirunt, putà helices, quadratrices, conchoides, ciſſoides, & id genus alias.

Porrò varios modos explicat, quibus problemata ſolida inſtrumentorum ope perficiantur, quale eſt Eratoſthenis Meſolabum, & Nicomedis, atque Heronis, cuius catapultica, mechanicaque laudat, methodus, ipſéque poſtea modum inueniendi cubum alterius cubi non ſolùm duplum, ſed in quacumque proportione tradit.

Deinde tres in ſemicirculo medietates reperit, & definit medietatem arithmeticam, geometricam, & harmonicam, hiſque poſitis tres ſimul medietates in minimis rectis lineis quinque, vſque ad prop. 16. demonſtrat.

Poſtea decem analogias à veteribus propoſitas deſcribit, & vſque ad

prop.27. demonſtrat, in qua per numeros, tabellâ propoſitâ, idem fere repetit: cúmque nonnullis medietatibus in futurum egeamus; operæpretium fuerit hic illas explicare.

1. Medietas Arithmetica dicitur, quando tribus exiſtentibus terminis, medius vnum extremorum pari exceſſu ſuperat, & ab alio ſuperatur, vt fit in his tribus numeris 3, 6, 9; vel his 1, 2, 3.

2. Geometrica, quæ propriè dicitur analogia, cùm vt medius terminus ad vnum extremorum, ita reliquus ad medium, vt patet in 3, 6, 12, vel 1, 2, 4.

3. Harmonica, cùm medius terminus eadem parte ſuperat vnum extremorum, & à reliquo ſuperatur, vt contingit his numeris, 2, 3, 6.

4. Harmonicæ contraria, cùm tertius terminus ad primum, ita primi exceſſus ad exceſſum ſecundi, vt fit in his, 6.5.2.

5. Cùm vt tertius terminus ad ſecundum, ita primi exceſſus ad ſecundi exceſſum, quæ dicitur geometricæ contraria, vt in his numeris 5. 4. 2.

6. Cùm vt ſecundus terminus ad primum, ita primi exceſſus ad exceſſum ſecundi, vt in 6.4.1. cernitur, quæ & alio modo geometricæ dicitur contraria.

7. Cùm tertius exceſſus ad primum, ita ſecundus rerminus ad tertium. 7.4.3.

8. Cùm tertius exceſſus ad primum, vt primus terminus ad ſecundum. 6.4.3.

9. Cùm tertius exceſſus ad primum, ita primus terminus ad tertium. 4.3.2.

10. Cùm tertius exceſſus ad ſecundum, ita ſecundus terminus ad tertium. 3.2.1.

Quædam propoſitiones l. 3. Pappi.

29. IN omni triangulo, præterquam in æquilatero, & æquicruri baſim latere minorem habente, fieri poteſt, vt in baſi intra conſtituantur duæ rectæ lineæ æquales ijs, quæ ſunt extra, ſimul ſumptæ.

30. Quod ſi triangulum æquilaterum ſit, vel æquicrure, quod baſim habeat latere minorẽ, dico fieri non poſſe, vt intra ipſum conſtituantur rectæ lineæ æquales ijs quæ ſunt extra; ſed intra minores erunt.

31. In quibus triangulis intra conſtituuntur rectæ lineæ æquales iis quæ ſunt extra, in his & maiores intra conſtitui poſſunt ſimul ſumptę.

32. Et cùm hoc admirabile videatur iis qui geometricę ignari ſunt, admirabilius erit non ſolùm vtramque vtrique ęqualem eſſe, vel ma-

2010 Ministerio de Cultura

iorem, sed etiam singulas earum quæ intra constituuntur, singulis earum quæ extra, & æquales & maiores esse posse, quod ostenditur.

34. Multò autem admirabilius videbitur, si rectæ lineæ, quæ in basi intra triangulum constituuntur, non solùm æquales, vel maiores sint lateribus continentibus, sed etiam ad ea datam habeant proportionem.

35. Non solùm autem in trianguli basi rectæ lineæ intra constituuntur, vtræque simul maiores iis quæ sunt extra, sed etiam in quadrilatero duæ tribus maiores, & tres item maiores iis tribus, & similiter in alijs, quæ plura habeat latera, possunt quotquot intra constitui maiores quotquot ijs quæ sunt extra.

36. Fieri autem potest, vt & quæ intra continentur, quotquot iis quæ extra sunt, simul sumptæ omnes sint æquales. Ex quibus etiam sequitur dato spatio parallelogrammæ fieri posse, vt alterum parallelogrammum inueniatur, quod sit proposita pars dati parallelogrammi; vnumquodque autem latus vniuscuiusque lateris sit multiplex secundum datos numeros.

41. Triangulo dato minus triangulum inuenitur habens vnumquodque latere maiores.

42. Quodque admirabilius, triangulum datur quod sit pars dati trianguli, & vnumquodque latus vniuscuiusque lateris multiplex sit secundum datos numeros, vt priùs in parallelogrammo dictum est. *Has autem duas propositiones diagrammatibus l. 4. Veritatis scientiarum cap. 10. explicaui.* Cæterùm in data sphæra deinceps polizedra describit, nempe pyramidem, cubum, octaedrum, icosaedrum & dodecaedrum, de quibus in elementis.

Libri quarti Propositiones 43.

HOcce libro multa de triangulo, & de circulis intra duas circumferentias inscriptis demonstrat, & prop. 18. meminit theorematis de helice, seu linea spirali in plano describenda Cononis Hannii Geometræ, quam Archimedes demonstrauit: Pappus verò prop. 21. probat figuram contentam linea spirali, & recta quæ est in principio circulationis esse tertiam partem circuli ipsam comprehendentis; vide sis etiam prop. 22. in qua cubos eandem inter se rationem, quam duo spolia, seruare demonstratur.

Prop. 23. conchoidem Nicomedis; prop. 25. & sequentibus Dinostrati & Nicomi quadraturam persequitur, & 30. rursus de triplici problematũ genere plano, solido, & lineari agit, affirmatque à Demetrio

Alexandrino multa reperta, quæ linearia loca ſpectant, vt & à Philone Tyaceo circa implicationes πλικλοειδῶν, vbi & mirabilem Menelai lineam commemorat, & peccare Geometrã ait qui problema planum per conica vel linearia, hoc eſt ex improprio genere ſoluit, quale notat in 5 conicorum Apollonij, & libro de ſpiralibus Archimedis, vbi aſſumpta ſolida inclinatio in circulo, quod abſque vllo ſolido fieri poterat quodque iam factum à Vitellione l. 1. prop. 128.

Ex prop. 31. Datum angulum rectilineum prop. 32. & 33. tripartitò ſecat. & 34. pr. datæ circumferentiæ tertiam partem abſcindit, ſine inclinatione per ſolidum. Prop. 35. Datum angulum, vel datam circumferentiam in data proportione ſecare demonſtrat non eſſe problema ſolidum, vt præcedens, ſed lineare: vnde concludit prop. 36. à duobus circulis inæqualibus æquales circumferẽtias abſcindi poſſe. Prop. 37. triangulum æquicrure conſtruit, cuius vterque angulorum qui ad baſim, habeat ad reliquum proportionem datam: vnde infert Prop. 38. in circulo deſcribi poſſe polygonum æquilaterum & æquiãgulum quotuis laterum. Prop. 39. facilè cognoſci quâ ratione circulus inueniatur, cuius circumferentia rectæ lineæ datæ ſit æqualis, ſed quadraticis ope: idque in ratione data Prop. 40. 41. angulos incommenſurabiles inueniri poſſe.

Prop. 42. reſolutionem ordinat inclinationis, quam Archimedes lib. 16. aſſumpſit, & 43. ſeu vltimâ deprehendit quando punctum poſitione contingit parabolam.

Libri quinti Propoſitiones 57.

APum induſtriam in melle cõficiendo ſuſpicit, & explicat, quarũ faui ſeu κηρία ſunt hexagona, quare figuras inter ſe cohærentes, lateráque communia habẽtes ad tres rectilineas & ordinatas, hoc eſt æquilateras, & æquiangulas, redigit; quippe ſola triangula æquilatera, quadrata, & hexagona abſque alijs figuris diſſimilibus, poſſunt appoſita ſibi ipſis latera habere communia, & locum circa idem punctum replere, vt conſtat ex ſex triangulis æquilateris, quæ 6 angulos habẽt, quorum vnuſquiſque eſt duarum tertiarum recti; ex 4 quadratis per 4 angulos rectos, & ex tribus hexagonis, & eorum tribus angulis, quorum vnuſquiſque rectum, & tertiam recti partem continet. Ex his autem tribus apes hexagonum vti capaciorem, elegerunt, quippe æquali materiâ in conſtructionem vniuſcuiuſque inſumpta, hexagonum mellis capit amplius.

Figurarum enim planarum, quæ cùm æquilateræ, & æquiangulæ ſint,

2007 Ministerio de Cultura

sint, ambitum æqualem habent, ea semper, & maior est quæ ex pluribus constat angulis, & circulus æquali ipsis ambitu comprehensus, est omnium maximus. De niue hexagona tractatum peculiarem Keplerus edidit.

Prima prop. demonstrat polygonorum ordinatorum angulos numero inæquales, ambitum verò æqualem habentium, illud quod ex pluribus angulis constat, semper etiam maius esse.

2. Circulum quóuis polygono maiorem, cùm etiam æqualium sunt ambituum.

3. Rectangulum, quod circuli ambitu, & ea quæ ex cẽtro continetur, circuli duplum esse, idque independenter ab Archimede. Deinceps verò demonstrat isoperimetrarum figurarum multos angulos, & latera numero æqualia habentium, æquilateram & æquiangulam esse maximam.

5. Isoper. triangulorum & eandem basim habentiũ ęquicrure maximum esse, & quod ad ęquicrure magis accedit, semper maius esse: maximam etiam ait circuli portionem, inter eas quę habuerint æqualem circumferentiam, esse semicirculum, quod 17 prop. demonstrat.

14. Circulorum circumferentias inter se esse vt diametros. 13. similes circulorum proportiones ad inuicem esse vt basium quadrata, & circumferentias ipsarum inter se, vt bases.

17. Prop. multa de mundi figura sphærica legas, vt omnium figurarum solidarum æqualem superficiem habentium, sphæram esse maximam: postea confert alia solida ordinata cum sphæra, præsertim verò quinque figuras æqualibus & similibus planis contentas, quæ solæ angulos solidos æquales habent, videlicet tetraëdrum, hexaëdrum, octoedrum, duodecaedrũ, & icosaedrum: licet etiã Archimedes alia numero tredecim inuenerit æquilateris, & æquiangulateris polygonis, non tamen similibus, contenta. Omitto pręclaras propositiones, quę nequeũt absque figuris intelligi, vsque ad 28, quę docet, omnis portionis sphærę curuam superficiem æqualem esse circulo, cuius semidiameter est æqualis ei, quæ ex polo ipsius portionis.

35. Omnis sphæra æqualis est cono, cuius basis quidem est superficies sphæræ, altitudo verò eiusdem semidiameter.

36. Sphærâ datâ, & datâ proportione, superficiem sphæræ plano ita secare, vt portionum superficies inter se proportionem habeant eandem datæ proportioni: *Vnde concludit*

37. Cylindrum, cuius basis æqualis sit maximo in sphæra circulo, & altitudo æqualis diametro sphæræ, ipsius sphærę sesquialteram esse; & eius superficiem superficiei itidem sphæræ sesquialteram.

38. In omni triangulo æquilatero, quadratum quod ab vno latere fit, maius eiusdem est, quàm duplum dicti trianguli, minus verò quam quadruplum.

39. Quæ à centro sphæræ ad planum octaedri perpendicularis ducitur, potestate tertia pars est semidiametri sphæræ.

42. Si recta proportionaliter secetur, quod fit à tota ad id quod quinquies fit à minori portione maiorem proportionem habet, quàm quatuor ad tria: multáque persequitur ad hanc diuisionem attinentia vsque ad 47. prop. quâ demonstrat hexagoni latere proportionaliter secto, maiorem portionem esse decagoni latus; & 49. duodecim pẽtagona maiora 20. triangulis in eodem circulo descriptis.

Prop. 52. & deinceps ostendit icosaedrum maximum esse, & pyramidem omnium minimam; & tandem vltima 57. concludit nullum aliud polyedrum inueniri præter quinque prædicta, quod æqualibus, & similibus æquilateris polygonis contineatur.

Libri sexti Propositiones 61.

LOcum astronomicum aggreditur hocce libro, quod non sit sem- per verum theorema secundum l. 3. sphæric. Theodosij, videlicet oportere vnumquemque duorum maximorum circulorum ab eo, qui per polos sphæræ transit ad rectos angulos secari. Itemque prætermissum esse in 2. Theorem. Phęnom. Euclidis, quoties Zodiacus circulus bis ad horizontem fit rectus: & in 4. Theor. lib. de diebus & noctibus Theodosium fălsò exponi; & alia quę postmodum explicat.

1. Propositio. Si in sphærę superficie tres maximorum circulorũ circumferentiæ se mutuò secent, quarum vnaquæque sit circulo minor, duæ reliquæ maiores erunt, quomodocumque sumptæ.

2. Si in vno latere trianguli sphærici duę circulorum maximorũ circumferentiæ intra constituantur, hæ reliquis duobus trianguli lateribus minores erunt. Quibus, & nonnullis alijs præmissis quintũ theorema l. 3. sphæric. Theodosij aliter demonstrat. Sed & prop. 27. maximè laudat Autolycũ; & duas integras paginas Theorematibus plurimis characteribus constantes legendas proponit. Porro 28. & 29. promissa à Theodosio supplet, & 31. ostendit, ex ijs quæ infinitè augẽtur, & infinitè minuuntur, esse quasdam magnitudines, quæ omni propositâ magnitudine maiores fiant, & rursus minores; quæ videlicet in problematibus indeterminatis efficiuntur. Prop. 32. de iis quæ infinitè augentur, sed non infinitè minuuntur: 33. de ijs quæ solùm infinitè minuuntur, & 34. de ijs agit, quibus neutrum conuenit. Quibus posi-

tis demonstrat 35. prop. zodiaci velocitatem diminutam, nunquam velocitate solis minorem esse; sed quamcunque circumferentiam zodiaci solem in maiori tempore pertransire, quàm ipsa oriatur, vel rursus occidat.

Ad 38. prop. ostendit sex quæ Aristarchus statuit lib. de magnitudinibus & distantijs solis, & lunæ. Vbi etiam iuxta Ptolomæum, & Hipparchum magnitudines diametrorum solis & lunæ, & illorum à terra distantias refert. Cæterùm omnes prop. vt pote diagrammatibus egentes omitto, vt sequentem admirabilem peruideas.

54. Prop. Circulo positione dato & dato puncto, in plano circuli intra circumferentiam ipsius, visui locum inuenire, à quo circulus ellipsis videatur, centrum habens intra circumferentiam datum.

55. Notat in 2. Theor. Phænomenon Euclid. prætermitti demonstrationem huius. Si polus horizontis sit intra tropicos, vel in aliquo ipsorum, quoties zodiacus rectus fiat ad horizontem in vna conuersione: Nempe si fuerit in aliquo tropicorum semel zodiacum rectum esse ad horizontem in vna conuersione, bis autem, si fuerit inter tropicos, prop. 56. in qua etiam 12. Euclidis theorema discutit, & Hipparchum, ac Menelaum laudat.

57. & 58. Prop. agit de ortu & occasu cancri, & capricorni, leonis & virginis, & 12. signorũ; & prop. 59. inuenit horizontes habitationum. Denique quod est prætermissum in 12. & 13. theoremate sic explicat.

61. Prop. Circumferentiarum quæ sunt in semicirculo post cancrum, quælibet in maiori tempore oritur quàm occidit. Earum verò quæ in reliquo semicirculo post capricornum quælibet in maiori tempore occidit quàm oritur.

Libri septimi Propositiones 238.

DE loco resoluto filium Hermodorum alloquitur, quem vocat ἀναλυόμενον, qui sit vtilis ad inuenienda proposita problemata. Resolutio dicitur via à quæsito tanquam concesso, per ea quæ deinceps consequuntur ad aliquod concessum in compositione: quod enim quæritur, vt iam factum supponentes, quod ex hoc contingat, consideramus, & rursus illius antecedens, donec ita progredientes incidamus in aliquod iam cognitum, vel quod sit è numero principiorum: est igitur hæc ἀνάλυσις, vt σύνθεσις, seu compositio, quæ per conuersionem illud factum ponit, quod postremum in resolutione sumitur, ordinando ea antecedentia, quæ illic erant consequentia, quorum mutuâ compositione factâ ad quæsiti finem peruenitur.

Libros autem loco resoluto seruientes enumerat: datorum Euclidis librum vnum; Apollonij duos de proportionis sectione: duos de spatij sectione; duos tactionum, tres porismatum Euclidis: duos inclinationum; duosque locorum planorum Apollonij, vt & conicorũ octo. Quinque locorum solidorum Aristei: duos locorum ad superficiem Euclidis: duos Eratosthenis de medietatibus, adeout sint libri 31. Cum autem isti libri fere restituti sint, vel habeantur, illorum propositiones accipe, easque primùm quæ ad data pertinent.

Data Euclidis.

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

EVCLIDIS DATA,

E' GRÆCO A CLARISSIMO, ET VNDEQVAQVE DOCTISSIMO VIRO CLAVDIO HARDY conuerſa.

DEFINITIONES 12.

1. DATA magnitudine dicuntur ſpatia, lineæ, angulíque, quibus æqualia poſſumus inuenire. Datum, hypotheſi, ordinatum, porimum, poriſton, effabile, cognitũ idem ferè ſignificant. Datum eſt, cui æquale poſſumus inuenire. Hypotheſis eſt, quod à proponente conceditur. Ordinatum ſiue determinatum quod pluribus modis eſſe nequit. Porimum, quod conſtrui poteſt. Aporon, cuius factio nondum inuenta. Poriſticon, factibile, quod fieri poſſe non dubitamus, licet eius factio ignoretur. Effabile, quod numero rationali poteſt exprimi. Cognitum, quod numero rationali poſſumus exprimere.

2. Ratio dari dicitur, cui poſſumus eandem inuenire.

3. Rectilineæ figuræ ſpecie dari dicuntur, quarum & ſinguli anguli dati ſunt, & laterum rationes ad inuicem datæ ſunt. *Quare figurarum ſpecie datarum dantur quoque anguli, laterumque rationes.*

4. Poſitione dari dicuntur puncta, lineæ & anguli, quæ eundẽ ſemper ſitum obtinent. Puncta non aliter dantur quàm poſitione: *ſed anguli poſitione dati, dantur etiam magnitudine, quamuis lineæ rectæ poſitione datæ, non ideo dentur magnitudine.*

5. Circulus magnitudine dari dicitur, cuius ea quæ ex centro datur magnitudine.

6. Poſitione & magnitudine dari dicitur circulus, cuius datur centrum poſitione, & ea quæ ex centro magnitudine, omnis circulus poſitione datus, datur quoque magnitudine, ſed non contrà.

7. Circuli ſegmenta magnitudine dari dicũtur, in quibus dati ſunt anguli magnitudine, atque ſegmentorum baſes.

8. Positione & magnitudine dari dicuntur circuli segmẽta, in quibus anguli magnitudine dati sunt, & segmentorum bases positione & magnitudine.

9. Magnitudo magnitudine maior est, datâ, quando ablata data, reliqua eidem æqualis est.

10. Magnitudo magnitudine minor est, datâ, quando adiuncta data, tota eidem æqualis est.

11. Magnitudo magnitudine maior est, datâ, quàm in ratione quãdo ablatâ datâ reliqua ad eandem habet rationem datam.

12. Magnitudo magnitudine minor est datâ, quàm in ratione, quãdo adiunctâ datâ, tota ad eandem rationem habet datam.

PROPOSITIONES 95.

1. DAtarum magnitudinum, ad inuicem ratio data est.

2. Si data magnitudo, ad aliam aliquam magnitudinem habeat rationem datam, datur etiam hæc alia magnitudine.

3. Si quotlibet datæ magnitudines componantur, etiam ea dabitur quæ ex his componitur magnitudo.

4. Si à data magnitudine data magnitudo auferatur, etiam ea dabitur quæ reliqua est magnitudo.

5. Si magnitudo ad sui ipsius aliquam partem habeat rationem datam, etiam ad reliquam habebit rationem datam.

6. Si componantur duæ magnitudines habentes ad inuicem rationem datam, & quæ ex his componitur magnitudo, habebit ad vtrámque rationem datam.

7. Si data magnitudo datâ ratione secetur, vtrúmque segmentorum datum est.

8. Quæ ad idem rationem habet datam, habebunt ad inuicem rationem datam.

9. Si duæ pluresve magnitudines ad inuicem habeant rationem datam, habeant autem illæ magnitudines ad alias quasdam magnitudine rationes datas, & si non easdem, illæ aliæ magnitudines etiam ad inuicem habebunt rationes datas.

10. Si magnitudo magnitudine maior fuerit, datâ, quàm in ratione, & simul vtráque, illâ cãdem A magnitudine maior est, data, quàm in ratione; sin autem simul vtráque magnitudo, eadem magnitudine A maior fuerit, datâ, quàm in ratione, & reliqua illa eadem A maior sit, datâ, quàm in ratione, aut reliqua B data est, cum consequente C, ad quam habet altera magnitudo A rationem datam. Per dictiones il-

là eâdem A, quæ & altera magnitudo dicitur, intelligitur conſequens rationis propoſitæ, B reliqua, eſt exceſſus quo antecedens vnà cum data excedit conſequens rationis propoſitæ. *C cum conſequente*, &c. eſt dem rationis propoſitæ.

11. Si magnitudo magnitudine maior ſit, datâ, quàm in ratione, eadem ſimul vtráque maior erit, datâ, quàm in ratione. Et ſi eadem ſimul vtraque maior ſit, data, quàm in ratione, eadem reliquâ magnitudine maior erit, datâ, quàm in ratione.

12. Si fuerint tres magnitudines, & prima quidem cum ſecunda data ſit, ſecunda quoque cum tertia data ſit, aut prima tertiæ æqualis eſt, aut altera alterâ maior datâ.

13. Si fuerint tres magnitudines, & earum primæ ad ſecundam habeat rationem datam, ſecunda autem tertiâ maior ſit, datâ, quàm in ratione, prima quoque maior erit tertiâ, datâ, quàm in ratione.

14. Si duæ magnitudines ad inuicem habeant rationem datam, vtrique autem illarum adiiciatur data magnitudo; totæ ad inuicem aut habebant rationem datam, aut altera alterâ maior erit, datâ, quàm in ratione.

15. Si duæ magnitudines habeant ad inuicem rationem datam, & ab vtraque earum auferatur magnitudo; reliquæ magnitudines ad inuicem habebunt aut rationem datam, aut altera alterâ maior erit, datâ, quàm in ratione.

16. Si duæ magnitudines ad inuicem habeant rationem datam, & ab vna quidem illarum auferatur data magnitudo, alteri autem ipſarum adiiciatur data magnitudo, tota reſiduâ magnitudine maior erit, datâ, quàm in ratione.

17. Si fuerint tres magnitudines, & prima quidem ſecundâ maior ſit, datâ, quàm in ratione, tertia quoque eadem ſecunda maior ſit, datâ, quàm in ratione, prima ad tertiam, aut rationem habebit datam, alterâ maior erit, data, quàm in ratione.

18. Si fuerint tres magnitudines, atque ex his vna vtráque reliquarum maior ſit, data, quam in ratione, reliquæ duæ aut datam rationem habebunt ad inuicem, aut alterâ altera maior erit, data, quàm in ratione.

19. Si fuerint tres magnitudines, & prima quidem magnitudo ſecunda magnitudine maior ſit, data, quàm in ratione, ſit quoque ſecunda maior tertia, data, quàm in ratione; prima magnitudo, tertia magnitudine, maior erit, data, quam in ratione.

20. Si datæ fuerint duæ magnitudines,& auferantur ab ipſis magnitudines habentes ad inuicem rationem datam,reſiduæ magnitudines aut habebunt ad inuicem rationem datam, aut altera altera maior erit, data, quam in ratione.

21. Si fuerint duæ magnitudines datæ, & adiiciantur ipſis aliæ magnitudines,habentes ad inuicem rationem datam,totæ aut habebunt ad inuicem rationem datam, aut altera altera minor erit, data,quàm in ratione.

22. Si duæ magnitudines,ad aliam aliquam magnitudinẽ habeant rationem datam,& ſimul vtraque ad eandem habebit rationẽ datam.

23. Si totum ad totum habeat rationem datam, habeant autem & partes ad partes rationes datas, modò non eaſdem,habebunt omnia ad omnia rationes datas.

24. Si tres rectæ lineæ proportionales fuerint, prima autem ad tertiam habeat rationem datam, & ad ſecundam habebit rationẽ datã.

25. Si duæ rectæ poſitione datæ, ſe mutuò inuicem ſecuerint,punctum in quo ſe inuicem ſecant, poſitione datum eſt.

26. Si lineæ rectæ extremitate poſitione datæ ſint, recta poſitione, & magnitudine data eſt.

27. Si datæ rectæ lineæ poſitione & magnitudine data fuerit vna extremitas, & altera extremitas data erit.

28. Si per datum punctum contra datam poſitione rectam agatur recta linea, acta recta poſitione data eſt.

29. Si ad poſitione datam rectam, datúmque in ea punctum agatur recta linea,quæ facit angulum datũ,acta linea poſitione data eſt.

30. Si à dato puncto, in datam poſitione rectam agatur recta linea, quæ facit angulum datum, acta linea poſitione data eſt.

31. Si à dato puncto in datam poſitione rectam data magnitudine recta ducatur; poſitione quoque data erit.

32. Si in datas poſitione parallelas rectas agatur recta linea quæ faciat angulos datos, alia recta magnitudine data eſt.

33. Si in datas poſitione parallelas rectas agatur magnitudine data recta, faciet angulos datos.

34. Si in datas poſitione parallelas rectas à dato puncto agatur linea recta, ſecabitur data ratione.

35. Si à dato puncto in datam poſitione rectam agatur recta linea, ſecetúrque datâ ratione, agatur autem per punctum ſectionis, contra datam poſitione rectam, recta linea,acta linea poſitione data eſt.

36. Si à dato puncto in datam poſitione rectam lineam agatur recta linea, adijciatur autem ipſi aliqua recta quæ ad illam habeat rationẽ datam,

datam, per extremitatem adiectæ lineæ agatur contra datam positione rectam linea recta: acta linea positione data est.

37. Si in datas positione parallelas rectas agatur recta, quæ secetur ratione datâ, agatur autem per sectionis punctũ contra datas positione rectas linea recta: acta recta positione data est.

38. Si in datas positione parallelas rectas agatur recta, quę ad illam quæ acta est habeat rationẽ datam, per extremitatem autem adiectæ agatur contra datas positione parallelas recta; recta est data positione.

39. Si trianguli singula latera magnitudine data sint, triangulum specie datum est.

40. Si trianguli singuli anguli magnitudine dati sint, triangulum specie datum est.

41. Si triangulus vnum angulum datum habeat, circa datum autem angulum duo latera ad inuicem habeant rationem datam triangulus specie datus est.

42. Si trianguli latera ad inuicem habeant rationem datam, triangulum specie datum est.

43. Si trianguli rectanguli circa vnum acutorum angulorum latera ad inuicem habeant rationem datam, triangulum specie datũ est.

44. Si triangulus habeat vnum angulum datum, circa alium autem angulum latera ad inuicem habeant rationem datam, & pateat species tertij anguli, triangulus specie datus est.

45. Si triangulus datus vnum angulum habeat, circa datum autem angulum latera simul vtraque, tanquam vnum ad reliquum latus rationem habeant datam, triangulus specie datus est.

46. Si triangulus datus vnum angulum habeat, circa alium autẽ angulum latera, simul vtraque tanquam vnum, habeant ad reliquum rationem datam, triangulus specie datus est.

47 Data rectilinea specie, in data specie triangula diuiduntur.

48. Si ab eadem recta describantur trianguli dati specie, habebũt ad inuicem rationem datam.

49. Si ab eadem recta duo rectilinea quælibet data specie describantur, habebunt ad inuicem rationem datam.

50. Si duæ rectæ ad inuicem habeant rationem datam, & ab illis similia, similitérque descripta rectilinea, habebunt ad inuicem rationem datam.

51. Si duæ rectæ habeant ad inuicem rationem datam, & ab illis rectilinea quæcunque specie data describantur, habebunt ad inuicem rationem datam.

52. Si à data magnitudine recta, data figura ſpecie deſcribatur, deſcripta figura magnitudine data eſt.

53. Si duæ figuræ ſpecie datæ fuerint, & vnum latus vnius ad vnum latus alterius habuerit rationem datam, reliqua quoque latera ad reliqua latera habebunt rationes datas.

54. Si duæ figuræ datæ ſpecie, ad inuicem habuerint rationem datam, etiam eorum latera ad inuicem habebunt rationem datam.

55. Si ſpatium magnitudine, & ſpecie datum fuerit, eius latera magnitudine data erunt.

56. Si duo æquiangula parallelogramma habuerint ad inuicem rationem datam, eſt vt primi latus ad ſecundi latus, ita reliquum ſecundi latus ad eam, ad quam alterum primi latus habet rationem datam, quam habet parallelogrammum ad parallelogrammum.

57. Si datum ſpatium ad datam rectam applicatum fuerit in angulo dato, datur altitudo applicationis.

58. Si datum ad datam rectam applicetur, deficiens data ſpecie figura, latitudines defectus datæ ſunt.

59. Si datum ad datam rectam applicetur, excedens data ſpecie figura, latitudines exceſſus datæ ſunt.

60. Si datum ſpecie & magnitudine parallelogrãmum dato gnomone augeatur vel minuatur, latitudines gnominis datæ ſunt.

61. Si ad datæ ſpecie figuræ vnum latus applicetur parallelogrammum ſpatium, in angulo dato, habeat autem data figura ad parallelogr. rationem datam, parallelogr. ſpecie datum eſt.

62. Si duæ rectæ ad inuicem habeant rationem datam, & ab vna quidem data ſpecie figura deſcripta ſit, ab altera autem ſpatium parallelogr. in angulo dato, habeat autem figura ad parallelogr. rationem datam, parallelogrammum ſpecie datum eſt.

63. Si triangulum ſpecie datum ſit, quod ab vnoquoque laterum deſcribitur quadratum, ad triangulum habebit rationem datam.

64. Si triangulus angulum obtuſum datum habeat; illud ſpatium quo latus obtuſum angulũ ſubtendens, magis poteſt quàm latera obtuſum angulum ambientia, ad triangulum habebit rationem datam.

65. Si triangulum angulum acutum datum habeat, illud ſpatium quo latus angulum acutum ſubtẽdens, minus poteſt quàm latera angulum acutum ambientia, habebit ad triangulum rationem datam.

66. Si triangulus habuerit angulum datum, quod ſub rectis datum angulum comprehendentibus continetur rectangulum, habebit ad triangulum rationem datam.

67. Si triangulus habuerit datum angulum, illud ſpatium quo duo

datum angulum comprehendentia latera, tanquã vna recta, plus possunt quàm quadratum à reliquo latere, ad triangulum habebit rationem datam.

68. Si duo parallelogramma æquiangula habeãt ad inuicem rationem datam, & vnum latus ad vnum latus habeat rationem datam, reliquum latus ad reliquum latus rationem datam habebit.

69. Si duo parallelogramma datos angulos habeant, & ad inuicem rationem datam, habeat autem & vnum latus ad vnum latus rationẽ datam, & reliquum latus ad reliquum latus habebit rationem datam.

70. Si duorum parallelogrammorum circa æquales angulos, aut circa inæquales quidem, datos tamen, latera ad inuicem habeant rationem datam, & ipsa parallelogramma habebunt ad inuicem rationem datam.

71. Si duorum triangulorũ circa æquales angulos, aut circa inæq. quidem, datos tamen, latera ad inuicem habeant rationem datam, & ipsa triangula habebunt ad inuicem rationem datam.

72. Si duorum triangulorũ & bases fuerint in ratione data, & actæ ab angulis ad bases quæ faciant angulos æquales, aut inæquales quidem, sed datos habeant, ad inuicem rationem datam, & ipsa triangula ad inuicem habebunt rationem datam.

73. Si duorum parallelogr. circa angulos æquales, aut circa inæq. sed datos, latera ad inuicem ita se habeãt, vt sit quemadmodum primi latus ad secundi latus, ita reliquum secundi latus ad aliam aliquã rectam, habeat autem & reliquum primi latus ad eandem rectam rationem datam, & ipsa parallelogr. habebunt ad inuicem rationẽ datã.

74. Si duo parallelogr. datam rat. habeant, aut in æqual. angulis, aut in inæq quidem, sed datis, erit vt primi latus ad secundi latus, ita alterum secundi latus ad eam ad quam reliquum primi latus rationem habet datam.

75. Si duo triangula ad inuicem habeant rat. dat. aut in ang. æqual. aut inæq. sed datis, erit vt primi latus, ad secundi latus, ita alterum secundi latus ad eam rectam ad quam reliquum primi latus habet rat. datam.

76. Si à trianguli dati specie vertice, linea perpendicularis agatur ad basim, acta linea ad basim habebit rationem datam.

77. Si datæ duæ figuræ specie ad inu. habeant rat. dat. & quodlibet latus vnius harũ figurarũ ad quodlibet latus alterius habebit rat. dat.

78. Si data figura specie habeat ad aliquod rectangulum rationem datam, habeat autem & vnum latus ad vnum latus rat. dat. rectangulum specie datum est.

79. Si duo triang. vnum angulum vni angulo æqualem habeant, ab æqual. autem angulis ad baſes perpendiculares agantur, ſitque vt primi triang. baſis ad perpendicularem, ita & alterius trianguli baſis ad perpend. illa triangula æquiangula ſunt.

80. Si triangulus datus vnum angulum habuerit, quod autem ſub lateribus datum angulum comprehendentibus continetur rectangulum habeat ad quadratum reliqui lateris rationem datam, triangulum ſpecie datum eſt.

81. Si tres rectæ proportionales, tribus rectis proportionalibus, extremas habuerint in ratione data, medias quoque habebunt in ratione data. Et ſi extrema ad extremam, & media ad mediã habeat rationem datam, & reliqua ad reliquam habebit rationem datam.

82. Si 4. rectæ proport. fuerint, erit vt prima ad eã ad quam ſecunda rationem habet datam, ita tertia ad eam ad quam quarta rationem habet datam.

83. Si 4. rectæ ita ad inuicem ſe habeant, vt tribus ex ijs quibuſcumque ſumptis, & quarta ipſis proportionali accepta, ad quam reliquæ è 4. rectis rat. habeant datam, erit vt quarta ad tertiam, ita ſecunda ad eam ad quam habet prima rationem datam.

84. Si 2. rectæ datum ſpatium comprehendunt in angulo dato, ſit autem altera, altera maior data, etiam vna quæque ipſarum data erit.

85. Si 2. rectæ d. ſi comp. in an. d. ſit autem ſimul vtraque data, & earum quoque vnaquæque data erit.

86. Si 2. rect. d. 5. com. in an. d. quadratum autem vnius quadrato alterius maius ſit dato, quàm in ratione, & vtraque ipſarum dat. erit.

87. Si 2. rect. d 5 c. in a. d. poſſit autem altera altera maius dato, earum vtraque data erit.

88. Si in circulum mag. datum acta ſit recta quæ ſegmentum auferat, quod datum angulum comprehendat, acta recta mag. data eſt.

89. Si in circulum mag. datum, data magnitudine recta acta fuerint, auferet ſegmentum, quod angulum datum comprehendet.

90. Si in circuli poſitione dati circumferentia datum fuerit punctum, ab eo autem puncto ad circumferentiam circuli inflexa fuerit recta, quæ datum angulum efficiat, inflexæ rectæ altera extremitas data eſt.

91. Si à dato puncto acta recta fuerit, quæ datum poſitione circulũ contingat, acta linea poſitione, & magnitudine data eſt.

92. Si extra circulum poſit. d. accipiatur aliquod punctũ, á dato autem puncto in circulũ producatur quædã recta, d. eſt id quod ſub acta linea, & ea quæ inter pũctũ & conuexã peripheriã cõprehẽditur rect.

93. Si intra datum positione circulum sumatur aliquod datum punctum, per punctum autem agatur in circulum aliqua recta, quod sub segmentis actæ rectæ comprehenditur rectangulum datum est.

94. Si in circulum magnit. datum acta recta quæ segmentum auferat quod datum angulum comprehendat, angulus autem qui in segmento consistit bifariam secetur, simul vtraque rectarum quæ angulum datum comprehendunt, ad lineam quæ angulum bifariam secat, habebit rationem datam: & quod sub simul vtrisque quæ datum angulum comprehendunt rectis, & infernè abscissâ ab ea quæ angulum in circumferentia datum bifariam secat, rectangulum datum erit.

95. Si in circuli positione dati diametro sumatur punctum, à puncto autem in circulum producatur quædam recta, & agatur à sectione ad rectos angulos in productam rectam linea, per punctum autem in quo linea quæ ad rectos angulos consistit occurrit circumferentiæ circuli, agatur parallela productæ rectæ, datum est illud punctum, in quo parallela occurrit ipsi diametro, & quod sub parallelis lineis comprehenditur rectangulum datum est.

PAPPVS DE DATIS EVCLIDIS.

PRimus liber Datorum theoremata 90 continet, quorum primum vniuersè in magnitudinibus diagramma esse 23. 24 verò est in rectilineis proportionalibus sine positione; & quæ deinceps sequuntur 14, sunt in rectis lineis positione datis. Quæ sequuntur, decem in triangulis specie datis sine positione. Sequentia sex in parallelogrammis, & applicationibus spatiorum specie datorum. Quæ deinceps, quinque primum quidem in lineis; 4 verò in spatiis triangulis, quòd differentiæ quadratorum laterum ad ipsa triangula spatia proportionem habeant datam. Sequentia 7 vsque ad 73, in duobus parallelogrammis, quòd ob positiones in angulis proportionem inter se datam habeant; quorum aliqua similes habent epilogos in duabus triangulis.

In sequentibus 6 diagrammatibus vsque ad 79, duo quidem sunt in triangulis; quattuor verò in pluribus rectis lineis proportionalibus. Quæ deinceps tria, in duabus rectis lineis proportionalibus, quæ datum spatium continent. At quæ in omnibus octo, vsque ad 90, in circulis ostenduntur, vel magnitudine tantùm datis, vel etiam positione, nimirum rectis lineis per datum punctum ductis.

DE PROPORTIONIS SECTIONE.

QVam vnica propositione subdiuisa complectitur; quem tractatum tribus problematibus complexus est Snellius.

1. Datis duabus rectis annuentibus per datum extra ipsas punctum rectam educere, quæ ad earum concursum intercipiat segmenta in ratione imperata.

2. Per datum extra punctum rectam ducere, quæ ad duos terminos in rectis parallelis datos intercipiat segmenta in ratione data.

3. Datis duabus rectis annuentibus per datum extra ipsas punctum rectam ducere, quæ ab expositis ad duos datos in iisdem terminos intercipiat segmenta in ratione imperata.

DE SPATII SECTIONE.

AGgreditur postea spatij sectionem, quam similiter Snellius 4 Problem. ita restituit.

1. Datis duabus rectis per datum in alterutra punctum rectam educere, quæ ad datos in expositis terminos absumat segmenta datum spatium comprehendentia.

2. Datis duabus rectis per datum punctum educere rectam, quæ ad earum concursum intercipiat segmenta datum spatium comprehendentia. Vnde concluditur quî triangulum per rectam, à puncto extra, vel intra triangulum dato, eductam diuidatur in data ratione.

3. A datis duabus parallelis recta per punctum quod in neutra earum sit acta, ad datos in ipsis terminos absumere segmenta datum spatium comprehendentia.

4. Datis duabus rectis annuentibus per punctum extra ipsas datum rectam ducere, quæ ad datos in ipsis terminos absumat segmenta datum spatium comprehendentia.

DE DETERMINATA SECTIONE.

HVnc præterea tractatum idem Snellius 4 problematibus sequentibus complectitur.

1. Datam rectam infinitam vnico puncto secare, vt è rectis ad data duo puncta absumptis, vnius quadratum, ad rectangulum sub reliqua, & data externa comprehensum rationem habeat datam.

2. Datam rectam infinitam vnico puncto secare, vt è rectis ad data

tria puncta abſumptis quod ſub vna ipſarum, & data externa, ad id quod ſub duabus reliquis comprehenditur rationem habeat datam.

3. Datam rectam infinitam vnico puncto ſecare, vt è rectis ad data in ipſa tria puncta abſumptis, rectangulum ſub duabus comprehenſum, ad reliquæ quadratum rationem habeat datam.

4. Datam rectam infinitam vno puncto ſecare, vt è rectis ad data in ipſa 4 puncta abſumptis, rectangulum ſub duabus optatis comprehenſum, ad rectangulum ſub reliquis rationem habeat datam.

DE TACTIONIBVS, ſeu περὶ ἐπαφῶν.

SExdecim Problematibus tractatum hunc Vieta comprehendit in Apollonio Gallo, ſed cùm in planis ſubſtiterit, illum ad Sphærica Problemata Clariſſimus Fermatius 15 Problematibus extendit, quæ Vietæis ſubiungemus.

Problema 1. Per data duo puncta circulum magnitudine datum deſcribere.

2. Datis 2 rectis, circulum magnitudice datum deſcribere, qui datas rectas contingat.

3. Datis 2 circulis, tertium magnitudine datum deſcribere, qui datos circulos contingat.

4. Dato puncto, & rectâ circulum magnitudine datum deſcribere, qui per datum punctum tranſiens datam rectam contingat.

5. Dato puncto & circulo, alterum circulum magnitudine datum deſcribere, qui per datum punctum tranſiens circulum datum contingat.

6. Datis poſitione recta & circulo, alterum circulum magnitudine datum deſcribere, qui datam rectam, ac datum circulum contingat.

7. Datis 3 punctis in eadem recta non exiſtentibus per eadem circulum deſcribere.

8. Datis 2 punctis & recta, per data puncta circulum deſcribere, quem data recta contingat.

9. Datis 3 rectis, non parallelis, deſcribere circulum, quem harum vnaquæque contingat. Sequitur Lemma, per datum punctum ducere rectam ſecantem duas datas ad angulos æquales.

10. Datis 2 rectis, & puncto, per datum punctum circulum deſcribere, quem datæ 2 rectæ contingant.

11. Dato circulo, & duabus rectis deſcribere circulum, quem datus circulus, & datæ 2 rectæ contingant. Ante duodecimum Problema, tria Lemmata præmittit. Primum: Si duo circuli ſe mutuò ſe-

cent, à puncto autem sectionis ducatur per centrum vnius circulorum recta, ea non transibit per circuli centrum. 2. Si 2 circuli se mutuò secent, à puncto autem sectionis ducatur recta vtrumque circulum secans, erunt dissimilia circulorum segmenta. 3. Si per crura trianguli agatur recta basi parallela, itaut duo constituantur sub eodem vertice similia triangula, qui circa triangulum vnum describetur circulus, tangetur in vertice communi à circulo qui circa triangulum alterum describetur.

12. Datis puncto, recta, & circulo, per datum punctum describere circulum, quem data recta, & datus circulus contingant.

13. Datis 2 circulis, & recta, describere terrium circulum, quem duo dati, & data recta contingant.

14. Datis 2 punctis, & circulo, per data 2 puncta circulum describere, qui datum circulum contingant.

15. Datis 2 circulis, & puncto, per datum punctum circulum describere, quem duo dati circuli contingant.

16. Datis tribus circulis, describere quartum, quem illi contingant.

DE TACTIONIBVS SPHÆRICIS. PROBLEM. 15.

1. DAtis 4 punctis, sphæram inuenire, quæ per data puncta transeat.

2. Datis 3 punctis, & plano, inuenire sphæram, quæ per data puncta transeat, & planum datum contingat.

3. Datis 3 punctis, & sphæra, inuenire sphæram, quæ per data puncta transeat, & sphæram datam contingat.

4. Datis 4 planis, inuenire sphæram, quæ data plana contingat.

5 Datis 3 planis, & puncto, inuenire sphæram, quæ per datum punctum transeat, & plana data contingat.

6. Datis 3 planis, & sphæra inuenire sphæram, quæ datam sphæram, & data plana contingat.

7. Datis 2 punctis, & 2 planis, inuenire sphæram, quæ per data puncta transeat, & data plana contingat.

Ante 8. Prop. 5 Lemmata præmittuntur, lectione digna.

8. Datis 2 punctis, plano, & sphæra, inuenire sphæram, quæ per data puncta transeat, & sphæram ac planum datum contingat.

9. Datis 2 punctis, & 2 sphæris, inuenire sphæram, quæ per data 2 puncta transeat, & sphæras datas contingat.

10. Dato puncto, 2 planis, & sphæra, inuenire sphæram, quæ per datum punctum transeat, & sphæram, ac data plana contingat.

11. Dato

11. Dato puncto, plano, & 2 sphæris, inuenire sphæram, quæ per datum punctum transeat, & planum, ac sphæras datas contingat.

12. Dato puncto, & 3. sphæris, inuenire sphæram, quæ per datum punctum transeat, & sphæras datas contingat.

13. Datis 2 planis, & 2 sphæris, inuenire sphæram, quæ data plana, & sphæras contingat.

14. Datis 3 sphæris, & plano, inuenire sphæram, quæ sphæras, & datum planum contingat.

15. Datis 4 sphæris, inuenire sphæram, quæ datas contingat.

DE PORISMATIBVS EVCLIDIS.

PRædictis libris ordine subiicit Pappus Euclidis Porismata, 3 inquit, voluminibus contenta, quod vocat opus artificiosissimum, & perutile ad resolutionem obscuriorum problematum. Porisma verò facit medium inter theorema & problema, quòd proponatur ad inuentionem propositi.

Porrò testatur tribus illis libris contineri Lemmata 38, & 101 Theoremata, quæ nullus (quòd sciam) hactenus restituisse videatur varię tractatus istius prop. apud Pappũ pagina 161. Huius autem tractatus Restitutio Clarissimi Domini Fermatij postulat opem, qui 2 sequentes de locis planis libros adeò fœliciter redintegrauit.

DE LOCIS PLANIS.

DIuidit Pappus locos in ἐφεκτικὺς, qui in seipsis consistunt, quo sensu locus puncti, lineę, superficiei, & solidi, est punctum, linea, superficies & solidum. Alij sunt διεξοδικοὶ se extra se extendentes vt cum locus puncti est linea; lineæ superficies, &c. Qui verò sunt in resoluto loco, alij positione dati, ἐφεκτικοὶ alij plani dicti & solidi, & lineares: διεξοδικοὶ sunt punctorũ, & ad superficies: διαφορικοὶ punctorum; διεξοδικοὶ linearum; lineares ex ijs qui sunt ad superficies demonstrantur.

Porrò dicuntur plani loci, quicunque sunt rectæ lineæ, vel circuli. Solidi, qui conorum sectiones lineares, qui ad reliquas pertinent lineas, quales sunt cissoides, &c. Supersunt loci ab Eratosthene inscripti, ad medietates: Vnde constat quæ nobis desint, & quantum opę Geometricâ lineares, & alios locos suscitante egeamus: quod enim ad planos attinet, Cl. Fermatius illos restituit, & Pappi sequẽtem propositionem in pluribus obscuram & corruptam ita emendauit, vt eam in plures propositiones digesserit; sic igitur Pappus.

Si duæ lineæ agantur, vel ab vno dato puncto, vel à duobus, & vel in rectam, vel parallelæ, vel datum continentes angulum, vel inter se datam proportionem habentes, vel datum comprehẽdentes ſpatium; contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum, & alterius terminus locum planum poſitione datum continget: interdum quidem eiuſd. generis, interdum verò diuerſum, & interdum ſimiliter poſitum ad rectam lineam, interdum contrario modo.

LIBRI PRIMI. PROPOSITIONES 15.

1 SI à dato puncto in rectam lineam duæ lineę agantur datam habentes proportionem, & terminus vnius contingat locum poſitione datum, hoc eſt aut rectam, aut circumferentiam circuli poſit. datam, alterius terminus continget rectam, aut circuli circumferen. poſitione datam.

2. Si à dato puncto ducantur in directum duæ rectæ, datum continentes ſpatium, contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum, tanget pariter & terminus alterius.

3. Si à dato puncto ducantur 2 lineæ datum angulum continentes, & datam habentes proportionem, contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum, continget & terminus alterius.

4. Si à dato puncto ducantur 2 lineæ datum angul. conting. & datum comprehendentes ſpatium, contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum, continget & terminus alterius.

5. Si à 2 punctis datis 2 lineæ parallelæ agantur, rationem habentes datam, contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum, continget & terminus alterius.

6. Si à 2 punctis datis 2 parallelæ agantur, datum comprehendentes ſpatium, contingat autem terminus vnius locum planum poſitione datum continget & terminus alterius.

7. Si 2 lineæ agantur à datis 2 punctis, datum continentes angulum, & datam habente proportionem, contingat autem terminus vnius locum pl.p.d. conting. & terminus alterius.

8. Si à 2 punctis datis ducantur 2 lineæ, datum angulum, & datum ſpatium, continentes contingat autem term. vn. l. poſi. d. cont. & term. alt. *Hic quidem nouus ordo propoſ. incipit, ſed malim numeros perſequi*: ſit igitur.

9. Si rectæ lineæ poſitione datæ vnus terminus datus ſit, & alter circumferentiam concauam poſitione datam continget.

10 Si à 2 punctis datis inflectantur rectæ datum angulum continentes, commune ipsorum punctum continget circumferentiam concauam positione datam.

11. Si trianguli spatij magnitudine dati basis positione & magnitudine data sit, vertex ipsius rectam positione datam continget.

12. Si rectæ magnit. datæ, & cuipiam positioni datæ æquidistantis vnus terminus contingat rectam positione datam, & alius terminus rectam positione datam continget.

13. Si à puncto quodam ad posit. datas 2 rectas parall. vel inter se conuenientes ducãtur rectæ in dato angulo, vel datam habentes propor. vel quarum vna simul cum ea ad quam altera propor. habet datã, data fuerit, continget punctum rectam pos. datam.

14. Si sint quotcunque rectæ pos. datæ, atque ad ipsas à quodam puncto ducantur rectæ in datis angulis, sit autem quod datâ lineâ, & ductâ continetur, vnà cum contento datâ lineâ, & alterâ ductâ æquale ei, quod datâ & aliâ ductâ, & reliquâ continetur, punctum rectam pos. datam continget.

15. Si ab aliquo puncto ad pos. datas parallelas ducantur rectæ in datis angulis; quæ ad puncta in ipsis data abscindet rectam proport. habentes datam, punctum continget positione datam rectam.

LIBRI 2. PROPOSITIONES 8.

1. SI à datis punctis rectæ inflectantur, & sint quæ ab ipsis fiunt dato spatio differentia, punctum rectas positione datas continget.

2. Si à 2.p. inflectantur rectæ, & sint in proportione data, punctum continget rectam, vel circunferentiam.

3. Si sit positione data recta, & in ipsa datum punctum, à quo ducatur quædam recta terminata, à termino autem ipsius ducatur ad positionem, & sit quod fit à ductâ, æquale ei quod à data & abscissa, vel & ad datum punctum, vel ad alterum datum in linea data positione, terminus ipsius circumferentiam positione datam continget.

4. Si à 2 punctis datis rectæ inflectantur, & sit quod ab vna efficitur, eo quod ab altera dato maior quàm in proportione, punctum posit. datum circumferentiam continget.

5. Si à quotcunque datis punctis ad vnum punctum inflectantur rectæ, & sint species quæ ab omnibus fiunt, dato spatio æquales

punctum continget positione datam circumferentiam. Vbi 2 lemmâtibus præmissis propositiones generalissimas bipartitur & demonstrat.

6. Si à 2 punctis datis inflectantur rectæ, & à puncto ad positione ductam lineam abscissa à recta positione data ad datum punctum, & sint species ab inflexis æquales ei, quod à data & abscissa continetur, punctum ad inflexionem positione datam circumferentiam continget.

7. Si in circulo positione dato sit datum punctum, perque ipsum agatur quædam recta, & in ipsa punctum extrà sumatur, sit autem quod fit à linea ducta vsque ad punctum intra datum æquale ei quod à tota & extra sumpta vel soli, vel vnà cum eo quod duabus quæ intra circulum portionibus continetur punctum extra sumptum positione datam rectam continget.

8. Et si hoc quidem punctum contingat positione datam rectam lineam, circulus autem non ponatur, quæ sunt ad vtrasque partes dati puncti, contingent positione eandem datam circumferentiam. Omitto locos ad superficiem, cuius Isagogem vir idem Cl. amicis communem fecit, & alia quæ vtinam ab eo tandem impetremus.

INCLINATIONVM PERGÆI A GHETALDO RESTITVTARVM

PROPOSITIONES 4.

1. IN dato circulo aptare rectam magnitudine datam, quæ ad datum punctum pertingat.

2. Dato semicirculo & recta sit ipsius basi perpendicularis, inter ipsam perpendicularem, & circumferentiam semicirculi ponere rectam magnitudine datam, quæ ad semicirculi angulum pertingat.

3. Rhombo dato, & vno latere producto, aptare sub angulo exteriori rectam magnitudine datam, quæ ad oppositum angulum pertingat.

4. Rhombo dato, & duobus lateribus productis, aptare sub angulo

meriori, rectam magnitudine datam, quæ ad oppositum ānguluṁ pertingat.

His autem omnibus non ægrè feret Lector, si verbo librum acutum de sectionibus angularium subiunxerimus.

ANGVLARIVM SECTIONVM DOCTRINÆ

PROPOSITIONES XI.

1. SI fuerint triangula rectangula, quorum primi angulus acutus differat ab acuto secundi per acutum tertij, & sit excessus penes primum, latera tertij recipiunt hanc similitudinem.

Hypothenusa, sit similis rectangulo sub hypothenusis primi & secundi.

Perpendiculum, simile rectangulo sub perpendiculo secundi & base primi.

Basis rectangulo sub basibus primi & secundi, plus rectangulo sub perpendiculis eorundem. *Est autem perpendiculum, latus cui acutus angulus subtenditur, basis verò quæ reliquum è recto subtendit.*

2. Si fuerint tria triangula rectangula, quorum primi angulus acutus adiunctus acuto secundi, æquet acutum tertij, latera tertij recipiunt hanc similitudinem.

Hypothenusa, sit similis rectangulo sub hypothenusis primi & secundi.

Perpendiculum, simile rectangulo sub perpendiculo, & base secundi, plus rectangulo sub perpendiculo primi, & base primi.

Basis, rectangulo sub basibus primi & secundi, minus rectangulo sub perpendiculis eorundem.

3. Si fuerint triangula rectangula quotcunque, & horum secundi angulus acutus sit duplus ad acutum primi, tertij triplus, quarti quadruplus, & eo continuò naturali progressu; primi autem trianguli perpendiculum statuatur prima proportionalium, basis eiusdem secunda, eaque series continuetur.

In secundo erit basis ad perpendiculum, vt tertia minus prima, ad secundam bis.

In tertio, vt quarta minus secunda ter, ad tertiam ter, minus prima,

In quarto, vt quinta minus tertia ſexies, plus prima, ad quartam quater, minus ſecunda quater.

In quinto, vt ſexta minus quarta decies, plus ſecunda quinquies, ad quintam quinquies, minus tertia decies plus prima.

Et ita in infinitum, diſtributis ſucceſſiuè in duas partes proportionalibus, ſecundum earum ſeriem, vtrobique primum adfirmatis, deinde negatis, & ſumptis multiplicibus, vt ordo graduum in artificioſa geneſi poteſtatum, quibus eæ addicuntur, exigit. *Vide duas tabellas, quibus Theorema poteſt in infinitum continuari.*

4. Si à termino diametri ſumantur in circulo circumferentiæ quotcunque æquales, & ab altera extremitate educantur rectæ ad ſumptarum circumferentiarum æqualium terminos, erit, vt ſemidiameter ad rectam à iam dicta extremitate eductam diametro proximam, ita quælibet intermedia, ad ſummam duarum in eadem ſemiperipheria ſibi vtrinque proximarum. At ſi educta ſit minor ſubtenſâ vnius æqualium partium, erit in prædicta ratione ad differentiam duarum ſibi vtrinque proximarum.

5. Si in circumferentia circuli ſumantur duo arcus continui inter ſe æquales, recta ab extremitate diametri ad communem illorum terminum ducta, erit ad aggregatum vel differentiam rectarum ab eadem extremitate diametri ad reliquos æqualium arcuum terminos ductarum, vt ſemidiameter ad ſubtenſam complementi ad ſemicirculum vnius æqualium arcuum.

6. Si à termino diametri ſumantur in circulo circumferentiæ quotcunque æquales, & ab altera extremitate educantur rectæ ad ſumptarum circumferentiarum æqualium terminos, eductæ fiunt baſes triangulorum, quorum communis hypothenuſa eſt diameter; ac baſis quidem diametro proximior intelligitur baſis anguli ſimpli, ſuccedens dupli, & eo continuo ordine: conſtituatur autem ſeries linearum rectarum continuè proportionalium, quarum prima ſit æqualis ſemidiametro, ſecunda baſi anguli ſimpli, is reliquarum baſium ordine ſuccedentium erit progreſſus.

Tertia, continuè proportionalium, minùs prima bis, erit æqualis baſi anguli dupli.

Quarta, minus ſecunda ter, baſi anguli tripli.

Quinta, minus tertia quater, plus prima bis, baſi anguli quadrupli.

Et ita in infinitum, vt per loca proportionalium imparia noua affectio ſuccedat affirmatæ negata, negatæ affirmata, & proportiona-

les illæ sint semper alternæ, & multiplices quidem, in prima adfectione, per vnitatis crementum: in secunda per numeros triangulos, in tertia per numeros pyramidales; in quarta per numeros triangulo-triangulos; in quinta per numeros triangulo pyramidales: non quidem ab vnitate vt in potestatum genesi, sed à binario suum ducentes incrementum.

7. Si à termino diametri sumantur in peripheria circuli partes quotcunque æquales, & ab eiusdem diametri extremitate educantur rectæ ad singula sectionum puncta: erit vt semidiameter ad subtensam partium æqualium vni, ita reliquarum quælibet ab alterutro diametri termino educta, præter diametrum, aut diametro proximam, ad differentiam duarum à reliquo eiusdem termino eductarum ad sectiones sibi vtrinque proximas. At ita diameter ipsa cùm in sectionem æqualem incidit, vel cùm non incidit, ei proxima in sectionem incidens, ad summam duarum ab altero diametri termino, ad proximas vtrinque sectiones eductarum.

8. Si fuerint triangula rectangula æqualia hypothenusæ, quorum primi angulus acutus sit in submultipla ratione ad angulos acutos succedentium ordine triangulorum, ad acutum videlicet secundi subduplus, tertij subtriplus, quarti subquadruplus, & eo continuò ordine: constituatur autem series rectarum continuè proportionalium, quarum prima sit æqualis semihypothenusæ, secunda perpendiculo anguli primi, inter succedentes continuè proportionales & succedentium triangulorum bases, ac perpendicula, hæc erit æqualitas.

Prima bis, minus tertiâ continuè proportionalium, erit æqualis basi trianguli secundi.

Secunda terminus quarta, perpendiculo trianguli tertij.

Prima bis minus tertia quater, plus quinta basi trianguli quarti.

Secunda quinquies, minus quarta quinquies, plus sextâ, perpendiculo trianguli quinti.

Et ita in infinitum, inuerso eo qui in quinto Theoremate expositus est ordine.

9. Si à puncto in peripheria circuli, sumantur segmenta quotcunque æqualia, & ab eodem ad singula sectionum puncta rectæ educantur; erit vt minima ad sibi proximam, ita reliquarum quæuis à minima deinceps, ad summam duarum sibi vtrinque proximarum.

10. Si à puncto in circuli circumferentia sumantur partes quotcumque æquales, & ab eodem educantur rectæ sumptarum circum-

ferentiarum æqualium terminos: constituatur autem series rectarum continuè proportionalium, quarum prima sit æqualis minimæ ductæ, secunda à minima secundæ, is reliquarum eductarum ordine succedentium erit progressus.

Tertia continuè proportionalium, minus primâ, erit æqualis tertiæ.

Quarta, minus secundâ bis, quartæ.

Quinta, minus tertiâ ter, plus primâ, quintæ. Et ita in infinitum, secundum numeros in quinto Theoremate expressos. Vide tabulam.

11. Si secetur semicircumferentia in partes quotcunque æquales, & ab altero diametri termino educantur rectæ ad quælibet sectionum puncta; est vt minima educta ad diametrum, ita composita ex diametro, minima & maxima, ad compositam ex omnibus eductis duplam.

IN HOC AVTEM LIBRO SEPTIMO
Pappi sunt Propositiones 238.

POst tractatus omnes præcedentes quædam circa Propositiones 238. quas Pappus hocce libro tradit aduertenda sunt, nempe primâ Propositione secari rectam in data ratione; alias verò Propositiones non posse absque diagrammatibus facilè intelligi, nisi quis magna verborum ambage vtatur. A 22. Prop. agit de sectione determinata, de qua fusè loquitur Propos. 64. à qua librum inclinationum incipit, vt librum tactionum à Prop. 96. A Propos. 129. de porismatibus agit. Dehinc vsque ad Prop. 235. multa circa 8 conicorum libros aduertit: & à 235. Prop. de loco ad superficiem agit. Vide præclaram parabolæ proprietatem Prop. 238.

LIBRI OCTAVI PROPOSITIONES 22.

POst 24. Propositiones agit de quinque viribus, huncque librum ad filium Hermodorum mittit, in cuius Præfatione notat ex Herone mechanico duas esse partes mechanicæ, rationalem ex Geometria, Arithmetica, Astronomia, Physicisque rationibus constantem, & manuariam mannū opera egentem, atque adeo ex æraria, tectonica, pictura constantem. Artémque manganorum, pondera machinis in altum tollentem, & sagittas catapultis emittentem μηχανοποιοῖς permittit.

Omitto

Omitto πνευματικὰ, & hydraulica, de quibus fusè, dictum est, vt aduertas Carpo teste librum de Sphæropœia, seu sphæræ constructione ab Archimede scriptum. Porrò tractatum de graui & leui Pappus omittit, quod de iis egerit Ptolomæus in mechanicis, sed non extant. Hanc autem imprimis affert definitionem.

Centrum grauitatis vniuscuiusque corporis est punctum quoddam intra positum, à quo si graue dependens mente concipiatur, dum fertur quiescit, & seruat eam, quam in principio habebat, positionem, neque in ipsa latione circumuertitur. Vbi Commandinus obseruat non sufficere si corpus graue bis plano imponatur, sed tertio imponendum, vt grauitatis centrum appareat. Cùm autem sequentes propositiones diagrammata supponant, eas minimè refero, quarum sexta docet quî recta ita secetur, vt minor pars sit minoris potestate tripla. Octauâ, quomodo planum inclinetur, vt ipsius inclinatio vergat in vnum punctum plani non inclinati, seu horizonti æquidistantis, in parallelogrammo, & inclinatio sit in angulo dato.

Nonâ, dato pondere à data potentia dato in plano horizonti parallelo, & altero plano inclinato, quod ad subiectum planum datum angulum efficiat, quomodo inueniatur potentia, à qua pondus in plano inclinato ducatur. Vbi eum errasse dictum est libr. Mechan. Prop. 13. Coroll. 5. Decima, datum pondus data potentia moueri ad quod refertur Archimedeum, da mihi vbi consistam, & terram commouebo: huius propositionis factam ait constructionem libro βαρύλκοι, sumpto lemmate quod demonstrauit in mechanicis, in quibus etiam de quinque viribus differit, nempe cuneo vecte, cochlea, polyspasto, & axe; nam libro περὶ τροχιλιῶν de rotulis datâ potentia mouentibus; libro inscripto βάλκοι de tympanis dentatis, quorum diametri ad axis diametrum existentes vt 5 ad 1, moueant pondus mille talentorum, cum potentia 5 talentorum fuerit, sed de Glossocomo dictum est 11 mechan. prop. & de trochleis, & polyspastis 9 & 10.

Prop. 15 Pappus dato circulo sublimi, non tamen in plano ad subiectum planum recto, inuenit communem sectionem vtrorumque planorum, & eorundem inclinationem.

Decimasextâ, tribuit minimam lineam inter sphæræ superficiem, & subiectum planum interiectam.

Decimaseptima, sphærâ posita, & puncto extra ipsam dato, inuenit punctum, in quo recta à dato puncto ad centrum sphæræ ducta circumferentiam secat.

Decima octauâ 2 punctis extra superficiem sphæræ datis, dat puncta, in quibus recta, data puncta contingens, sphæræ superficiem secat.

19. In dato circulo 7. hexagona describit, vnum circa idem, quod est circuli centrum; reliqua 6 à medij lateribus, quæ opposita latera habent ad circuli circumferentiam aptata.

21. Vt velocitas tympani A, ad velocitatem tympani B, ita dentium B multitudo ad multitudinem dentium A.

22. Circulorum circumferentiæ sunt vt eorum diametri.

23. Docet quomodo tympano dato tympanum aliud adhibeatur, & tympani diameter inueniatur.

24. Constituit cochleam, helicem habens obliquam dentibus tympani dati congruentem. Vbi de quinque viribus agit, & de iis quæ in solo ducuntur, vel in altum trahuntur: de quibus cum partim tract. præcedente mechan. tum postea secuturo, fuse satis dixerimus, 8 Pappi libris finem apponamus.

MECHANICORVM LIBRI.

PRÆFATIO.

ECHANICE est ars, seu facultas quæ naturali materia, & demonstrationibus vtitur, consulitque hominum necessitati, & vtilitati, ac ipsam naturam imitatur, vt pictura; vel iuuat, vt medicina: vel superat, vel decipit, quæ quidem effectus mirabiles producit, vt constat ex cochlea, de qua Guido Vbaldus 4. libros conscripsit, per quam aqua non ob aliam rationem ascendit, nisi quia descendit; & ex machinis vi quarum fultus Archimedes dicebat, δός μοι πού στῶ καὶ κοσμῶ τὴν γῆν; siue βαρυλκῷ vteretur, quod Heroni tribuunt: siue ἑλικοειδὲς illud instrumentum, quod vocamus cochleam, aut helicem infinitam, inuenerit; siue trispastò, & polyspasto illa miranda præstiterit, quæ passim de eo circumferuntur, siue quinque vires simul iunxerit, vt refert Iambographus Pisida, vectem nempe, trochleam, axem in peritrochio, cuneum, & cochleam, quibus Archimedis problema, τῇ ὀρθείσῃ δυνάμει τὸ δοθὲν βάρος κινῆσαι. Quod non minus mirabile cuipiam videatur, quàm illud Geometricum, mixtum angulum acuto quolibet maiorem, & minorem, non tamen æqualem dari posse; vel lineas in infinitum productas, propiusque inuicem semper accedentes nunquam posse concurrere, vt constat ex asymptotis cum hyperbole, & linea connoide cum recta linea, &c. Hos igitur Mechanicorum libros accipe, (mi THEOTIME) qui omnia ferè theoremata ad rotundam machinam reducentes, hoc axiomate nituntur: *Rotunda machina est mouentissima, & quo maior, eo mouentior*; quo ad illam diuinam sphæram spe erigamur, cuius centrum vbique, circumferentia nullibi esse dicitur; & quæ tempus ab æuo.

Ire iubet, stabilisque manens dat cuncta moueri.

DE GRAVITATIS ET VNIVERSI CENTRO.

LIBER PRIMVS.

QVemadmodum præcedentes rerum Geometricarum tractatus, (mi THEOTIME) à materia sensibili, vt methaphysica ab omni, & physica à singulari, abstraxerunt, ita libri mechanici genus omne materiæ inuoluunt, & artefacta tam in genere, quàm in specie, & in particulari considerant, quæ cum maxime à centro grauitatis, magnitudinis, &c. pendeant, de eo prius agamus; iuxta ea quæ à Commandino, Guid. Vbaldo, Valerio, & alijs tradita sunt.

PRIMA PARS CONTINENS DEFINITIONES, ET EA QVÆ spectant ad centrum vniuersi.

DEFINITIONES.

I. GRauitas est virtus corporis grauis, qua deorsum nititur & mouetur; quæ videtur oriri ex appetitu, quem habet graue ad sui conseruationem: nisi quis malit descensum corporum grauium fieri à qualitate attractiua terræ siue magneticâ, siue qualibet alia.

II. Leuitas est virtus corporis leuis, qua sursum nititur & tendit; si tamen aliqua leuitas, & non potiùs minor solùm grauitas detur in rerum natura.

III. Centrum grauitatis vniuscuiusque corporis est punctum illud intrà, extráve positum, circa quod vndique partes æqualium momentorum consistunt, ita vt si per tale centrum ducatur planum figuram quomodocumque secans, semper in partes æquiponderantes ipsum diuidat. *Aliter.* Est punctum illud, à quo si corpus suspendatur, quiescit, & eam pòotionem seruat, quam in principio habuit, quantumcumque moueatur, & circumferatur. Centrum verò grauitatis est vel linearum,

vel figurarum, vel solidorum.

IV. Centrum leuitatis est punctum, secundùm quod leuia rectà à centro sursum feruntur. Vtrumque verò tam grauitatis, quàm leuitatis centrum, dicitur naturæ, quando corpora naturali impetu feruntur; violentiæ verò, quando impetu impresso mouentur, hoc est qualitate, seu virtute aduentitia, qua in aliquam partem proiiciuntur.

✣ V. Centrum magnitudinis est punctum ab omnibus extremitatibus corporis distans æqualiter, quale est centrum circuli, & sphæræ; quod etiam est centrum magnitudinis omnium figurarum regularium circulo inscriptarum, vel circumscriptarum. At in magnitudinibus irregularibus est punctum, per quod diuisa magnitudo relinquit duas partes æquales magnitudinis.

✣ VI. Centrum figuræ est punctum, à quo semidiametri exeunt: vel per quod transeunt diametri, vt circuli centrum, & ellipsis.

✣ VII. Centrum vniuersi est punctum illud, ad quod omnia grauia rectis lineis feruntur: estque centrum omnium grauium: quod quidem vulgò assumitur, sed demonstrari nequit; cum probabile sit esse peculiare centrum grauitatis in quolibet systemate particulari vniuersi, seu in omnibus maioribus corporibus: nihil igitur temerè asserendum de centro vniuersi; quo tamen supposito, vtpote nostris experientiis arridente, sit.

VIII. Linea directionis, seu diameter grauitatis pendula, hoc est horizonti perpendicularis, est linea ducta à centro proprio vniuscuiusque grauis ad centrum vniuersi, quæ totuplex est, quotuplex est corpus grauue extra centrum, & per quam vt motus directricem graue descendit, nisi impediatur: in quolibet autem illius puncto graue æquiponderare supponitur.

IX. Grauitatis corporeæ diameter, est recta infinita per grauitatis centrum acta, sicut diameter magnitudinis est linea recta ducta per centrum magnitudinis.

X. Grauitatis planum diametrale est quæcumque recta superficies per grauitatis centrum transiens: Quibus addi poterunt definitiones Commandini, quas affert libro de centro grauitatis solidorum, quem sequentibus propositionibus subiungemus.

DE CENTRO VNIVERSI.

PROPOSITIONES.

I.

✝ SVpponamus omnia grauia mundi medium appetere, & rectis lineis ad illud ferri naturaliter, id enim ab omnibus ferè conceditur, quod tamen nondum demonstratum est: quis enim nouit, num siderum partes auulsæ grauitent, & ad suum astrum, velut lapides in altum sublati ad terram, redeant; & an lapides, lunæ, verbi gratiâ, quàm terræ propinquiores, ad terram, aut ad lunam descensuri sint.

II.

Si centrum terræ est centrum vniuersi, distamus à centro mundi 1145 leucas, quarum vnaquæque 15000 pedes regios habet: quandoquidem diameter globi terreni est 2290 leucarum, maximúsque propterea illius circulus 7200 leucarum, iuxta ea quæ demonstrauit Archimedes, nempe diametrum sphæræ esse ad eius circumferentiam vt 7 ad 22 proximè.

III.

✝ Si solis centrum sit centrum vniuersi, statim plus, statim minus à medio mundi distamus; semidiametris nempe terrenis 1101. hyeme, cùm sol sit perigæus; æstate verò 1182, quando est apogæus: itaque nobis hyeme vicinior erit 81 semidiametris terrenis: *De quibus in sphæricis dictum est:* deinceps verò quædam proponentur, quæ ex centro terreni globi pendent.

IV.

Tametsi lineæ ductæ à centro terræ ad eius circumferentiam magis semper à se ipsis recedant, quo magis distant à centro, attamen illarum partes inter pedem & altitudinem montium quantumuis sublimium interceptæ pro parallelis sumi possunt: ideóque non plures domus ædificari, arbores plantari, aut homines stare possunt supra montem, quàm super planam superficiem, cui mons innititur, quamuis montis superficies plani superficie quadruplo fuerit amplior.

V.

Ob maiorem capitis hominis 6 pedes alti, quàm pedum à centro terræ distantiam, caput hominis terram circumies 4 ferè leucis superaret spatium à pedibus confectum; *vt pagina* 873 *libri de veritate scientiarum.*

oſtenſum eſt. Quæ tamen maioris ſpatij differentia non eſt ſenſibilis in itinere vnius leucæ.

VI.

Vas in pede montis poſitum, vel in alio inferiori loco, plus aquæ, vel alterius humidi continet, quam in vertice montis, vel in alio ſuperiori loco, idque ob maiorem portionem circuli à centro terræ per labra vaſis inferioris, quàm vaſis ſuperioris ducti: verùm illud quo inferius excedit ſuperius, ſenſibile non eſt.

VII.

✠ Nullus ſtare poteſt, niſi linea perpendicularis, ſeu directionis per illius pedes tranſeat: hinc fit vt homo ſedens, cuius quietem, vel ſeſſionem Ariſtoteles qu. 30. mechanicorum in rectum angulum refert, non poſſit ſurgere, donec acutum angulum caput, vel corpus cum cruribus efficiat, & caput cum pedibus in eadem directionis linea ſtatuatur.

VIII.

Si centrum terræ ſit centrum vniuerſi, hoc centrum pluribus modis reperiri poteſt, duobus verò præſertim; primo, ſi duo longiſſima fila à ſe diſtantia à vertice turris vſque ad centrum deſcenderint, hæc enim eo magis ad ſe inuicem accedent, quo propiùs acceſſerint ad centrum: tot autem erunt partes à centro terræ vſque ad verticem turris æquales vni filo, quot erunt partes æquales exceſſui maioris diſtantiæ filorum ſupra minorem eorundem diſtantiam. Secundo, ab eleuatione data poli procedendo ad aliam maiorem, aut minorem vno gradu eleuationem; enimuero differentia vnius gradus dabit 20 leucas, quæ per 360 gradus multiplicatæ exhibent 7200 leucas pro circunferentia, ex qua nota ſemidiameter, atque adeò centrum terræ, ſeu vniuerſi facilè concluditur: hic autem modus eſt primo præferendus, cum in primo exceſſus prædictus ſit inſenſibilis: vt pag. 875. libri de veritate ſcientiarum demonſtratum eſt.

IX.

Si centrum terræ eſt centrum vniuerſi, & terra ingenti pondere, qualis eſt exercitus, in vna parte poſito, mutet locum deſcendendo, vel aſcendendo, centrum vniuerſi mobile eſt. Viderint aſtronomi num motus liberationis, ſiue trepidationis, qui in cœlis obſeruatus eſt in motum terræ referri poſſit. At verò definire quantũ pondus ſit neceſſarium vt terra locum mutet, videtur difficile; quod tamen facile erit, ſi bilancium, vel librarum rationes ſequamur.

X.

Si grauitas corporum oritur ex maiori denſitate partium, an centrum terræ corporum denſiſſimum? quam denſitatem ſoli tribuunt, qui

ſtatuunt illum pro centro vniuerſi, huic enim tantumdem materiæ, quantum reliquis mundi corporibus tribuunt: quæ penitus incerta ſunt.

SECVNDA PARS.

DE CENTRO GRAVITATIS SOLIDORVM.

CVm animaduertiſſet Commandinus Archimedem de centro planorum, libro κέντρα βάρων ἐπιπέδων, quem ſupra dedimus, copioſiſſime, & acutiſſime ſcripſiſſe, nullum autem egiſſe de centro grauitatis ſolidorum, nec enim extat Maurolyci liber quem de hac materia compoſuiſſe dicitur; librum verò de iis quæ vehuntur in aqua, quem Latine reddiderat, huius centri cognitione indigere, tractatum ſequentem edidit, cui tres Lucæ Valerij de eadem materia libros ob rationes ſuo loco explicandas ſubiungemus: ſint igitur

DEFINITIONES.

I. PRima definitio docet quid ſit centrum grauitatis, quæ nobis fuit inferiùs tertia.

✠ II. Priſmatis, cylindri, & portionis cylindri axis eſt recta linea, quæ oppoſitorum planorum centra grauitatis coniungit.

✠ III. Pyramidis, coni & portionis coni axis eſt linea, quæ à vertice ad centrum grauitatis baſis perducitur.

✠ IV. Si pyramis conus, portio coni, vel conoidis ſecetur plano baſi æquidiſtante, pars, quæ eſt ad baſin, fruſtum pyramidis, coni, portionis coni, vel conoidis dicetur: quorum plana æquidiſtantia, quæ opponuntur, ſimilia ſunt, & inæqualia: axes verò ſunt axium figurarum partes, quæ in ipſis comprehenduntur.

Poſtulata.

✠ I. Solidarum figurarum ſimilium centra grauitatis ſimiliter ſunt poſita.

✠ II. Solidis figuris ſimilibus, & æqualibus, inter ſe aptatis, centra quoque grauitatis inter ſe aptata erũnt.

Propoſitionis

Propositiones & Theoremata.

I.

✠ OMnis figuræ rectilineæ in circulo descriptæ, quæ æqualibus lateribus, & angulis continetur, centrum grauitatis est idem, quod circuli centrum.

II.

Omnis figuræ rectilineæ in ellipsi descriptæ, centrum grauitatis est idem quod ellipsis centrum.

III.

✠ Cuiuslibet portionis circuli, & ellipsis, quæ dimidia non sit maior, centrum grauitatis in portionis diametro consistit.

IV.

In circulo & ellipsi idem est figuræ, & grauitatis centrum. *Vnde sequitur portionis circuli, vel ellipsis, quæ dimidia maior sit, centrum grauitatis in diametro quoque ipsius consistere.*

V.

✠ Si prisma secetur plano oppositis planis æquidistante, sectio erit figura æqualis & similis ei, quæ est oppositorum planorum, centrum grauitatis in axe habens. *Hinc constat cuiuslibet prismatis axem, parallelogrammorum lateribus, quæ ab oppositis planis ducuntur, æquidistare.*

VI.

✠ Cuiuslibet prismatis centrum grauitatis est in plano, quod oppositis planis æquidistans reliquorum planorum latera bifariam diuidit.

VII.

✠ Cuiuslibet cylindri, & cylindri portionis centrum grauitatis est in plano, quod basibus æquidistans, parallelogrammi per axem latera bifariam secat.

VIII.

✠ Cuiuslibet prismatis, & cylindri, vel cylindri portionis grauitatis centrum in medio ipsius axis consistit.

IX.

✠ Si pyramis secetur plano basi æquidistante, sectio erit figura similis ei, quæ est basis, centrum grauitatis in axe habens.

X. *Problema I.*

Data qualibet pyramide, fieri potest, vt figura solida in ipsa inscribatur, & altera circumscribatur ex prismatibus æqualem altitudinem habentibus, ita vt circumscripta inscriptam excedat magnitudine, quæ minor sit quacumque solida magnitudine proposita.

XI. *Problema* 2.

Dato cono, fieri poteſt, vt figura ſolida inſcribatur, & altera circumſcribatur ex cylindris æqualem habentibus altitudinem, ita vt circumſcripta ſuperet inſcriptam, magnitudine, quæ ſolida magnitudine propoſita ſit minor.

XII. *Problema* 3.

Data coni portione, poteſt ſolida quædam figura inſcribi, & altera circumſcribi ex cylindri portionibus æqualem altitudinem habentibus, itavt circumſcripta inſcriptam exuperet, magnitudine quæ minor ſit ſolida magnitudine propoſita.

XIII. *Probl.* 4.

Data ſphæræ portione, quæ dimidia ſphæra maior non ſit, poteſt ſolida quædam portio inſcribi, & altera circumſcribi ex cylindris æqualem altitudinem habentibus, ita vt circumſcripta inſcriptam excedat, magnitudine, quæ ſolida propoſita magnitudine ſit minor.

XIV.

Cuiuslibet pyramidis, & coni, vel coni portionis, centrum grauitatis in axe conſiſtit.

XV.

Cuiuslibet portionis ſphæræ, vel ſphæroidis, quæ dimidia maior non ſit: itemque cuiuslibet portionis conoidis, vel abſciſſæ plano ad axem recto, vel non recto, centrum grauitatis in axe conſiſtit.

XVI.

In ſphæra, & ſphæroide idem eſt grauitatis, & figuræ centrum: *& per conſequens portionis ſphæræ, vel ſphæroidis centrum grauitatis in axe conſiſtit.*

XVII.

Cuiuslibet pyramidis triangularem baſim habentis grauitatis centrum eſt in puncto, in quo ipſius axes conueniunt.

XVIII.

Si ſolidum parallelepipedum ſecetur plano baſibus æquidiſtante: erit ſolidum ad ſolidum, ſicut altitudo ad altitudinem, vel ſicut axis ad axem.

XIX.

Solida parallelepipeda in eadem baſi, vel in æqualibus baſibus conſtituta eaminter ſe proportionem habent, quam altitudines: & ſi axes ipſorum cum baſibus æquales angulos contineant, eam quoque quam axes proportionem habebunt.

Ex quibus patet priſmata omnia, & pyramides, quæ triangulares baſes

habent, siue in eisdem, siue in æqualibus basibus constituantur, eandem proportionem habere quam altitudines: & si axes cum basibus æquales angulos contineant, similiter eandem quam axes, habere proportionem: sunt enim solida parallelepipeda prismatum triangulares bases habentium dupla: & pyramidum sextupla.

XX.

Prismata omnia, & pyramides quæ in eisdem, vel æqualibus basibus constituuntur, eam inter se proportionem habent quam altitudines: & si axes cum basibus faciunt angulos æquales, eam etiam, quam axes habent proportionem.

XXI.

Prismata omnia, & pyramides inter se proportionem habent compositam ex proportione basium, & proportione altitudinum.

Hinc constat prismata omnia, & pyramides, in quibus axes cum basibus æquales angulos continent, proportionem habere compositam ex basium proportione, & proportione axium; demonstratum est enim axes inter se eandem proportionem habere, quam ipsa altitudines.

XXII.

Cuiuslibet pyramidis, & cuiuslibet coni, vel coni portionis axis à centro grauitatis ita diuiditur, vt pars, quæ terminatur ad verticem reliquæ partis, quæ ad basim sit tripla.

XXIII. *Probl. 5.*

Quodlibet frustum à pyramide, quæ triangularem basim habeat, abscissum, diuiditur in tres pyramides proportionales, in ea proportione, quæ est lateris maioris basis ad latus minoris ipsi respondens.

XXIV.

Quodlibet frustum pyramidis, vel coni, vel coni portionis, plano basi æquidistanti ita secare, vt sectio sit proportionalis inter maiorem, & minorem basim.

XXV.

Quodlibet frustum pyramidis, vel coni, vel coni portionis ad pyramidem, vel conum, vel coni portionem, cuius basis eadem est, & æqualis altitudo, eandem proportionem habet, quàm vtræque bases, maior & minor simul sumptæ vnà cum ea, quæ inter ipsas sit proportionalis, ad basim maiorem.

XXVI.

✠ Cuiuslibet frusti à pyramide, vel cono, vel coni portione abscissi, centrũ grauitatis est in axe, ita vt eo primùm in duas portiones diuiso, portio superior, quæ minorem basim attingit, ad portionem reliquam eam habeat proportionem, quam duplum lateris, vel diametri maioris

basis vnà cum latere, vel diametro minoris, ipsi respondente, habet ad duplum lateris, vel diametri minoris basis vnà cum latere, vel diametro maioris: deinde à puncto diuisionis quarta parte superioris portionis in ipsa sumpta: & rursus ab inferioris portionis termino, qui est ad basim maiorem, sumpta quarta parte totius axis: centrum sit in linea, quæ his finibus continetur, atque in eo lineæ puncto, quo sic diuiditur, vt tota linea ad partem propinquiorem minori basi, eandem proportionem habeat, quam frustum ad pyramidem, vel conum, vel coni portionem, cuius basis sit eadem, quæ basis maior, & altitudo frusti altitudini æqualis.

XXVII. *Probl. 6.*

Omnium solidorum in sphæra descriptorum, quæ æqualibus, & similibus basibus continentur, centrum grauitatis est idem, quod sphęræ centrum.

XXVIII. *Probl. 7.*

Data qualibet portione conoidis rectanguli, abscissa plano ad axem recto, vel non recto, fieri potest, vt portio solida inscribatur, vel circumscribatur ex cylindris, vel cylindri portionibus, æqualem habentibus altitudinem, ita vt recta linea, quæ inter centrum grauitatis portionis, & figuræ inscriptæ, vel circumscriptæ interiicitur, fit minor qualibet recta linea proposita.

Vnde patet centrum grauitatis figuræ inscriptæ & circumscriptæ eo magis accedere ad portionis centrum, quo pluribus cylindris, vel cylindri portionibus constet: fiatque figura inscripta maior, & circumscripta minor: & quamquam continenter ad portionis centrum propiùs admoueatur, nunquam tamen ad ipsum perueniet: sequeretur enim figuram inscriptam non solùm portioni, sed etiam circumscriptæ figuræ æqualem esse, quod est absurdum.

XXIX.

✠ Cuiuslibet portionis conoidis rectanguli axis à centro grauitatis ita diuiditur, vt pars quæ terminatur ad verticem, reliquæ partis, quæ ad basim sit dupla.

XXX.

Si à portione conoidis rectanguli alia portio abscindatur, plano basi æquidistante, habebit portio tota ad eam, quæ abscissa est, duplam proportionem eius, quæ est basis maioris portionis ad basim minoris, vel quæ axis maioris ad axem minoris.

XXXI.

✠ Cuiuslibet frusti à portione rectanguli conoidis abscissi, centrum grauitatis est in axe, ita vt demptis primùm à quadrato, quod fit ex

diametro maioris basis, tertia ipsius parte, & duabus tertiis quadrati, quod fit ex diametro basis minoris : deinde à tertia parte quadrati maioris basis rursus dempta portione, ad quam reliquum quadrati basis maioris vnà cum dicta portione, duplam proportionem habeat eius, quæ est quadrati maioris basis ad quadratum minoris : centrum sit in eo axis puncto, quo ita diuiditur, vt pars quæ minorem basim attingit, ad alteram partem eandem proportionem habeat, quam dempto quadrato minoris basis à duabus tertiis quadrati maioris, habet id, quod reliquum est vnà cum portione à tertia quadrati maioris parte dempta, ad reliquam eiusdem tertiæ portionem.

TERTIA PARS
CONTINENS TRES LIBROS
Lucæ Valerii de centro grauitatis solidorum.

CVm Lucas Valerius animaduertisset corporum planis terminis definitorum, nec non cylindri, & coni, & frusti conici, & sphæræ, & sphæroidis centrum grauitatis à Commandino ostensum fuisse; aliorum autem, quæ superficie mixta continentur, vno conoide parabolico tentato, centrum grauitatis ab eo inueniri non potuisse, tribus libris ostendit centrum grauitatis non solùm conoidis parabolici, sed etiam hyperbolici, & frusti vtriusque, & portionis vtriusque conoidis, & portionis frusti, & hemisphærij, & hemisphæroidis, & cuiuslibet portionis sphæræ, & sphæroidis vno & duobus parallelis abscissæ. Tametsi autem quibusdam Archimedis, & Commandini propositionibus vtatur, vtpotè Archimedis 14. 17. & secunda parte vigesimæ, in primo libro, & vna, in secundo libro: Commandini verò, in primo libro 23. 25. 32. 33. 34. 37. 39. 41. & 42. omnes tamen referemus, vt aliæ propositiones faciliùs intelligantur.

LIBER PRIMVS.

DEFINITIONES.

✣ I. FIguræ aliquæ planæ multilateræ centrum habere dicuntuur punctum illud, in quo omnes rectæ lineæ vel angulos oppositos iungentes bifariam secantur, vel ab angulis ductæ ad laterum oppositorum bipartitas sectiones in easdem rationes.

II. Circa diametrum est figura plana, in qua recta quædam, quæ diameter figuræ dicitur, omnes rectas alicui parallelas, à figura terminatas bifariam diuidit.

III. Octaedron communiter dictum, est figura solida octo triangulis binis parallelis, æqualibus & similibus comprehensa.

IV. Polyedri regularis centrum dicitur punctum, in quo omnes rectæ lineæ, quæ ad angulos oppositos pertinent, bifariam diuiduntur.

V. Cuiuslibet figuræ grauis centrum grauitatis est punctum illud, à quo suspensum graue per se manet partibus quomodocumque circa constitutis.

VI. Axis prismatis, & pyramidis eius frusti dicitur recta linea, quæ in pyramide à vertice ad basis centrum figuræ vel grauitatis pertinet: in reliquis autem, quæ basium oppositarum figuræ vel grauitatis pertinet: in reliquis autem, quæ basium oppositarum figuræ vel grauitatis centra coniungit.

VII. Si qua figura solida planis parallelis ita secari possit, vt quæcumque sectiones centrum habeant, & sint inter se similes: aliqua autem recta linea; siue ad centra basium oppositarum prædictis sectionibus parallelarum, & similium, vt in cylindro: siue ad verticem, & centrum basis terminata, vt in cono, hemisphærio, & conoide, transeat per centra omnium prædictarum sectionum; ea talis figuræ axis nominetur: ipsa autem figura, solidum circa axim. Quæ si vel vnam tantùm habeat basim, vel duas inæquales, & parallelas: duarum autem quarumlibet prędictarum sectionum vertici, vel minoris basi propinquior sit minor remotiori: solidum circa axem in alteram partem deficiens nominetur: quo nomine significari etiam volumus ea solida, quorum quælibet sectiones basi parallelæ, quamuis non sint basi omnino similes, tamen iis figuris deficiunt, quæ sunt similes basi, ac totis iis, à quibus ipsæ ablatæ intelliguntur, ita vt tota figura &

ablata habeant commune centrum in vna recta linea ad centrum basis terminata, quæ & ipsa talis solidi axis nominetur.

POSTVLATA.

I. OMnis figuræ grauis vnum esse centrum grauitatis.

II. Omnium figurarum sibi mutuò congruentium centra grauitatis mutuò sibi congruere.

III. Omnis figuræ, cuius termini omnis cauitas est interior, intra terminum esse centrum grauitatis.

IV. Similium triangulorum similiter posita esse centra grauitatis. In triangulis autem similibus similiter posita puncta esse dicuntur, à quibus rectæ ad angulos æquales ductæ cum lateribus homologis angulos æquales faciunt.

V. Æqualia grauia ab æqualibus longitudinibus secundum centrum grauitatis suspensa æquiponderare.

VI. A quibus longitudinibus duo grauia æquiponderant, ab iisdem alia duo quælibet illis æqualia æquiponderare.

PROPOSITIONES.

I.

SI sint quotcumque magnitudines inæquales deinceps proportionales: excessu, quibus differunt, deinceps ab angulis proportionales erunt, in proportione totarum magnitudinum.

II.

In omni triangulo vnum dumtaxat punctum est, in quo rectæ ad latera incidentes secant sese in easdem rationes & segmenta, quæ ad angulos, sunt reliquorum dupla: & prædictæ incidentes, secant triangulilatera bifariam.

III.

In similibus triangulis rectæ lineæ, quæ inter centra, & alia in iis similiter posita puncta interiiciuntur, proportionales sunt in proportione laterum homologorum.

IV.

Datis duobus triangulis scalenis similibus, & dato puncto in altero eorum, vnum dumtaxat punctum in reliquo triangulo prædicto puncto similiter positum potest inueniri.

V.

Cuiuslibet figuræ planæ rectangulum æquale potest esse.

VI.

Omni figuræ circa diametrum in alteram partem deficienti figura quædam ex parallelogrammis æqualium altitudinum inscribi potest, & altera circumscribi, ita vt circumscripta superet inscriptam minori spatio quantacumque magnitudine proposita. Semper autem in similibus intellige, eiusdem generis.

VII.

Pyramides similibus, & æqualibus triangulis comprehensæ inter se sunt æquales.

Corollarium. Hinc facilè colligitur omnia solida, quæ in pyramides æqualibus, & similibus triangulis comprehensas multitudine æquales diuidi possunt, esse inter se æqualia. Quocirca omnia prismata, & pyramides, & octoedra, omnia denique corpora regularia æqualibus, & similibus planis comprehensa inter se æqualia erunt.

VIII.

✠ Omnis pyramidis triangulam basim habentis quatuor axes secant se in vno puncto in easdem rationes, ita vt segmenta quæ ad angulos, eorum quæ ad opposita triangula sint tripla: ex quo puncto tota pyramis diuiditur in quatuor pyramides æquales. Et in nullo alio puncto quatuor rectæ lineæ ductæ ab angulis ad triangula opposita pyramidis secant sese in easdem rationes. Vocetur autem punctum hoc centrum dictæ pyramidis.

IX.

Omnis pyramis basim habens triangulam diuiditur in quatuor pyramides æquales, & similes inter se, & toti, & vnum octaedrum totius pyramidis dimidium, ipsique concentricum.

X.

✠ Omne frustum pyramidis triangulam basim habentis, siue coni, ad pyramidem, vel conum, cuius basis est eadem, quæ maior basis frusti, & eadem altitudo, eam habet proportionem, quam duo latera homologa, vel duæ diametri basium ipsius frusti, vnà cum tertia minori proportionali ad prædicta duo latera, vel diametros: ad maioris basis latus, vel diametrum. Ad prisma autem, vel cylindrum, cuius eadem est basis, quæ maior basis frusti, & eadem altitudo: vt tres prædictæ deinceps proportionales simul, ad triplum lateris, vel diametri maioris basis.

XI.

Omni solido circa axem in alteram partem deficienti, cuius basis

sit

sit circulus, vel ellipsis, figura quædam ex cylindris, vel cylindri portionibus, æqualium altitudinum inscribi potest, & altera circumscribi, ita vt circumscripta superet inscriptam minori excessu quacumque magnitudine propositâ.

XII.

Dato parellelepipedo erecto circa datam rectam lineam tanquam axim, erectum parallelepipedum æquale constituere.

XIII.

Cuilibet figuræ solidæ parallelepipedum æquale potest esse.

XIV.

✠ Omnis parallelogrammi centrum grauitatis diametrum bifariam diuidit.

✠ *Corollarium.* Hinc manifestum est omnis parallelogrammi centrum grauitatis esse in medio rectæ, quæ oppositorum bipartitorum laterum sectiones iungit.

XV.

✠ Si quodlibet parallelogrammum in duo parallelogramma diuidatur, & eorum centra grauitatis iungantur recta linea: totius diuisi parallelogrammi centrum grauitatis prædictam lineam ita diuidit, vt eius segmenta è contrario respondeant prædictis partibus parallelogrammis.

XVI.

✠ Plana grauia æquiponderant à longitudinibus ex contraria parte respondentibus.

Coroll. Hinc manifestum est si cuiuslibet figuræ planæ vtcumque sectæ centra grauitatis partium iungantur recta linea, talem lineam à centro grauitatis totius prædicti plani ita secari, vt segmenta ex contrario respondeant prædictis partibus.

XVII.

✠ Si totum quoduis planum, & pars aliqua non habeant idem centrum grauitatis, & eorum centra iungantur recta linea: in ea producta ad partes centri grauitatis totius, erit reliquæ partis centrum grauitatis.

XVIII.

Si totum quoduis planum sit vni parti concentricum secundùm centrum grauitatis, & reliquæ erit concentricum. Et si partes inter se sint concentricæ, & toti erunt concentricæ.

XIX.

Omnis trianguli rectilinei idem est centrum grauitatis, & figuræ.

Propositio. Datis duobus triangulis isosceljs similibus, & in altero eorum dato puncto extra rectam quæ à vertice ad medium basis cadit,

duo puncta in reliquo triangulo prædicto puncto similiter posita inuenire.

XX.

Omnes trapezij habentis duo latera parallela centrum grauitatis est in illa recta, quæ prædictorum bipartitorum laterum sectiones iungit. Atque in eo puncto, in quo tertia pars eius media sic diuiditur, vt segmentum propinquius minori parallelarum ad reliquum eam proportionem habeat, quam maior parallelarum ad minorem. Talis autem rectæ lineæ sic diuisæ segmentum minorem parallelarum attingens est ad reliquum, vt dupla maioris parallelarum vnà cum minori, ad duplam minoris vnà cum maiori.

XXI.

✠ Omnis polygoni æquilateri, & æquianguli idem est centrum grauitatis, & figuræ.

XXII.

✠ Omnis figuræ circa diametrum in alteram partem deficientis, in diametro est centrum grauitatis.

Coroll. Ex huius theorematis demonstratione constat omnis figuræ planæ, siue solidæ, cuius termini omnis cauitas sit interior, atque ideo intra terminum centrum grauitatis: & cuius pars aliqua esse possit, quæ à tota figura deficiens minori defectu quacumque magnitudine proposita habeat centrum grauitatis in aliqua certa linea rectâ intra terminum figuræ constituta, esse in ea recta linea totius figuræ centrum grauitatis. Ac proinde, cùm per 11 huius, omni solido circa axim in alteram partem deficienti, & basim habenti circulum, vel ellipsim figura inscribi possit, ex cylindris, vel cylindri portionibus, à prædicto solido deficiens minori spatio quacumque magnitudine proposita: talis autem figuræ inscriptæ, quemadmodum & circumscriptæ centrum grauitatis sit in axe, vt ex sequentibus patebit, & nunc cogitanti facilè patere potest: manifestum est omnis solidi circa axim in alteram partem deficientis centrum grauitatis esse in axe.

XXIII.

Circuli, & ellipsis idem est centrum grauitatis & figuræ.

XXIV.

Si duarum pyramidum triangulas bases habentium æqualium, & similium inter se, tria latera tribus lateribus homologis fuerint in directum constituta, in vertice communi erit vtriusque simul centrum grauitatis.

XXV.

✠ Omnis parallelepipedi centrum grauitatis est in medio axis.

200 Ministerio de Cultura

XXVI.

Si parallelepipedum in duo parallelepipeda secetur, segmenta axis à centris grauitatis totius parallelepipedi, & partium terminata ex contrario parallelepipedi partibus respondent.

XXVII.

✠ Solida grauia æquiponderant à longitudinibus ex contraria parte respondentibus.

XXVIII.

✠ Quarumlibet trium magnitudinum eiusdem generis centra grauitatis cum centro magnitudinis ex iis compositæ sunt in eodem plano.

XXIX.

✠ Si à cuiuslibet trianguli centro, & tribus angulis quatuor rectæ inter se parallelæ plano trianguli insistant : tres autem magnitudines æquales habeant centra grauitatis in iis tribus, quæ ad angulos: trium magnitudinum simul centrum grauitatis erit in ea, quæ ad trianguli centrum terminatur.

XXX.

✠ Omnis octaedri idem est centrum grauitatis, & figuræ.

XXXI.

Omnis pyramidis triangulam basim habentis idem est centrum grauitatis & figuræ.

Coroll. Hinc manifestum est centrum grauitatis pyramidis triangulam basim habentis esse in eo puncto, in quo sic axis diuiditur, vt pars quæ ad verticem, sit reliquæ tripla.

XXXII.

✠ Omnis pyramidis basim plusquam trilateram habentis centrum grauitatis axim ita diuidit, vt pars, quæ est ad verticem, sit tripla reliquæ.

XXXIII.

✠ Omnis prismatis triangulam basim habentis centrum grauitatis est in medio axis.

XXXIV.

Omnis prismatis basim plusquam trilateram habentis centrum grauitatis est in medio axis.

XXXV.

✠ Omnis frusti pyramidis triangulam basim habentis centrum grauitatis est in axe, primùm ita diuiso, vt segmentum attingens minorem basim sit ad reliquum, vt duplum vnius laterum maioris basis vnà cum latere homologo minoris, ad duplum prædicti lateris minoris basis, vnà cum latere homologo maioris. Deinde à puncto sectionis

abſciſſa quarta parte ſegmenti, quod maiorem baſim attingit, & à puncto, in quo ad minorem baſim axis terminatur ſumpta item quarta parte totius axis: in eo puncto, in quo ſegmentum axis duabus poſterioribus ſectionibus finitum ſic diuiditur, vt ſegmentum eius maiori baſi propinquius ſit ad totum prædictum interiectum ſegmentum, vt tertia proportionalis minor ad duo latera homologa baſium oppoſitarum, ad compoſitam ex his tribus deinceps proportionalibus.

XXXVI.

✠ Omnis fruſti pyramidis baſim pluſquam trilateram habentis centrum grauitatis eſt punctum illud, in quo axis ſic diuiditur, vt axis fruſti pyramidis triangulam baſim habentis diuidatur ab ipſius centro grauitatis.

XXXVII.

✠ Dodecaëdri, & icoſaëdri idem eſt centrum grauitatis & figuræ.

XXXVIII.

Data qualibet figura, cuius termini omnis cauitas ſit interior, ſi certum in ea punctum talis eius partis centrum grauitatis eſſe poſſit, quæ ab ea deficiat minori ſpatio quantacumque magnitudine propoſitâ: illud erit totius figuræ centrum grauitatis.

XXXIX.

✠ Omnis coni centrum grauitatis axim ita diuidit, vt ſegmentum ad verticem ſit reliqui triplum.

XL.

✠ Omnis fruſti conici centrum grauitatis idem eſt in axe centro grauitatis fruſti pyramidis baſim habentis æquilateram, & æquiangulam inſcriptæ cono, abſciſſi eodem plano, quo coni fruſtum.

XLI.

✠ Omnis cylindri centrum grauitatis axim bifariam diuidit.

XLII.

✠ Sphæræ, & ſphæroidis idem eſt centrum grauitatis, & figuræ.

2009 Ministerio de Cultura

LIBER SECVNDVS.

PROPOSITIONES.

I.

SI duæ magnitudines vnà maiores, vel minores prima, & tertia minori exceſſu, vel defectu quantacumque magnitudine propoſita eiuſdem generis cum illa, ad quam refertur, eandem proportionem habuerint, maior vel minor prima ad ſecundam, & vnà maior vel minor tertia ad quartam: erit vt prima ad ſecundam, ita tertia ad quartam.

II.

Si maior, vel minor prima ad vnà maiorem, vel minorem ſecunda, minori vtriuſque exceſſu, vel defectu quantacumque magnitudine propoſita fuerit vt tertia ad quartam: erit vt prima ad ſecundam, ita tertia ad quartam.

III.

Si maior, vel minor prima ad vnà maiorem, vel minorem ſecunda, minori exceſſu, vel defectu quantacumque magnitudine propoſita, nominatam habuerit proportionem: prima ad ſecundam eandem nominatam habebit proportionem.

IV.

Si ſint tres magnitudines ſeſe æqualiter excedentes, minor erit proportio minimæ ad mediam quàm mediæ ad maximam.

V.

Si ſit minor proportio primæ ad ſecundam, quàm ſecundæ ad tertiam, ab ipſis autem æquales auferantur: erit minor proportio reliquæ primæ ad reliquam ſecundæ, quàm reliquæ ſecundæ ad reliquam tertiæ.

VI.

Si ſint tres magnitudines inæquales, & aliæ illis multitudine æquales, binæque in duplicata primarum proportione: ſit autem minor proportio primæ ad ſecundam, quàm ſecundæ ad tertiam in primis: erit minor portio primæ ad ſecundã, quàm ſecundæ ad tertiam in ſecundis.

VII.

Si ſint 8 magnitudines quaternæ proportionales: tertiæ autem vtriuſque ordinis inter ſe ſint vt primæ: erit vt compoſita ex pri-

mis ad compoſitam ex ſecundis, ita compoſita ex tertiis ad compoſitam ex quartis.

VIII.

Si ſint tres magnitudines ſeſe æqualiter excedentes: & aliæ eiuſdem generis illis multitudine æquales, binæque ſumptæ in duplicata primarum proportione: erit vtriuſque ordinis minor proportio compoſitæ ex primis ad compoſitam ex ſecundis, quàm compoſitæ ex ſecundis ad compoſitam ex tertiis.

IX.

Si recta linea vtcumque ſecta fuerit, cubus qui fit à tota, æqualis eſt duobus ſolidis rectangulis, quæ ex partibus, & totius quadrato fiunt.

X.

Si recta linea vtcumque ſecta fuerit, cubus qui fit à tota, æqualis eſt cubis partium, & duobus ſolidis rectangulis, quæ partium triplis, & earundem quadratis reciprocè continentur.

XI.

Si linea recta vtcumque ſecta fuerit, cubus qui fit à tota', æqualis eſt cubis partium, vnà cum ſolido rectangulo, quod totius tripla, & partibus continetur.

XII.

✠ Hemiſphærium duplum eſt coni, cylindri autem ſubſeſquialterum eandem ipſi baſim, & eandem altitudinem habentium.

XIII.

✠ Omnis minor ſphæræ portio, ad cylindrum, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, altitudo autem eadem portioni, eam habet proportionem, quam exceſſus, quo tripla ſemidiametri ſphæræ excedit tres deinceps proportionales, vt quarum maxima eſt ſphæræ ſemidiameter, media verò quę inter centra ſphærę & baſis portionis interiicitur: ad ſemidiametri ſphęrę triplam.

XIV.

✠ Omnis portio ſphęræ abſciſſa duobus planis parallelis altero per centrum acto ad cylindrum, cuius baſis eſt eadem baſi portionis, ſiue circulo maximo, & eadem altitudo, eam habet proportionem, quam exceſſus, quo maior extrema ad ſphęrę ſemidiametrum, & axim portionis excedit tertiam partem axis portionis: ad maiorem extremam ante dictam.

XV.

✠ Omnis portio ſphęrę abſciſſa duobus planis parallelis neutro per centrum, nec centrum intercipientibus ad cylindrum, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, altitudo autem eadem portioni, eam proportionem habet, quam exceſſus, quo maior extrema ad triplas ſemidiametri ſphæræ, & eius quæ inter centrum ſphæræ, & minoris baſis portionis interiicitur, ſuperat tres deinceps proportionales, qua-

2009 Ministerio de Cultura

rum maxima est quæ inter centra sphæræ, & minoris basis, media autem, quæ inter centra sphæræ, & maioris basis portionis interiicitur, ad maiorem extremam antedictam.

XVI.

✝ Omnis maior sphæræ portio ad cylindrum, cuius basis æqualis est circulo maximo, altitudo autem eadem portioni, eam habet proportionem, quam ad axim portionis habet excessus, quo segmentum axis portionis inter sphæræ centrum, & basim portionis interiectum superat tertiam partem minoris extremæ maiori posita prædicto axis segmento in proportione semidiametri sphæræ ad prædictum segmentum, vnà cum subsesquialtera reliqui axis segmenti.

XVII.

Omnis portio sphęræ abscissa duobus planis parallelis centrum intercipientibus ad cylindrum eiusdem altitudinis, cuius basis æqualis est circulo maximo, eam habet proportionem, quam ad axim portionis habet excessus, quo axis portionis superat tertiam partem compositæ ex duabus minoribus extremis, maioribus positis duobus axis segmentis, quæ fiunt à centro sphęræ in rationibus semidiametri sphęræ ad prædicta segmentà.

XVIII.

Omne conoides parabolicum dimidium est cylindri, coni autem sesquialterum eandem ipsi basim, & eandem altitudinem habentium.

XIX.

Omnis prismatis triangulam basim habentis centrum grauitatis rectam lineam, quæ cuiuslibet trium laterum bipartiti sectionem, & oppositi parallelogrammi centrum iungit, ita diuidit, vt pars, quæ attingit latus, sit dupla reliquæ.

XX.

Omnis prismatis basim habentis trapezium, cuius duo latera inter se sint parallela, centrum grauitatis rectam lineam, quæ æquè inter se distantium parallelogrammorum centra iungit, ita diuidit, vt pars, quæ dictorum parallelogrammorum minus attingit, sit ad reliquam, vt duorum basis laterum parallelorum dupla maioris, vnà cum minori ad duplam minoris vnà cum maiori.

XXI.

Si à quolibet prædicto prismate duo prismata bases habentia triangulas sint ita abscissa, vt parallelepipedum relinquant basim habens minus parallelogrammorum inter se parallelorum prædicti prismatis, maioris autem partes æqualia parallelogramma ipsum parallelepipedum relinquat, centrum grauitatis vtriusque abscissi prismatis tanquam

vnius magnitudinis rectam lineam, quæ prædicti prismatis parallelorum parallelogrammorum centra iungit, ita diuidit, vt pars quæ minus parallelogrammum attingit sit dupla reliquæ.

XXII.

✠ Si sint duæ pyramides æquales, & æquè altæ, bases habentes in eodem plano, quarum vertices recta linea connectens cum ea, quæ basium centra grauitatis iungit, sit in eodem plano: earum centrum grauitatis tanquam vnius magnitudinis rectam lineam, quæ inter vertices, & centra basium interiectas bifariam secat, ita diuidit, vt pars superior sit inferioris tripla.

XXIII.

✠ Omnis frusti pyramidis basim habentis parallelogrammum centrum grauitatis maiori basi est propinquius, quàm punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars minorem basim attingens, sit ad reliquam, vt dupla cuiusuis laterum maioris basis vnà cum latere minoris sibi respondente, ad duplam dicti lateris minoris basis vnà cum maioris sibi respondente.

XXIV.

Omnis frusti conici centrum grauitatis propinquius est maiori basi, quàm punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars minorem basim attingens sit ad reliquam, vt dupla diametri maioris basis vnà cum minoris diametro ad duplam diametri minoris basis, vnà cum diametro maioris.

XXV.

Si sint quotcumque magnitudines, & aliæ illis multitudine æquales, binæque sumptæ in eadem proportione, quæ commune habeant centrum grauitatis, centra autem grauitatis omnium sint in eadem recta linea: primę & secundę tanquam duę magnitudines commune habebunt centrum grauitatis.

XXVI.

✠ Si sint quotcumque magnitudines, & alię ipsis multitudine æquales primarum, ex quibus centra grauitatis in eadem recta linea disposita sint alternatim ad centra grauitatis secundarum, quarum magnitudinum binæ eodem ordine, qui sumitur ab eodem prædictæ lineæ termino vna in primis, & altera in secundis inter se sint æquales: omnium primarum simul, ex quibus primæ centrum grauitatis propinquius est prædicto lineę termino, quàm primæ secundarum, propinquius erit prędicto lineæ termino, quàm omnium secundarum simul centrum gtauitatis.

XXVII.

2009 Ministerio de Cultura

XXVII.

Si sint quotcumque magnitudines, & aliæ illis multitudine æquales, quæ binæ commune habeant in eadem recta centrum grauitatis: sumpto autem ordine ab vno eius lineæ termino, maior sit proportio primæ ad secundam in primis, quàm primæ ad secundam in secundis: & secundæ ad tertiam in primis maior quàm secundæ ad tertiam in secundis, & sic deinceps vsque ad vltimas: erit omnium primarum simul centrum grauitatis propinquius prædicto lineæ termnio, à quo sumitur ordo, quàm omnium secundarum.

XXVIII.

Si sint quotcumque magnitudines, & aliæ ipsis multitudine æquales, quarum omnium centra grauitatis sint in eadem recta linea, & centra primarum ad centra secundarum disposita sint alternatim: sit autem maior proportio primæ ad secundam in primis, quàm primæ ad secundam in secundis: & secundæ ad tertiam in primis, maior quàm secundę ad tertiam in secundis, & sic deinceps vsque ad vltimas: erit omnium primarum simul centrum grauitatis propinquius prędictæ lineæ termino, à quo sumitur ordo omnium secundarum centrum grauitatis.

XXIX.

Datæ figuræ circa diametrum, vel axim in alteram partem deficienti, super basim rectam lineam vel circulum, vel ellipsim: cuius figuræ basis, & sectiones omnes parallelæ segmenta æqualia diametri vel axis intercipientes ita se habeant, vt quarumlibet trium proximarum minor proportio sit minimæ ad mediam, quàm mediæ ad maximam: figura quædam ex cylindris, vel cylindri portionibus, vel parallelogrammis æqualium altitudinum circumscribi potest, cuius centrum grauitatis sit propinquius basi quàm cuiuslibet datæ figuræ, qualem diximus, quæ prædictæ figuræ circa diametrum, vel axim circumscripta sit.

XXX.

Omnis prædictæ figuræ centrum grauitatis est propinquius basi, quàm cuiuslibet figuræ ex cylindris, vel cylindri portionibus, vel parallelogrammis æqualium altitudinum ipsi circumscriptæ.

XXXI.

Omni prædictæ figuræ figura quædam ex cylindris, vel cylindri portionibus, vel parallelogrammis æqualium altitudinum circumscribi potest, cuius centri grauitatis distantia à prædictæ figuræ centro grauitatis sit minor quantacumque longitudine proposita.

XXXII.

Si duarum prædictarum figurarum circa communem axim, vel dia-

metrum, vel alterius diametrum alterius axim, baſes & quotcumque ſectiones quales diximus, binæ in eodem plano fuerint proportionales: idem punctum in diametro, vel axe erit vtriuſque centrum grauitatis.

Corollarium. Manifeſtum eſt autem omnia proximis quatuor propoſitionibus oſtenſa de figura circa axim, vel diametrum in alteram partem deficienti, eadem iiſdem rationibus oſtenſa remanere de compoſito ex duabus figuris circa communem axim vel diametrum in alteram partem deficientibus, tam per ſe conſiderato, quàm ad alteram figuram circa eundem axim, vel diametrum cum prædicto compoſito, in alteram partem deficiens, ac ſi eſſent duæ tantummodo dictæ figuræ, quales in præcedenti proxima inter ſe comparauimus: manente ſemper illa conditione, quam de ſectionibus in 20 huius diximus. Tantùm aduertendum eſt, vt pro ſectionibus, dicamus compoſita ex binis ſectionibus (quæ ſcilicet fiunt ab eodem plano, vel eadem recta linea) cum de prædicto compoſito ſit ſermo: & in demonſtratione pro cylindris, vel cylindri portionibus, vel parallelogrammis, compoſita ex binis cylindris, vel cylindri portionibus, vel parallelogrammis (quæ ſcilicet ſunt inter eadem plana parallela, vel lineas parallelas, & circa eundem axim, vel diametrum totius vel diametri, vel axis partem) ſicut & pro figura compoſitum ex duabus dictis figuris: pro reſiduo, compoſitum ex reſiduis. Nam cùm vtriuſque reſidui figurarum duobus prædictis figuris vnum quid componentibus, & circa eundem axim, vel diametrum exiſtentibus, qua ratione diximus circumſcriptarum, centra grauitatis ſint in diametro, vel axe: etiam compoſiti ex iis duobus reſiduis (vt in priori libro generaliter demonſtrauimus) centrum grauitatis erit in eadem diametro vel axe: vnde vim habent quatuor proximæ antecedentes demonſtrationes, exemplum erit in demonſtratione trigeſimæ quartæ huius.

XXXIII.

✠ Hemiſphærij centrum grauitatis eſt punctum illud, in quo axis ſic diuiditur, vt pars, quæ ad verticem, ſit ad reliquam vt 5 ad 3.

XXXIV.

✠ Omnis minoris portionis ſphæræ centrum grauitatis eſt in axe primùm bifariam ſecto: deinde ſecundum centrum grauitatis frusti circa eundem axim, abſciſſi à cono verticem habente centrum ſphæræ, in eo puncto, in quo dimidius axis portionis baſim attingens ſic diuiditur, vt pars duabus prædictis ſectionibus intercepta ſit ad eam, quæ inter ſecundam & tertiam ſectionem interiicitur, vt exceſſus, quo tripla ſemidiametri ſphæræ, cuius eſt prædicta portio, ſuperat tres de-

inceps proportionales, quarum maxima est sphæræ semidiameter, media autem, quæ inter centra sphæræ, & basis portionis interiicitur, ad semidiametri sphæræ triplam.

XXXV.

Omnis portionis sphæræ abscissę duobus planis parallelis, altero per centrum acto, centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto: deinde sumpta ad minorem basim quarta parte axis portionis: & eo puncto, in quo dimidius axis minorem basim attingens sic diuiditur, vt pars duabus prædictis sectionibus intercepta sit ad eam, quæ inter secundam, & vltimam sectionem interiicitur, excessus, quo maior extrema ad sphæræ semidiametrum, & axim portionis superat tertiam partem axis portionis: ad maiorem extremam antedictam.

XXXVI.

✠ Omnis portionis sphæræ abscissæ duobus planis parallelis neutro per centrum acto, nec centrum intercipientibus, centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto: deinde secundum centrum grauitatis frusti circa eundem axim abscissi à cono verticem habente centrum sphæræ: in eo puncto in quo dimidius axis maiorem basim attingens sic diuiditur, vt pars duabus prædictis sectionibus finita sit ad eam, quæ inter secundam & vltimam sectionem interiicitur, vt excessus, quo maior extrema ad triplas, & semidiametri sphæræ, & eius quæ inter centra sphæræ, & minorem basim portionis interiicitur, superat tres deinceps proportionales, quarum maxima est quæ inter centra sphæræ, & maioris basis, media autem, quæ inter centra sphæræ, & maioris basis portionis interiicitur, ad maiorem extremam antedictam. *Videatur lemma.*

XXXVII.

Si datæ maiori sphæræ portioni cylindrus circumscribatur circa eundem axim portionis, centrum grauitatis reliquæ figuræ, ex cylindro circumscripto ablata portione, propinquius erit vertici portionis, quàm centrum grauitatis portionis.

Coroll. Manifestum est autem ex demonstratione theorematis, omnis residui ex cylindro datæ maiori sphæræ portionis circumscripto circa eundem axim portionis, cuius basis sit æqualis circulo maximo, centrum grauitatis esse in axe, abscisså primùm quarta parte ad verticem portionis terminata segmenti axis portionis, quod centro sphæræ, & vertice portionis, & quarta parte eius, quod centro sphæræ, & basi portionis terminatur: ad basim terminata in eo puncto, in quo segmentum axis portionis duabus prædictis sectionibus finitum sic diuiditur, vt segmentum propinquius basi sit ad reliquum, vt cubus

segmenti axis portionis centro sphæræ, & vertice portionis terminati ad cubum reliqui quod basim portionis tangit, si quidem cubi triplicatam inter se habent laterum proportionem: simul illud manifestum est, hoc idem eadem ratione posse demonstrari de centro grauitatis reliqui ex cylindro dempta sphæræ portione abscissa duobus planis parallelis centrum sphæræ intercipientibus, ita vt axis portionis à centro sphæræ in partes inæquales diuidatur, cuius cylindri circumscripti sit idem axis, qui & portionis, basis autem æqualis circulo maximo. Similiter enim descriptis duobus conis rectangulis verticem habentibus communem centrum sphæræ, bases autem minores basibus oppositis cylindri circumscripti: æqualibus circulo maximo, sumentes pro vertice minorem basim, pro basi, maiorem basim portionis, immotis reliquis propositum demonstramus.

XXXVIII.

✠ Omnis maioris portionis sphæræ centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto: Deinde sumpta ad verticem quarta parte segmenti axis, quod centro sphæræ, & portionis vertice finitur: itemque ad basim quarta parte reliqui segmenti inter centrum sphæræ, & basim portionis interiecti. Deinde segmento axis, inter eas quartas partes interiecto, ita diuiso, vt pars propinquior basi sit ad reliquam vt cubus segmenti axis, quod centro sphæræ, & vertice portionis, ad cubum eius quod centris sphæræ, & basis portionis terminatur in eo puncto, in quo segmentum axis centro sphæræ, & sectione penultima finitum sic diuiditur, vt pars prima, & penultima sectione terminata sit ad totam vltimâ & penultimâ sectione terminatam, vt excessus, quo segmentum axis portionis inter centrum, & basim portionis interiectum superat tertiam partem minoris extremæ maiori posita dicto axis segmento in proportione semidiametri sphæræ ad prædictum segmentum, vnà cum subsesquialtera reliqui segmenti, ad axim portionis.

XXXIX.

✠ Omnis portionis sphæræ abscissæ duobus planis parallelis centrum intercipientibus, & à centro æqualiter distantibus, centrum grauitatis est in medio axis, vel idem, quod centrum sphæræ.

XL.

Omnis portionis sphæræ abscissæ duobus planis parallelis centrum intercipientibus, & à centro non æqualiter distantibus centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto: Deinde sumpta ad minorem basim portionis quarta parte segmenti axis, quod minorem basim attingit: & ad maiorem basim quarta parte reliqui segmenti axis eorum, quæ à centro sphæræ fiunt: Deinde recta inter has quartas partes inter-

2009 Ministerio de Cultura

iecta ita diuisa, vt pars maiori basi propinquior sit ad reliquam vt cubus segmenti axis inter sphæræ centrum minorem basim, & ad cubum eius, quo inter sphæræ centrum, & maiorem basim portionis interijcitur: in eo puncto in quo segmentum axis centro sphæræ, & penultimâ sectione terminatam, vt ad axim portionis est excessus, quo idem axis portionibus superat tertiam partem compositæ ex duabus minoribus extremis, maioribus positis duobus axis segmentis, quæ fiunt à centro sphæræ in rationibus semidiametri sphæræ ad prædicta segmenta.

XLII.

✠ Omnis conoidis parabolici centrum grauitatis est punctum illud in quo axis sic diuiditur vt pars quæ est ad verticem sit dupla reliquæ.

XLIII.

Omnis frusti conoidis parabolici centrum grauitatis axim ita diuidit, vt pars, quæ minorem basim attingit, sit ad reliquam, vt duplum maioris basis vnà cum minori, ad duplum minoris, vnà cum maiori.

XLIIII.

✠ Omnis conoidis hyperbolici centrum grauitatis est punctum illud, in quo duodecima pars axis ordine quarta ab ea, quæ basim attingit, sic diuiditur, vt pars basi propinquior sit ad reliquam, vt sesquialtera transuersi lateris hyperboles, quæ conoides describit, ad axim conoidis.

Corollarium. Eadem demonstratione constat, si prædicta tria solida ita vt diximus disposita secentur plano basibus parallelo: frustum conoidis hyperbolici, & compositum ex frustis coni, & conoidis parabolici, commune habere in communi axe centrum grauitatis.

XLIV.

Si conus & conoides parabolicum circa eundem axim secentur plano basi parallelo: frusti conici abscissi maiori basi propinquius erit quàm parabolici centrum grauitatis.

XLV.

✠ Omnis frusti conoidis hyperbolici centrum grauitatis est in axe primùm secto secundum centrum grauitatis cuiusuis frusti conici, circa axem conoidis communi vertice abcissi vnà cum frusto conoidis: deinde vt pars minorem basim attingens sit ad reliquam, vt dupla axis conoidis vnà cum axe conoidis: deinde positis 4. rectis lineis binis proportionalibus, potentia primis, secundis longitudine, in proportione, quæ est inter axem conoidis, & reliquam dempto axe frusti: ita vt maior primarum sit media proportionalis inter axem conoidis, & transuersum latus hyperboles, quæ figuram describit, minoris autem potentia sesquialtera minor secundarum: in eo puncto, in quo segmentum axis frusti dictis duabus sectionibus termina tum sic diuiditur, vt pars

minori basi propinquior sit ad reliquam vt cubus, qui fit ab axe frusti vnà cum solido rectangulo quod axe conoidis, & reliqua dempto axe frusti, & tripla axis conoidis continetur, ad solidum rectangulum ex eadem reliqua parte conoidis, & eo, quo plus potest quadrato maior quàm minor dictarum secundarum.

Coroll. Ex omnibus demonstrationibus eorum, quæ in hoc 2 libro proposuimus, manifestum est omnium supradictorum corporum centra grauitatis inuenire: quæcumque enim in modum theorematis proposuimus, eadem tanquam problemata proponi, & iisdem demonstrationibus absolui possunt.

LIBRI TERTII
PROPOSITIONES.

I.

SI recta linea secta fuerit bifariam, & non bifariam: rectangulum partibus inæqualibus contentum æquale est rectangulo, quod bis fit ex dimidiæ sectæ segmentis, vnà cum quadrato non intermedij eorumdem segmentorum.

II.

Si circulum vel ellipsim duæ rectæ lineæ tangentes in terminis coniugatarum diametrorum, conueniant: & punctum in quo conueniunt, & centrum figuræ iungantur recta linea: quæcumque hanc vnà cum prædictæ figuræ termino alterutri diametrorum parallela secuerit recta linea, ita ipsa secabitur, vt rectangulum bis contentum segmentis, quorum alterum inter diametrum, & terminum figuræ, alterum inter figuræ terminum & contingentem interiicitur, vnà cum huius quadrato sit æquale quadrato reliqui segmenti inter diametrum, & eam quæ tangentium concursum, & centrum figuræ iungit interiecta.

III.

✠ Per data duo puncta in duabus rectis lineis datum angulum continentibus, in earum plano parabola transibit, cuius vertex sit assignatum prædictorum punctorum, in qua altera linea parabolam contingat, altera in altero secet, diametro æquidistans.

IV.

✠ Si recta linea parabolam contingat, omnes rectæ lineæ ex sectione ad contingentem applicatæ diametro sectionis parallelæ inter se sunt

2010 Ministerio de Cultura

longitudine, vt inter applicatas & contactum, vel verticem interiectæ inter se potentia: Productis autem dictis applicatis, erunt inter sectionem & basim interiectæ inter se longitudine, vt in circulo, vel ellipsi ad diametrum ordinatim applicatæ, secantesque illam in easdem rationes, in quas aliæ prædictæ applicatæ secant basim parabolæ, inter se potentia.

V.

Omnis figuræ circa axim in alteram partem deficientis, cuius superficies excepta base sit tota interius concaua basim habentis circulum, vel ellipsim: quælibet tres sectiones basi parallelæ æqualia axis segmenta intercipientes, ita se habent, vt minor sit proportio minimæ ad mediam, quàm mediæ ad maximam.

VI.

Si sphæroides secetur plano vtcumque præterquàm ad axem, circa quem sphæroides describitur erecto, nam tunc circulus fit, sectio ellipsis erit: similis autem ipsi alia quæcumque sectio sphæroidis eidem parallela: earumque omnes diametri quæ eiusdem sunt rationis erunt in eodem plano per axem. *Vide Archimedem l. de sphæroid. & conoid.*

VII.

Si conoides parabolicum, vel hyperbolicum secetur plano vtcumque ad axim inclinato, sectio ellipsis erit: similis autem ipsi alia quęcumque sectio conoidis eidem parallela: eruntque earum omnes diametri, quæ eiusdem sunt rationis in eodem plano per axem.

VIII.

Super datam ellipsim, circa datam rectam lineam ab eius centro eleuatam tanquam axem, coni, & cylindri portionem inuenire. Datoque sphæroidi, & conoidi, vel conoidis, sphæroidisque portioni circa datum axem sphæroidis, vel cuiuslibet dictarum portionum, cylindrus, vel cylindri portio circumscripta esse potest: vel comprehendere inter eadem plana parallela, ita vt eius basis sit similis basi, vel basibus comprehensæ portionis, uel frusti, si de conoidibus sit sermo: & diametri, quæ eiusdem sunt rationis sectæ à centro bifariam sint in eadem recta linea.

IX.

Omnis frusti pyramidis triangulam basim habentis ad prisma, cuius basis est maior basis frusti, & eadem altitudo, eam habet proportionem, quàm rectangulum contentum duobus lateribus homologis basium oppositarũ, vnà cum tertia parte quadrati differentiæ dictorum laterum, ad maioris lateris quadratum. Ad pyramidem autem, cuius basis est maior basis frusti, & eadem altitudo, vt prædictum rectangulum, vnà

cum prædicti quadrati tertia parte, ad tertiam partem quadrati maioris lateris.

Coroll. Hinc manifestum est eadem demonstratione, qua vtimur ad prop. 36. lib. 1. frustum cuiuslibet pyramidis basim habentis pluribus, quàm tribus lateribus contentam, ad prisma, seu pyramidem, cuius basis est eadem quæ maior basis frusti, & eadem altitudo: & reliquum ipsius prismatis dempto frusto, ad ipsum prisma, eas habere rationes, quæ à basium frusti oppositarum homologis lateribus, eorumque differentia deriuantur eo modo, quo in præcedenti theoremate dicebamus.

X.

✠ Omne frustum coni, vel portionis conicæ, ad cylindrum, vel cylindri portionem, cuius basis est eadem, quæ maior basis frusti, & eadem altitudo, eam habet proportionem, quam rectangulum contentum basium diametris eiusdem rationis, vnà cum tertia parte quadrati differentiæ earumdem diametrorum ad maioris basis quadratum. Ad conum autem, vel coni portionem, cuius basis est eadem, quæ maior basis frusti, & eadem altitudo: vt prædictum rectangulum, vnà cum prædicti quadrati tertia parte, ad tertiam partem quadrati ex diametro maioris basis. Prædicti autem cylindri, vel portionis cylindricæ residuum dempto frusto, ad totum cylindrum, vel cylindri portionem: vt rectangulum contentum diametro minoris basis frusti, & differentia diametri maioris, vnà cum duabus tertiis quadrati differentiæ ad quadratum diametri maioris basis.

XI.

Si sphæra, vel sphæroides secetur duobus planis parallelis vtcunque, neutro per centrum ducto; quædam autem ex centro recta linea transeat per centrum alterutrius sectionum: per centrum reliquæ transibit.

Corollar. Hinc manifestum est, si sphæra, vel sphæroides secetur plano non per centrum: & recta linea sphæræ, vel sphæroidis, & factæ sectionis centra iungens ad superficiem vtrinque producatur: talis axis segmenta esse axes portionum, earumque vertices extrema dicti axis.

XII.

Si hemisphærium, vel hemisphæroides vtcunque abscissum: & cylindrus, vel cylindri portio illi circumscripta: & conus, vel coni portio, cuius basis est eadem solido circumscripto, hemisphærium, vel hemisphæroides ad verticem contingens, & communis axis: secentur vno plano, basi hemisphærii, vel hemisphæroidis parallelo: super sectiones autem prædicti coni, vel portionis conicæ, & hemisphærij, vel hemisphæroidis, circa huius abscissæ portionis axem duo cylin-

dri,

2010 Ministerio de Cultura

dri, vel portiones cylindricæ conſtiterint, reliquum cylindri, vel portionis cylindricæ prædicto plano abciſſæ, dempto eo cylindro duorum prædictorum, vel portione cylindrica, cuius baſis eſt ſectio hemiſphærij, vel hemiſpheroidis, æquale erit reliquo cylindro, vel portioni cylindricæ, cuius baſis eſt ſectio prædicti coni, vel portionis conicæ.

XIII.

✠ Cylindri, vel portionis cylindridricæ hemiſpherio, vel hemiſphæroidi circumſcriptæ reliquum dempto hemiſphærio, vel hemiſphæroide, æquale eſt cono, vel portioni conicæ eandem baſim hemiſphærio, vel hemiſphæroidi, & eandem altitudinem habenti.

XIV.

Si hemiſphærium, vel hemiſphæroides, & cylindrus, vel portio cylindrica ipſi circumſcripta, & conus, vel coni portio, cuius idem eſt axis portioni, baſis autem quæ opponitur communi baſi duorum prædictorum ſolidorum, vnà ſecentur duobus planis baſi parallelis: portiones reliquæ figuræ ex cylindro, vel cylindri portione hemiſphærio, vel hemiſphæroidi circumſcripta dempto hemiſphærio, vel hemiſphæroide, quæ à duobus prædictis planis ſecantibus fiunt, æquales ſunt ſingulæ ſingulis prædicti coni vel conicæ portionis partibus ſiue fruſtis inter eadem plana parallela reſpondentibus.

XV.

✠ Hemiſphærium, vel hemiſphæroides ſubſeſquialterum eſt cylindri, vel portionis cylindricæ ipſi circumſcriptæ.

XVI.

✠ Omnis minor portio ſphæræ, vel ſphæroidis ad cylindrum, vel cylindri portionem, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, vel æqualis & ſimilis ellipſi per centrum baſi portionis parallelæ, & eadẽ altitudo portioni eam habet proportionem, quam rectangulum contentum ſphæræ, vel ſphæroidis dimidij axis axi portionis congruentis ijs, quæ à centro baſis portionis fiunt ſegmentis, vnà cum duobus tertijs quadrati axis portionis: ad ſphæræ vel ſphæroidis dimidij axis quadratum.

XVII.

Omnis portio ſphæræ, vel ſphæroidis abſciſſa duobus planis parallelis, altero per centrum ducto ad cylindrum, vel cylindri portionem, cuius baſis eſt eadem, quæ maior baſis portionis, & eadem altitudo: eam habet proportionem, quam rectangulum contentum ijs, quæ à centro minoris baſis fiunt axis ſphæræ, vel ſphæroidis ſegmentis vnà cum duabus tertijs quadrati axis portionis: ad ſphęræ, vel ſphęroidis dimidij quadratum.

XVIII.

Omnis portio ſphęræ, vel ſphęroidis abſciſſa duobus planis parallelis, neutro per centrum ducto, nec centrum intercipientibus, ad cylindrum, vel cylindri portionem, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, vel ellipſi per centrum baſibus portionis parallelæ ſimilis, & æqualis, eam habet proportionem, quam duo rectangula: & quod ſphæræ vel ſphæroidis axis axi portionis congruentis ijs, quæ à centro minoris baſis portionis fiunt ſegmentis, & quod ea, quæ maioris baſis portionis, & ſphæræ, vel ſphæroidis centra iungit, & axe portionis continetur, vnà cum duabus tertijs quadrati axi portionis: ad ſphæræ, vel ſphæroidis dimidii axis quadratum.

XIX.

Omnis maior portio ſphæræ, vel ſphæroidis, ad cylindrum, vel portionem cylindricam, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, vel æqualis, & ſimilis ellipſi per centrum portionis parallelæ, altitudo autem eadem portioni, eam habet portionem, quam ſolidum rectangulum contentum axe portionis, & reliquo axis ſphæræ, vel ſphæroidis ſegmento, & eo, quod baſis portionis, & ſphæræ, vel ſphæroidis centra iungit, vnà cum binis tertiis partibus duorum cuborum: & eius qui à ſphæræ, vel ſphæroidis axis dimidio, & eius qui ab eo, quod ſphæræ, vel ſphæroidis, & baſis portionis centra iungit fit ſegmento: ad ſolidum rectangulum, quod axe portionis, & duobus ſphæræ, vel ſpæroidis axis fit dimidiis.

XX.

✠ Omnis portio ſphęræ, vel ſphęroidis abſciſſa duobus planis parallelis centrum intercipientibus, ad cylindrum vel cylindri portionem, cuius baſis æqualis eſt circulo maximo, vel ſimilis, & æqualis ellipſi per centrum baſibus portionis parallellę, & eadem altitudo portioni, eam habet proportionem, quam duo ſolida rectangula externorum ſphæræ, vel ſphæroidis axis ſegmentorum eundem terminum habentium alterutrius baſium portionis centrum, binis ſphæræ, vel ſphæroidis axem complentibus, & ſingulis axis portionis itidem à centro ſphæræ vel ſphæroidis factis, vnà cum binis tertiis partibus duorum cuborum ex ſegmentis axis portionis à centro ſphæræ, vel ſphæroidis factis: ad ſolidum rectangulum, quod duobus ſphæræ, vel ſphæroidis axis dimidijs & axe portionis continetur.

XXI.

Omnis trianguli comprehenſi ſectione parabola, & duabus rectis lineis, quarum altera ſectionem tangat, altera in eam incidat diametro ſectionis ex contactu æquidiſtans, centrum grauitatis eſt punctum

illud, in quo recta linea ex contactu diuidens incidentem ita vt pars, quæ sectionem attingit, sit sesquialtera reliquæ, sic diuiditur, vt pars quæ est ad contactum sit tripla reliquæ.

XXII.

Si duo triangula mixta prædicti generis verticem communem habeant, qui est contactus, & bases æquales in eadem recta linea, vel continuas, vel segmento interiecto, tota extra figuram versa cauitate: centrum grauitatis compositi ex vtroque est punctum illud, in quo recta linea à vertice ad bipartitæ rectæ prædictis sectionibus interceptæ, in qua sunt bases dictorum triangulorum sectionis punctum pertinens sic diuiditur, vt pars, quæ est ad verticem sit tripla reliquæ.

XXIII.

Si duæ parabolæ in eodem plano circa æquales diametros in directum inter se constitutas, ita vt vertices sint extrema ex diametris compositæ, communem habuerint aliquam ordinatim ad diametrum applicatarum, & vertices cum puncto conuenientiæ iungantur rectis lineis: centrum grauitatis vtriusque portionis iis rectis lineis abscissæ, rectam lineam quæ terminum communem diametrorum, & concursum parabolarum iungit, bifariam diuidit.

XXIV.

Omnis figuræ circa axim in alteram partem deficientis, cuius basis est circulus, vel ellipsis, siue bases sint circuli, vel ellipses, relicta autem superficies tota interius concaua, centrum grauitatis est in dimidio axis segmento, quod basim, vel maiorem basim attingit.

XXV.

Omnis frusti, coni, vel portionis conicæ centrum grauitatis est punctum illud, in quo eius axis sic diuiditur, vt pars quæ minorem basim attingit assumens quartam partem axis ablati coni, vel portionis conicæ, sit ad eam, quæ inter postremam sectionem & quartæ partis abscissæ ad basim totius coni terminum interijcitur, vt cubus qui fit ab axe totius, ad cubum qui fit ab axe ablati coni.

XXVI.

✠ Residui solidi ex cylindro, vel portione cylindrica hemisphærio, vel hemisphæroide circumscripta, centrum grauitatis est punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars basim attingens hemisphærij, vel hemisphæroidis sit tripla reliquæ.

XXVII.

Si hemisphærium, vel hemisphæroides vnà cum cylindro, vel cylin-

cylindri portione ipſi circumſcripta ſecetur plano baſi parallelo: reliqui ex cylindro, vel portione cylindrica abſciſſa ad partes verticis, dempta illa quæ abſciſſa eſt ſimul minori, & ſphæræ, vel ſphæroidis portione, centrum grauitatis eſt punctum illud in quo eius axis ſic diuiditur, vt quæ inter hanc poſttemam ſectionem, & centrum baſis vnà abſciſſæ portionis interiicitur, aſſumens quartam partem ſegmenti, quod dictæ baſis, & ſphæræ, vel ſphæroidis centra iungit, ſit ad ſui ſegmentum, quod inter poſtremam ſectionem, & quartæ partis axis hemiſphærij, vel hemiſphæroidis ad verticem abſciſſæ terminum interiicitur, vt cubus axis hemiſphærij, vel hemiſphæroidis ad cubum eius, quæ baſis portionis & hemiſphærij, vel hemiſphæroidis centra iungit. Reliqui autem ex cylindro, vel portione cylindrica vnà abſciſſa cum reliquo hemiſphærij, vel hemiſphæroidis portione, quæ eſt ad baſim, dempta hac portione centrum grauitatis eſt punctum illud, quod quartam partem abſcindit axis portionis ad eius minorem baſim terminatam.

XXVIII.

Iiſdem poſitis ſolitis, vt in antecedenti, ſectiſque per duo quælibet puncta axis duplici plano baſi parallelo, reliqui ex cylindro, vel portione cylindrica dictis duobus planis intercepta, dempta ſphæræ, vel ſphæroidis portione ipſi inter eadem plana reſpondente, centrum grauitatis eſt punctum illud, in quo eius axis ſic diuiditur, vt quæ inter hanc poſtremam ſectionem, & centrum maioris baſis vnà abſciſſæ portionis interijcitur, aſſumens quartam partem ſegmenti, quod prædictæ baſis, & ſphæræ, vel ſphęroidis centra iungit, ſit ad ſui ſegmentum, quod inter poſtremam ſectionem, & quartę partis eius, quę ſphæræ vel hemiſphærij, & minoris baſis portionis centra iungit ad minorem baſim abſciſſæ terminum interijcitur, vt cubus eius, quę minoris baſis, & ſphærę, vel ſphęroidis, ad cubum eius, quę ſphæræ, vel ſphæroidis, & maioris baſis portionis centra iungit.

XXIX.

Si ſphæra, vel ſphæroides vnà cum cylindro, vel portione cylindrica ipſi circumſcripta ſecetur plano, haud per centrum, baſibus ſolidi circumſcripti parallelo: reliqui ex cylindro, vel portione cylindrica ad maioris portionis ſphæræ, vel ſphæroidis partes abſciſſa, dempta ſphæræ vel ſphæroidis maiori portione, centrum grauitatis eſt punctum illud, in quo dicti reliqui ſolidi axis ſegmentum inter duas quartas partes extremas ſegmentorum eiuſdem axis, quæ à centro ſphæræ, vel ſphæroidis fiunt interiectum, ſic diuiditur, vt pars propinquior baſi ſit ad reliquam, vt prædictorum, quæ à centro fiunt axis ſegmentorum

maioris cubus ad cubum minoris.

XXX.

Si sphæra vel sphæroides vnà cum cylindro, vel portione cylindrica ipsi circumscripta, secetur duobus planis basi solidi circumscripti parallelis, centrum intercipientibus, & ab eo non æqualiter distantibus: reliqui ex cylindro, vel portione cylindrica dictis planis intercepta, dempta portione sphæræ, vel sphæroidis ipsi respondente, centrum grauitatis est punctum illud, in quo prædicti reliqui solidi axis segmentum inter quartas partes extremas eiusdem axis segmentorum quæ à centro sphæræ, vel sphæroidis fiunt interiectum sic diuiditur, vt pars maiori basi propinquior sit ad reliquam, vt prædictorum axis segmentorum cubus maioris ad cubum minoris.

XXXI.

✠ Hemisphærij, vel hemisphæroidis centrum grauitatis, est punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars ad verticem sit ad reliquam, vt 5 ad 3.

XXXII.

Omnis minoris portionis sphæræ, vel sphæroidis centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto; Deinde secundum centrum grauitatis reliqui solidi, dempta portione ex cylindro, vel portione cylindrica abscisso, vel abscissa vnà cum portione ex cylindro, vel portione cylindrica, sphæræ, vel sphęroidis circa axim axi portionis congruentem circumscripta: in eo puncto, in quo dimidius axis portionis basim attingens sic diuiditur, vt pars prima, & secunda sectione terminata, sit ad totam secunda, & postrema sectione terminatam, vt rectangulum contentum axe portionis, & reliquo sphæræ, vel sphęroidis dimidij axis axi portionis congruentis quadratum.

XXXIII.

Omnis portionis sphæræ, vel sphęroidis abscissæ duobus planis parallelis, altero per centrum acto, centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto: deinde sumpta eius quarta parte ad minorem basim: in eo puncto, in quo dimidius axis ad maiorem basim attingens sic diuiditur, vt pars axis prima, & secunda sectione terminata, sit ad eam, quæ prima, & postrema sectione terminatur, vt rectangulum contentum sphæræ, vel sphæroidis axis axi portionis congruentis ijs segmentis, quæ fiunt à centro minoris basis portionis, vnà cum duabus tertijs quadrati axis portionis: ad sphæræ, vel sphæroidis dimidij axis quadratum.

XXXIV.

Omnis portionis sphæræ, vel sphæroidis abscissæ duobus planis pa-

rallelis, neutro per centrum acto, nec centrum intercipientibus, centrum grauitatis est in axe primùm bifariam secto : deinde secundùm centrum grauitatis reliqui dempta portione ex cylindro, vel portione cylindrica, abscisso, vel abscissa vnà cum portione à cylindro, vel cylindriea portione sphæræ, vel sphæroidi circa eius axem axi portionis congruentem circumscripta: in eo puncto, in quo dimidius axis portionis maiorem basim attingens, sic diuiditur, vt pars prima & secunda sectione terminata sit ad eam, quæ prima & postrema sectione terminatur, vt duo rectangula, alterum contentum duobus sphæræ, vel sphæroidis axis axi portionis congruentis ijs segmentis, quæ fiunt à centro minoris basis portionis : alterum axe portionis, & segmento, quod sphæræ, vel sphæroidis, & maioris basis portionis centra iungit, vnà cum duabus tertijs quadrati axis portionis, ad sphæræ vel sphæroidis dimidij axis quadratum.

XXXV.

Omnis maioris portionis sphæræ, vel sphæroidis centrum grauitatis est in axe, & primùm bifariam secto : deinde secundùm centrum grauitatis reliqui dempta portione ex cylindro, vel portione cylindrica, abscisso, vel abscissa vnà cum portione à cylindro, vel portione cylindrica sphæræ, vel sphæroidi circa eius axim axi portionis congruentem circumscripta : in eo puncto, in quo axis portionis sic diuiditur, vt pars prima, & secunda sectione terminata sit ad eam, quæ prima, & postrema sectione terminatur, vt solidum rectangulum ex axe portionis, & reliquo segmento axis sphæræ, vel sphæroidis axi portionis congruentis, & eo, quod sphæræ, vel sphæroidis, & basis portionis contra iungit, vnà cum binis tertijs duorum cuborum : & eius, qui à sphæræ, vel sphæroidis axis fit dimidio, & eius, qui ab ea, quæ sphæræ, vel sphæroidis, & basis portionis centra iungit ; ad solidum rectangulum, quod duobus sphæræ, vel sphæroidis prædicti axis dimidijs, & axe portionis continetur.

XXXVI.

Omnis portionis sphæræ, vel sphæroidis abscissæ duabus planis parallelis centrum intercipientibus, & ab eo non æqualiter distantibus, centrum grauitatis est in axe, primùm bifariam secto : deinde secundùm centrum grauitatis reliquii dempta portione ex cylindro, vel portione cylindrica, abscisso, vel abscissa, vnà cum portione, à cylindro, vel portione cylindrica sphæræ, vel sphæroidis, circa eius axim axi portionis congruentem circumscripta in eo puncto, in quo maius segmentum axis portionis eorum, quæ à centro fiunt, sic diuiditur, vt pars prima, & secunda sectione terminata sit ad eam, quæ prima,

& postrema sectione terminatur, vt duo solida rectangula, & quod fit ex duobus sphæræ, vel sphæroidis axis axi portionis congruentis ijs segmentis, quæ fiunt à centro maioris basis portionis, & ea quæ maioris basis, & sphæræ, vel sphæroidis centra iungit: & quod ex sphæræ, vel sphæroidis eiusdem axis segmentis à centro minoris basis factis, & ea quæ minoris basis, & sphæræ, vel sphæroidis centra iungit, vnà cum binis tertijs partibus duorum cuborum ex ijs segmentis axis portionis, quæ à centro sphęræ, vel sphæroidis fiunt ad solidum rectangulum quod duobus sphęræ, vel sphæroidis prædicti axis dimidijs, & axe portionis continetur.

XXXVII.

Omnis portionis conoidis parabolici centrum grauitatis est punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars quæ ad verticem sit eius, quæ ab basim dupla.

XXXVIII.

Omnis frusti portionis conoidis parabolici centrum grauitatis est punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars minorem basim attingens sit ad reliquam, vt duplum maioris basis vnà cum minori, ad duplum minoris, vnà cum maiori.

XXXIX.

Omnis conoidis hyperbolici, vel portionis hyperbolici conoidis centrum grauitatis est punctum illud, in quo duodecima pars axis ordine quarta ab ea, quæ basim attingit, sic diuiditur, vt pars propinquior basi sit ad reliquam vt sesquialtera transuersi lateris, hyperboles per axem, ad axem conoidis.

Appendicis Propositiones.

I.

SI sint octo magnitudines quaternæ totæ, & ablatæ proportionales, fuerint autem, & primarum vtriusque ordinis ablatæ ad reliquas proportionales: erunt vtriusque ordinis reliquæ proportionales.

II.

Si circa datæ hyperboles communem diametrum parabola describpta illius basim ita diuidat, vt quadratum dimidiæ basis hyperbola ad reliquum quadrati dimidiæ basis hyperboles eam habeat proportionem, quam transuersum latus ad diametrum hyperboles: omnes in

hyperbole ad diametrum ordinatim applicatas ita secabit, vt excessus, quibus quadrata in hyperbola applicatarum superant quadrata in parabola ex sectione applicatarum, inter se sint vt quadrata diametri partium inter applicatas, & verticem interiectarum.

III.

Omne conoides hyperbolicum diuiditur in conoides parabolicum circa eumdem axim, & reliquam figuram quandam, ad quam conoides parabolicum eam habet proportionem, quam sesquialtera transuersi lateris hyperboles, quæ conoides describit, ad axem conoidis.

Corollarium. Vnde manifestum est, ijsdem positis cylindros deficientes, ex quibus constat excessus, quo figura conoidi hyperbolico circumscripta superat circumscriptam conoidi parabolico, ita se habere, vt quorumlibet trium inter se proximorum, minor proportio sit minimi ad medium, quàm medij ad maximum: æquales enim sunt singuli singulis cylindris, ex quibus constat figura cono circumscripta, qui sunt inter eadem plana parallela. Quod si ita est, simul illud manifestum erit, & ex hoc, & ex iis, quæ 2. libro demonstrata sunt; prædictum excessum ex tot cylindris deficientibus ciusdem altitudinis, quos diximus componi posse, vt ipsius centrum grauitatis in axe distet à centro grauitatis coni, hoc est à puncto, in quo sic axis diuiditur, vt pars, quæ ad verticem sit reliquæ tripla, eâ distantiâ, quæ minor sit quantacumque longitudine proposita.

IV.

Si conoidi parabolico figura circumscribatur, & altera inscribatur ex cylindris æqualium altitudinum, binis circa communes axes segmenta axis conodis, & inter eadem plana parallela, minimo circumscriptorum ad nullum relato, omnia residua cylindrorum figuræ circumscriptæ, demptis inscriptæ figuræ cylindris, & inter se, & minimo cylindro æqualia erunt.

V.

Dato conoide hyperbolico, & ipsius conoide parabolico circa eundem axim, quod ad reliquum hyperbolici conoidis eam proportionem habeat quam sesquialtera transuersi lateris hyperboles, quæ conoides describit, ad axim conoidis: fieri potest vt conoidi parabolico figura quædam inscribatur, & altera circumscribatur, vt supra factum est, & hyperbolico alia circumscribatur, omnes ex cylindris æqualium altitudinum multitudine æqualibus existentibus iis, ex quibus constant figuræ conoidibus circumscriptæ, ita vt excessus, quo figura conoidi parabolico circumscripta inscriptam superat, quem breuitatis causa voco excessum primum, ad excessum, quo figura conoidi

2 Ministério de Cultura

noidi hyperbolico circumscripta superat circumscriptam parabolico, quem voco excessum secundum, minorem habeat proportionem quacumque proposita.

VI.

Omnis residui conoidis hyperbolici dempto conoide parabolico, vt supra diximus, centrum grauitatis est punctum illud, in quo axis sic diuiditur, vt pars propinquior vertici sit tripla reliquæ.

VII.

Omnis conoidis hyperbolici centrum grauitatis est punctum illud, in quo duodecima pars axis quarta ab ea quæ basim attingit, sic diuiditur, vt pars propinquior basi sit ad reliquam, vt sesquialtera transuersi lateris hyperboles, quæ conoides describit, ad axem conoidis.

QVARTA PARS.

DE LINEA DIRECTIONIS,

& reliquis ad centrum grauitatis pertinentibus.

LInea directionis illa dicitur, quæ motus grauium dirigit; quæque ducta intelligitur à mundi centro ad verticem grauis; hinc fit vt horizontis axis dici possit, cùm horizon describatur à vertice, tanquam à polo. Possumus autem supponere cum Villalpando, & aliis, omnes lineas directionis parallelarum instar respectu nostri habendas esse; quemadmodum Architecti supponunt muros ad perpendiculum erectos, & Catoptrici radios solis in speculum incidentes parallelos esse, quamuis id non sit verum iuxta præcisionem Geometricam, quia sensus experientiâ deprehendere nequit, quantò magis duæ lineæ directionis inter se distent in vertice grauis, quàm prope teram. Iam verò satis fuerit si Villalpandi propositiones, & quasdam alias cùm ad hanc lineam, tum ad centrum grauitatis pertinentes afferamus.

PROPOSITIONES.

I.

AD motum hominis progressiuum, & cuiuscumque alterius grauis motum, directionis lineam moueri necesse est: vnde & Zenith, ac

horizon necessarò mutantur: cùm ex diuersis ad eandem sphæræ partem polis diuersos circulos maximos describi necesse sit.

II.

Cuiuscumque solidi centrum grauitatis loco suo in figura dimoueri potest, cùm aliquid additur, vel minuitur; vel cùm partes alia ratione disponuntur.

III.

In sphæra ex æqualiter ponderantibus conflata idem est centrum grauitatis, & magnitudinis: si verò ex dissimilibus constet, & idem potest esse, & longè diuersum.

IV.

Omnia grauia non impedita ita descendunt, vt centrum grauitatis non discedat à linea directionis.

V.

Omne corpus puncto insistens tunc stabit, cùm linea directonis per punctum, cui innititur transiens, per centrum quoque grauitatis eiusdem transierit: cadet autem si transierit extra centrum grauitatis: ni tamen impetus graui impressus casum impedierit, vt constat in funambulis, & ioculatoribus corpus in omnem partem versantibus. Huc reuocari possunt ingentia pondera, quæ acus acumine sustinentur.

VI.

Perfectè sphæricum si graue sit, & perfecto plano insistat, nec impediatur, semper mouebitur, donec ad plani punctum perueniat, in quo tantùm quiescere potest.

VII.

Grauia quæ quantitati insistunt, tunc stabunt, cum directionis linea per medium quantitatis, cui insistit graue, ducta, per centrum grauitatis transibit: vel cùm ducta linea directionis per dictæ quantitatis extremum transierit per centrum grauitatis, vel saltem dimiserit illud ex parte quantitatis, cui insistit graue: quod si ex altera parte dimittet illud graue, dubio procul cadet. Hinc fit vt lancea, vel sarissa, vel baculus, vel quæpiam alia, quæ infrà fulcimentum habent, erecta stare nequeant, quia grauitatis centrum ita perfectè sisti nequit, vt in neutram partem à perpendiculari declinet: extremo tamen digiti baculum sustinemus, quia in ipso motu digitum assiduè centro grauitatis baculi supponimus.

VIII.

Si homo pedibus ita insistat, vt linea directionis per extremum pedis, cui innititur, transiens, transeat etiam per centrum grauitatis, si brachium extendat ex ea parte qua pendet, dubio procul cadet; bra-

chium enim extensum maioris vectis, vel æquipondij rationem habet, quod plus grauitat quo magis à trutina remouetur.

IX.

Nullus homo poterit se inclinare, aut in anteriorem, aut in posteriorem partem, aut ad latera, quin linea directionis transiens per extremam partem quantitatis, cui innititur ex ea parte, in quam se inclinat, transeat etiam per centrum grauitatis corporis, aut hoc immineat quantitati, cui innititur: nam si extra illam maneat, cadet.

X.

Quotiescumque homo sedet, vt se erigat, necessarium est vt pedes sedi quàm maximè habeat propinquos, caputque in anteriora educat.

XI.

Nullus homo, qui totus extensus supinus iaceat, se eriget ita vt erat extensus, quin cadat: sed necessarium est ei, vt corpus complicet, & superiorem partem corporis priùs erigat, ac pedes corpori submittat, & sic se eriget. Quod si iaceat pronus, manibus primùm innitetur simul ac pedibus, mox genua in anteriorem partem complicabit, atque ita se eriget.

XII.

Quadrupedia tunc stabunt, cùm linea directionis per extremum superficiei, quam inter extremos pedum terminos operiunt, transiens pertransierit, etiam per centrum grauitatis eorum, vel dimiserit illud ex parte superficiei, cui insistunt: ideoque cùm progrediuntur, si vtrumque dextrum pedem simul erigunt, cadent, nisi linea directionis transiens per extremum reliquorum, transierit per centrum grauitatis, aut reliquerit illud ex parte pedum. At cùm sua corpora posterioribus tantummodo pedibus innixa erigunt: & poplites & magnam corporis partem à pedibus in posteriora retrahant necesse est, vt centrum grauitatis ad lineam directionis pedibus superimponant. Hinc constat cur equitantes variis equi motibus concutiamur, nempe vt sua pondera libret equus, & linea directionis per centrum grauitatis continuò circumferatur.

XIII.

Auium, cùm pedibus insistunt, eadē quæ de bipedibus ratio habenda est. Quod si volent, quoniam alis suspenduntur, necessarium est vt linea directionis per alarum medium transiens, transeat etiam per grauitatis centrum. Hinc cùm supra volatum dirigunt, in anteriores partes: cùm infra in posteriores partes, alas extendunt.

XIV.

Arbores, plantæ & herbæ, nisi impediantur, ad angulos rectos se erigunt, non quidem pauimenti, cui insistunt, sed horizonti, nempè secundùm directionis lineā, per trunci ima ad centrū grauitatis deductā.

XV.

Centrum grauitatis cuiuſcumq; corporis nunquam aſcẽdit naturaliter, ſed tãtùm violenter; alioqui media, vel pluſquam media pars grauitatis aſcenderet, quod fieri nequit; nec enim vnquam vna pars aſcendit, niſi deſcendens præualeat; ſicut nec in bilance vna pars aliam attollere poteſt, niſi grauior fuerit. Huius theorematis veritas clara eſt in circumuolutione globi deſcendentis, cuius aliquæ partes aſcendunt, dum centrum grauitatis ſemper deſcendit: & in enſibus, vel cultris, aut aliis inſtrumentis baculo obliquè infixis, quæ pendula ſtant, quia totum pondus ſimul cadere nequit, cùm ex vna parte ſuſtineatur, neque pars grauior, aut æquè grauis aſcendere poteſt. Huc etiam refertur ſitula aquâ, vel alio liquore plena, quæ ſtat ſine caſu, ſi anſa baculo ſuſtineatur, cuius extremitas ex alia parte ſuſtineatur, dummodo alter baculus inter fundum & oppoſitam baculi partem ſtatuatur, alioqui enim centrum grauitatis aſcenderet, ſi caderet ſitula, aut vas aliud.

XVI.

Si Deus tolleret hemiſphærium terræ quod noſtrum horizontem Aſtronomicum definit, vnicus homo poſſet habitare in recta planicie, quæ ſubdupla eſſet ſuperficiei hemiſphærij ablati: reliqui caderent, ruerentque verſus centrum: ſi tamen vniuerſi centrum per hanc ſectionem nuſquam immutatum iri ſupponamus. Hinc cõcluditur nos non poſſe ambulare ſuper terram, ſi recta foret illius ſuperficies, alioqui centrum grauitatis naturaliter aſcenderet: omnes igitur ad idem punctum ſuperficiei ruerent, à quo breuiſſima ad centrum terræ, vel vniuerſi linea duceretur: niſi tamen ita inclinarentur, ac talem ſitum haberent, vt linea directionis per centrum grauitatis tranſiret; quod notant in turri Bononiæ Gariſenda: quæ ſtat immota, licet à 500. annis admodum inclinetur.

XVII.

Si aër eſt æqualis vbique reſiſtentiæ, ſemper corpus æquiponderabit ſiue à centro ſuæ grauitatis, ſiue à punctis ſuperioribus, vel inferioribus lineæ directionis ſuſpendatur, cùm eadem ſit facilitas trahendi, & mouendi celeritas, atque reſiſtentia in quopiam ex illis tribus punctis: at verò corpus in ſupremo, vel infimo tantùm loco quieſcere poteſt, dum à punctis ſuperioribus, vel inferioribus detinetur.

XVIII.

Quæ à ſuperioribus lineæ directionis punctis detinentur, ad priſtinum ſtatum redeunt, cùm ex eo educuntur; cùm autem ab inferioribus, recedunt à priſtino ſtatu, ſi ex eo extrahuntur: at verò cùm à centro grauitatis, vbicumque poſita manent, quia linea directionis diui-

2 Ministerio de Cultura

dit corpus per punctum retentionis in duas partes æquè grauitantes; quod in aliis casibus diuidit in partes inæquales, dum corpus suspensum extra statum quietis positum fuerit. Hinc fit, vt libræ in quocumque statu, seu situ maneant, cùm punctum retentionis habent in centro grauitatis; ad æquilibrium redeant, quando punctum retentionis est superius; vel integrum circulum absoluant, quando est inferius.

XIX.

Corpus liberè pendere dicitur à puncto retentionis, quando in omnem partem ita circumuolui potest, vt omnia illius puncta à prædicto puncto remota circa illud circulum describant; quod quidem semper in linea directionis reperitur. At verò si corpus à duobus punctis liberè pendeat, concursus linearum illis punctis affixarum, erit semper in linea directionis.

XX.

Si mathematicè loquamur, nullum est corpus in rerum natura, præter globum, quod ex suæ grauitatis centro cogitatione, vel reapse suspensum quemlibet datum situm retineat, vel quod per planum in partes situ æquipondias diuidatur; nec grauius pondus eam rationem habet ad leuius, quam habet longior radius ad breuiorem, sed vnum altero ponderosius erit ex situ, penes angulum eius maiorem, & recto propiorem. Verùm illud sensibile non est, nisi concipiamus iugum libræ per vnam, aut plures leucas extendi: quod cùm à nobis fieri nequeat, rectè statuimus omnes lineas directionis respectu nostri perpendiculares esse, vt in præfatione partis istius dictum est. *Reliqua ad grauitatis centrum, vel lineam directionis spectantia ex dictis, vel ex infrà dicendis intelligi poterunt: quapropter ad secundum librum accedo.*

BIBLIOTECA DEL OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

MECHANICORVM

LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.

HIc liber explicabit quæ ſit ratio ponderum à diuerſis à centro libræ, vectis & aliarum machinarum diſtantiis pendentium; & quid aqua, & aër mechanicis conferant: quod ita Deo iuuante præſtabimus, vt neque libri longitudo faſtidium, neque breuitas obſcuritatem paritura ſit: quod more ſolito quibuſdam propoſitionibus exequemur, quæ partim à Guido Vbaldo, & Steuino, partim ab aliis demonſtratæ ſunt, & facili experientia comprobantur. Hunc autem librum in quaſdam partes, vt priorem diuidemus, quarum prima ſequitur.

PRIMA PARS.

DE IIS QVÆ AD LIBRAM, & vectem pertinent, & de modo reperiendi centrum grauitatis columnarum, & aliorum corporum.

PROPOSITIONES.

I.

DVarum grauitatum ſitu æquilibrium ponderoſior illam rationem habet ad leuiorem, quam longior radius ad breuiorem. Vbi aduerte æquilibritatem efficere, vt grauiora pondera leuioribus æquiponderare videantur; quod ſpecie tantùm ob ſitum videlicet, & non pro-

priè verum eſt: aliud igitur eſt æquipondium, aliud æquilibre. Hinc fit vt ſi pondus duplo leuius duplo magis à centro libra diſtet quàm pondus duplo grauius, vel pondus millies leuius, millies diſtet ampliùs quàm pondus millies grauius, iſorropa futura ſint. Huius autem propoſitionis varias demonſtrationes Steuinus adducit.

II.

✠ Diſtantiæ in libræ longitudine ſumuntur à puncto, à quo libra liberè pendet, & circa quod liberè voluitur: & à puncto, à quo pondus liberè pendet, quod reſpondet centro grauitatis corporis appenſi.

III.

✠ In æquilibrio vt ſe habet pondus ad pondus, ita ſe habet longitudo brachij dextri libræ ad longitudinem brachij ſiniſtri, & vt ſe habet hæc longitudo ad illam, ita celeritas ad celeritatem, quia quo puncta à centro remotiora ſunt, eo maiores circulos, & quo viciniora, eo minores in dicta proportione deſcribunt: adeout ſi pondus à centro libræ 8 pedibus diſtet, duplo maiorem circulum deſcribat, duplóque moueatur celeriùs, quàm aliud pondus 4 ſolùm ab eodem centro pedibus remotum. Igitur maior celeritas ponderis grauitatem compenſat; hinc fortè deduci poteſt quanto ponderi iaculorum, & aliorum corporum vi proiectorum vis, & celeritas reſpondeat.

IV.

Tria prædicta, nempe pondera, longitudo, & celeritas extra æquilibrium non eandem ſemper habent proportionem; maior enim eſt vnius proportio, quàm alterius, atque adeò non eſt talis minoris inæqualitatis inter celeritates ratio, qualis eſt maioris inæqualitatis inter duo pondera oppoſita. Huc autem reuocari poſſunt quæ de libra, & vecte ſequuntur.

V.

Potentia ſuſtinens pondus vecti appenſum, eandem ad ipſum pondus proportionem habebit, quam vectis diſtantia inter fulcimentum, ac ponderis ſuſpenſionem: ad diſtantiam à fulcimento, ad potentiam interiectam. Vnde ſequitur quò fulcimentum ponderi fuerit proprius, minorem ad idem pondus ſuſtinendum requiri potentiam.

VI.

Si potentia pondus in vecte appenſum moueat, erit ſpatium potentiæ motæ, ad ſpatium moti ponderis, vt diſtantia à fulcimento ad potentiam: ad diſtantiam ab eodem ad ponderis ſuſpenſionem. Hinc fit ſpatium potentiæ mouentis ad ſpatium ponderis moti maiorem habere proportionem, quàm pondus ad eandem potentiam ſuſtinentem, cùm hæc potentia minor ſit potentia mouente.

VII.

Potentia quomodocumque vecte pondus sustinens ad ipsum pondus eandem habebit proportionem, quam distantia à fulcimento ad punctum, vbi à centro grauitatis ponderis horizonti ducta perpendicularis vectem secat, intercepta, ad distantiam inter fulcimentum, & potentiam.

VIII.

✠ Potentia pondus sustinens centrum grauitatis supra vectem horizonti æquidistantem habens, quò magis pondus ab hoc situ vecte eleuabitur; minori semper, vt sustineatur, egebit potentia: si verò deprimetur, maiori.

IX.

✠ Potentia pondus sustinens infra vectem horizonti æquidistantem ipsius centrum grauitatis habens, quò magis ab hoc situ vecte pondus eleuabitur, maiori semper potentia, vt sustineatur, egebit; si verò deprimetur, minori: vnde constat, si potentia vecte sursum moueat pondus, cuius grauitatis centrum sit infra vectem: quò magis pondus eleuabitur, semper maiorem requiri potentiam, vt pondus moueatur, cùm potentia sustinens maior esse debeat.

X.

✠ Potentia pondus sustinens in ipso vecte centrum grauitatis habens, quomodocumque vecte transferatur pondus, eadem semper, vt sustineatur, potentiâ opus erit.

XI.

✠ Si vectis distantia inter fulcimentum, & potentiam ad distantiam fulcimento, punctóque, vbi à centro grauitatis ponderis horizonti ducta perpendicularis vectem secat, interiectam, maiorem habuerit proportionem, quàm pondus ad potentiam, pondus vtique à potentia mouebitur.

XII.

Hinc fieri potest vt datum pondus à data potentia dato vecte moueatur: & potentia reperiatur, quę in dato puncto data pondera sustineat, atque moueat, quotcumque datis in vecte ponderibus vbicumque appensis, cuius fulcimentum sit etiam datum, & grauitas vectis data. *Iam verò ad libram redeo, in cuius gratiam addo sequentes propositiones.*

XIII.

✠ Si pondus in eius centro grauitatis à recta sustineatur linea, nunquam manebit, nisi eadem linea horizonti fuerit perpendicularis.

XIV.

✠ Libra horizonti æquidistans, cuius centrum sit supra libram, æqua-

lia

æqualia in extremitatibus æqualiterque à perpẽdiculo distantia habens pondera, si ab eiusmodi moueatur situ, in eundem rursus relicta, redibit, ibique manebit.

XV.

✠ Libra horizonti æquidistans æqualia in extremitatibus, æqualitérque à perpendiculo distantia habens pondera, centro infernè collocato, in hoc situ manebit: si verò inde moueatur, deorsum relicta, secundum decliuiorem partem mouebitur.

XVI.

✠ Libra horizonti æquidistans, æqualia in extremitatibus, æqualiterque à centro in ipsa libra collocato, distantia habens pondera, siue inde moueatur, siue minus, vbicumque relicta manebit. *Contra Cardanum & Iordanum, vt Guid. Vbaldus prop. 4. de libræ fusissimè demonstrauit.*

XVII.

✠ Duo pondera in libra appensa, si libra inter hæc ita diuidatur, vt partes ponderibus permutatim respondeant: tam in punctis appensis ponderabunt, quàm si vtroque ex diuisionis puncto suspendantur.

XVIII.

✠ Pondera æqualia in libra appensa eam in grauitate proportionem habent, quam distantiæ, ex quibus appenduntur: *vnde & staterærationes ostendi possunt.*

XIX.

✠ Duobus vel pluribus datis in libra ponderibus vbicumque appensis, centrum libræ inueniri potest, ex quo si suspendatur libra, data pondera maneant in æqualibrio: quod fiet, si priùs partes ponderum simul addantur; deinde spatium lineæ datæ, quod est inter puncta suspensionis, in totidem partes diuidatur, quot fuerint vnitates in summa addita. Denique si ponantur ex parte vnius ponderis tot partes longitudinis, quot oppositum pondus habet partes grauitatis, punctum enim quod terminabit huiusmodi partes, erit punctum æquilibrij: exempli gratiâ, si pondus maius habet partes 12, minus verò duas, addiæ faciunt 14, quas si numeres in prædicta libræ longitudine, incipiendo à centro maioris ponderis, centrum grauitatis libræ erit in fine secundæ partis; hoc est in fine 12. si incipias à minori pondere. Quod autem de duobus ponderibus dictum est, pluribus conueniet: semper enim duorum ponderum centra ad vnum reuocabuntur, donec æquilibrium quæsitum inuentum fuerit: quod fiet si, vt maius segmentum, quod se tenet ex parte minoris ponderis, est ad minus, quod se tenet ex parte maioris ponderis, ita maius pondus fuerit ad minus pondus: *quod Steuinus 2. prop. de staticæ elementis fusè demonstrat: ex quo sequentes prop in columnarum gratiam.*

XX.

✠ Pendula columnâ per grauitatis centrum à plano ad basim parallelo sectâ, firmitudinis autem, ideſt *retentionis*, puncto ſupra grauitatis centrum fixo; axis eſt horizonti parallelus.

XXI.

✠ Si punctum retentionis centrum grauitatis ſit pendentis columnæ, quemcumque ei ſitum dederis, ſeruat.

XXII.

✠ Si columna per grauitatis punctum ſit ſecta à plano baſi parallelo, fuerítque retentionis punctum in ſecante plano, infra grauitatis centrum: columna, naturæ ductu, ſeſe inuertit, donec grauitatis centrum ſit in pendula grauitatis diametro. Eſt autem grauitatis diameter recta infinita per grauitatis centrum acta, quæ cùm horizonti perpendicularis fuerit, *pendula* vocatur. Grauitatis autem centrum pendentis corporis eſt in pendula grauitatis diametro. Ratio iſtius propoſitionis eſt, quia columna prædicta nequit iacere in puncto, ſed tantùm in ſolo.

XXIII.

Anſa infinitum continuata binorum ponderum iugum quoduis in ſuos radios ſecat. Eſt autem anſa, duorum ponderum pendula grauitatis diameter; quale eſt filum quo duo corpora in extremitate baculi poſita ſuſpenduntur ita vt filum è medio baculi puncto ſuſpendatur; qualis eſt etiam trutina in bilancibus. Iugum verò, ſiue trabs eſt recta duabus pendulis diametris terminata. Sicut anſæ punctum in iugo fixum, dicitur firmum ſeu retentionis, ac firmitudinis.

XXIV.

Datis retentionis puncto notæ columnæ, notiſque ponderibus ſitu æquipondijs inde pendentibus, inueniri poteſt an axis horizonti parallelus futurus ſit; an quem dederis ſitum ſeruaturus: an verò ſe inuerſurus, donec grauitatis centrum fuerit in pendula grauitatis diametro. Notâ etiam columnâ, notiſque ponderibus inde ſuſpenſis, retentionis punctum inuenitur, in quo quemlibet datum ſitum ſeruabit. Denique notâ columnâ cum retentionis puncto, notis item ponderibus inde ſuſpenſis, quæ axem horizonti parallelum ſeruant; pondus reperiri poteſt, quod optato columnæ loco ſuſpenſum axem in dato ſitu ſeruabit: *vt Steuinus prop. 10. 11. & 12. libri prædicti demonſtrat.*

XXV.

Æqualia pondera, vnum eleuans, aliud deprimens æqualibus & angulis, & radiis æquales potentias habent. Pondus autem eleuans de qualibet potentia pondus eleuante dicitur, quod eſt rectum, vel obliquum, prout horizonti perpendiculare, vel obliquum fuerit.

2010 Ministerio de Cultura

XXVI.

Datis columna, & in eius axe duobus punctis, vno fixo, altero in longiore segmento mobili, inuenire pondus rectè attollens ex puncto mobili, quod datam columnam in dato situ retineat. *Quod Steuinus prop. 14. demonstrat.*

XXVII.

Duorum punctorum in axe columnæ altero fixo, altero mobili: pondus recte attollens ex mobili cum columna situ æquipondium, illam habet rationem ad columnam, quæ est segmenti axis, quod inter centrum grauitatis, & punctum fixum est, ad segmentum eiusdem quod inter fixum, & mobile intercipitur. Quod punctum si seruet columnam in vno aliquo situ, in quouis alio seruare poterit.

XXVIII.

Columnâ super duobus in axe punctis quiescente, quemadmodum axis segmentum inter grauitatis centrum, punctumque sinistrum, ad eiusdem segmentum inter grauitatis centrum, punctumque dextrum: ita columnæ pondus super puncto dextro quiescens, ad reliquum ponderis super sinistro quiescentis.

XXIX.

Columnâ duobus in punctis quiescente, erit vt segmentum axis inter grauitatis centrum, & perpendicularem per punctum sinistrum, ad eiusdem segmentum inter grauitatis centrum & perpendicularem punctum dextrum: ita sustentatum pondus columnæ dextro puncto, ad pondus quod sustinetur sinistro.

XXX.

Centrum grauitatis cuiuscumque, & quantumcumque difformis, & irregularis figuræ reperitur, si ab aliqua sui parte liberè suspendatur, & ab eadem parte, à qua pendet, demittatur perpendiculum, ita vt in corpore linea, quam fecerit perpendiculi filum, notetur: deinde ab alia parte corpus idem liberè suspendatur, vt prius, notetúrque iterum linea perpendiculi ab hac parte super corpus demissi, concursus enim duorum filorum perpendiculi in illis duobus suspensionis punctis demissi, erit centrum quæsitum.

XXXI.

Præter ea quæ primo libro de centro grauitatis dicta sunt, Steuinus libro de centro grauitatis videri potest, in quo demonstrat centrum grauitatis cuiusque trianguli rectam ab angulo in opposito latus medium ita secare, vt segmentum inter ipsum & angulum duplum sit reliqui. Deinde trianguli duorum laterum vnoquoque in tria æqualia segmenta diuiso, recta per sectionum puncta tertio lateri proxima, per

2009 Ministerio de Cultura

grauitatis centrum ductam esse. Tertiò, securiculæ grauitatis centrum esse in recta laterum parallelorum bisectionem connectente : cuius securiculæ grauitatis centrum rectam parallelorum laterum bisectricem ita secare demonstrat, vt segmentum bisectricis minori lateri conterminum ad reliquum sit, vt maioris paralleli lateris duplum minore auctum, ad duplum minoris cum maiore. Quartò, parabolarum grauitatis centrum, quod est in earum diametris, hasce diametros in homologa segmenta dirimere: quod de figuris planis intellige, quarum omnium centrum figuræ idem esse cum centro grauitatis ostendit prima propositio, quemadmodum 2. trianguli cuiusque grauitatis centrum esse in recta ab angulo in oppositum latus medium ducta.

XXXII.

Præterea demonstrat in centrobaricis solidorum, solidi cuiuslibet, figuræ & grauitatis idem esse centrum. Deinde prismatis centrum grauitatis esse in axis medio; pyramidis verò in axe, quem à centro grauitatis ita secari docet, vt segmentum vertici vicinius reliqui sit triplum: at verò de centro grauitatis lib. 1. fusiùs actum est, quàm vt hîc plura subiungere debeamus. *Cum autem* (*mi* THEOTIME) *hac in parte de ponderibus rectà descendentibus egerimus, sequenti de obliquè descendentibus, déque vi motus libræ, vectis, &c. dicendum est.*

SECVNDA PARS.

DE PONDERIBVS OBLIQVIS, & de viribus vectis, & libræ & aliarum machinarum ad ea reductarum, vbi & de nauigatione, & de quæstionibus mechanicis Aristotelis.

OBliqua pondera dicuntur quæ impediuntur quominus rectè pergant ad centrum, vt cùm globulus à vertice montis descendit, tardiúsque ad planum montis peruenit, quàm cùm absque vllo impedimento perpendiculariter descendit: quò verò planum per quod descendit graue, magis inclinatur, seu magis à perpendiculari recedit, & ad horizontem accedit, eò tardius, ac difficiliùs graue descendit, eóque minus grauitatis suæ vires exerit Hinc fit vt cò minor vis requiratur ad pondus in plano obliquo retinendum, vel ad illud per idem planum eleuandum, quò planum magis inclinatum fuerit: cùm enim ex parte sustineatur à plano obliquo, linea directionis, hoc est centri terræ,

20 Ministerio de Cultura

transiens per punctum contactus ponderis cum plano obliquo, pondus non diuidit in partes æquiponderantes, vt contingit in ponderibus liberè per aërem descendentibus. Vix autem aliquid hactenus de ponderibus obliquè descendentibus, vel ascendentibus demonstratum est. Nunc igitur solùm ea afferemus, quæ à multis conceduntur.

PROPOSITIONES.

I.

VT fiat æquilibrium duorum ponderum super planis inclinatis positorum, debet vnum pondus se habere ad aliud, vt latus vnum trianguli, in quo pondus vnum consistit, ad aliud latus super quo pondus aliud fuerit: *quod Steuinus ita concipit.* Si triangulum planum horizonti perpendiculare fuerit, basis parallela, reliquis autem lateribus globi singuli addantur æquilibres, erit quemadmodum trianguli latus dextrum ad sinistrum, ita sacoma globi sinistri ad antisacoma globi dextri. *Quod probat, quia sequeretur alioqui motus perpetuus, quod absurdum esse putat, quem tamen in eo quidam aiunt deceptum fuisse, vt & Pappum, lib. 8. coll. Mathem. prop. 9. quippe existimant tam huius propositionis falsitatem, quam Pappi errorem manifestissimè demonstrari.*

II.

Si axis columnæ puncta habeat, firmum, & mobile, & ex isto dependentia pondera, vnum rectè, alterum obliquè eleuans, in dato situ columnam conseruant: vt se habet linea rectè eleuans ad lineam obliquè extollentem, ita illius pondus ad pondus huius. Si verò prædictæ lineæ deprimant, erit pondus rectum ad pondus obliquum, vt linea recte deprimens ad lineam obliquè deprimentem.

III.

Æqualia pondera suspensa è ductariis lineis, quæ ex eodem axis puncto in contrarias partes ductæ æquales cum axe angulos faciunt: in columnam æqualem potentiam exercent. Potentia verò ponderis, cuius ductaria linea axi perpendicularis est, in columnam dati situs est omnium maxima. Hinc fit, vt quò anguli ductariarum linearũ, è quibus pondera suspenduntur, angulo recto viciniores sunt, eo ponderum potentias esse maiores: eóque minores, quo longiùs ab angulo recto dissident.

IV.

Duæ annuentes, siue non parallelæ lineæ, è quibus columna dépen-

det, in infinitum productæ, in columnæ pendula grauitatis diametro sese intersecant: si verò vna sit horizonti perpendicularis, erit & reliqua: sin obliqua, obliqua: si illa huic annuit, annuet & hæc illi: sin abnuit, abnuet.

V.

Si columna, & duo pondera obliquè extollentia situ æquilibria sunt, vt linea obliquè extollens ad lineam rectè extollentem, ita ponderum quodque obliquum ad suum pondus rectum.

VI.

Quæcumque proportiones sunt columnæ ad pondera inde suspensa, ponderumque lineas: eadem cuiusuis etiam corporis esse ad sua pondera consimiliter inde pendentia, ponderumque lineas. Hæc autem omnia hoc axiomate niti videntur, quod supra tetigi, nempe vt se habet latus ad latus, ita celeritas descensus vnius ponderis ad celeritatem descensus alterius: quoties enim, verbi gratia, fit æqualis descensus, æqualis ad centrum fit accessus: quò autem latus trianguli, seu planum est obliquius, eò longius est: igitur & descensus corporis grauis super eo factus, tardior erit, atque adeo tardius ad centrum vniuersi accedet.

VII.

Hoc concesso principio si fiat triangulum, cuius latus vnum sit perpendiculare horizonti, aliud verò sit ita inclinatum, vt præcedentis centuplum existat, pondus subcentuplum in illo appensum sustinebit pondus centuplum in illo positum, erunt enim æquilibria. Vnde pondere dato dari potest vis, & inclinatio, & è contra.

VIII.

Pondus circulo, vel globo insistens in diuersis partibus varie ponderat, ob varias globi ad horizontem inclinationes: quod & de aliis figuris sphæroidalibus, & conicis intelligendum est.

IX.

Si eadem sit proportio vis proiectorum obliquorum, & rectorum, quæ ponderum rectorum & obliquorum eleuantium, & deprimentium, pilæ, iacula, globi è bombardis emissi, & alia quæcumque vi proiecta tantum de actiuitate sua, quantum de rectitudine, deperdunt; cóque ictus illorum debiliores sunt, quo in parietes, vel alia corpora obliquius incidunt: quæ si redeunt, postquam illisa fuerint, eo tardius, minusque longe redibunt, quo ad corpus reflectens obliquius allisa fuerint. Quibus positis globus per lineam obliquam emissus, quæ dupla sit lineæ muro percusso perpendicularis, subduplam tantummodo illius vim habebit, qui per lineam perpendicularem æquali pulueris pyrij virtute mitteretur.

2009 Ministerio de Cultura

X.

Hinc etiam cognosci posset, quanto minus vela nauium ab obliquis, quàm à rectis ventis impellantur; datisque leucis, quas naues à vento perpendiculari adiutæ faciunt, leucæ dari possent, quas conficerent impulsæ à vento æqualis virtutis, iuxta quamcumque obliquitatem consideratis. *At verò de nautica alibi dicendum est: Iam enim ad vim motus accedo, quæ mirabilis esse videtur.*

XI.

Tanta est vis motus ponderibus ascendentibus, descendentibus, aut in transuersum actis impressus, vt quodlibet minimum pondus, maximum quodlibet superare possit, modò celeritas motus illius compenset, & superet grauitatem istius. Hinc fit vt pondus decidens eò maiorem vim habeat, magisque ponderare videatur quò ex altiori loco decidit: quamuis non sit eadem ratio spatiorum à quibus cadit, & virium: neque res motæ impedimentis suis, (qualis est aër, & superficies contactus corporis per aërem descendentis) sint proportionales; similia enim solida superficiebus suis non sunt proportionalia, nam cubi in ratione octupla habent superficies in ratione quadrupla. Hinc fit vt minora corpora maius impedimentum patiantur, & propterea tardiùs descendunt quàm maiora: Steuinus tamen asserit se expertum fuisse æquale 30. pedum spatium pari velocitate à duobus globis plumbeis pertransitum fuisse, tametsi essent in ratione decupla.

XII.

Probabile est vim illam ingentem, quam pondera per motum acquirunt, ex eo proficisci, quod aër inter corpus motum, & corpus percussum condensetur, qui cum horum corporum neutrum penetrare, neque huc illuc effugere possit, maximam potentiam exerit. Quod manifestum est in malleo in cuneum celeriter incidente, & impacto, qui longè potentior est, quàm mille mallei eidem cuneo superimpositi, qui pari celeritate, qua cuneus, moueri debent, vt lignum ingrediatur, ac proinde uim habere maiorem quàm lignum in sui diuisione resistentiæ habeat: at verò malleus decidens cuneo ingrediente celeriùs mouetur eumque adigit eo fortiùs, quò magis condensat aërem.

XIII.

Hinc concludere possumus malleum, globum è bombardis emissum, lapidem funda proiectum, &c. eo maiorem vim habere, magisque in corpus, in quod emittuntur, agere, quo magis aërem interpositum condensant; aërem verò eo magis condensari, quò celeriùs mouentur: igitur si duplo, vel centies celeriùs mouentur, duplo, vel centies magis aërem condensabunt, ac duplo, vel centies fortiùs ferient.

XIV.

Magnum quid is in mechanicis reperiet, qui rationem virium corporis decidentis, & ſpatiorum à quibus decidit, reperiet, & demonſtrabit quanto, verbi gratiâ, globus ex altitudine 20. pedum decidens vim maiorem habeat, quàm ſi ex 10. ſolummodo pedibus cadat: & quanto maior eſſe debeat globus ex altitudine 10. pedum cadens, globo ex altitudine 20. pedum decidente, vt vim æqualem habeat, ac corpus ſubiectum æqualiter feriat; quod pluribus impoſſibile videtur. *Deinceps verò de ſingulis inſtrumentis ad mouenda pondera deſtinatis agendum.*

XV.

Libræ maiores minoribus exactiores ſunt, quia brachia libræ maioris maiorem circulum deſcribunt, cùm eorum extremitates magis à ſparto, ſeu trutina, hoc eſt centro, diſtent: hinc fit vt velocius moueantur, quia minus à centro ad motum ſibi non naturalem, id eſt, circularem retrahuntur, & à motu recto ſibi naturali minus impediuntur, per quem deſcenderent, niſi à centro retraherentur, & in gyrum inflecterentur. Itaque quo ſemidiametri, vel radij extremitas magis à centro, vel ſparto recedit, eò liberior fit, minuſque cogitur; quo circumferentiæ ſunt maiores, eo magis vergunt ad rectam lineam: vide igitur (mi THEOTIME) num circumferentia infinita cum linea recta infinita, & contrà coincidat. Quod autem lances plurimorum artificum, quamuis maiores, minus exactæ ſint quàm minores Gemmariorum, vel Aurificum, id oritur ex eo quod illæ ſint rudes, & materiæ pertinaciæ obnoxiores; hæ verò exquiſitius elaboratæ. *Hinc conſtat rationem mobilitatum eſſe vt diametrorum: & circulos eadem vi motos hanc analogiam ſeruare, vt quæ eſt ratio motus in maiore circulo ſecundùm naturam ad ſuum motum præter naturam, eadem ſit motus in minore circulo ſecundùm naturam ad ſuum motum præter naturam. Denique ab eodem pondere extremum librilis oò celeriùs ferri, quo plus ab agina diſtiterit.*

XVI.

Quamuis libræ ponderibus vacuæ æquilibrent, non ideò tamen omni fraude carent: ſi enim ſpartum non ſit in medio, & lanx radij breuioris facta fuerit ex ligno nodoſo, vel radici vicino, vel ei plumbum infuſum fuerit; adhuc lances æquilibres erunt; ſit enim breuior radius in 10. partes diuiſus, longior in 15. huius lanx ponderet 10. illius verò lanx 15. certe ob permutatam proportionem libra ſuſpenſa in ſparto æquilibrabit: nec ab æquilibrio diſcedet, ſi lanci breuioris radij ſacoma vnciarum 6. & alteri lanci ſacoma ſe hãbens ad 6. vncias, vt 10. ad 15. Propterea quæſt. 1. lib. Mechan. purpurarios reprehendit Ariſt.

2009 Ministerio de Cultura

Aristot. cum enim vt 10 ad 15, ita 4 ad 6, pro 4 vnciis purpuræ, 6 vnciarum pretium sumet, sed fraudem deteges, si alternatim sacoma modò huic, modò illi lanci apposueris.

XVII.

Cùm libra spartum, seu aginam, hoc est centrum habet in superiori parte, & impositò pondere vna pars scapi, seu librilis sursum tollitur, ablato pondere, redit ad pristinum statum, quia in librili sublato plus libræ fiebat extra perpendiculum: si verò fulcimentum, seu centrum est in parte inferiori, librilis pars per pondus depressa, ablato pondere non redit, quia pars inferior librilis maior est, statim atque à parallelismo cum horizonte discessit, ac proinde grauior est, situmque decliuem retinet; alioqui centrum grauitatis ascenderet. Denique cùm spartum est exquisitè medium, librilis partes in quolibet situ remanent, cùm libræ brachia semper æqualia sint, & centrum grauitatis sit in perpendiculari horizontis: quod iam in parte prop. 11. & 12 dictum fuerat. Hoc autem vltimum libræ genus exactissimum est, cùm vel minimo pondere altrinsecus posito declinet. Videatur apud Baldum cur turbo, seu conus, ac trochus puerorum in orbem actus non cadat donec cesset motus; quomodo funambuli in neutram partem cadant; & vnde machinarum demolitoriarum, vt arietum, & testudinum, uires pendeant.

XVIII.

Tametsi de vecte, sicut & de libra in prima parte egerimus, híc tamen alia subiungemus, quibus omnes ferè quæstiones solui possint, quas Arist. In Mechanicis proposuit. Itaque vectis est palus oblongus, cuius extremum acutius, lingula: obtusius verò, caput appellari potest: quod autem vecti subditur, vel quod ei superponitur, vt onera faciliùs eleuentur, dicitur hypomochlion; quod si prismation fuerit, id est in formam ptismatis factum, & vni laterum vectis supponatur, optimum erit. Musculos autem corporis Galenus vectibus lib. 1. de placit. Hippoer. & Platon. comparauit, quibus singula corporis membra vt totidem onera variè flectuntur, sursum intenduntur, contorquentur, &c.

XIX.

Vectis ad libram reducitur, imò est libra deorsum habens aginam, seu hypomochlion pro centro, siue onus sit inter fulcimentum, & potentiam, siue fultura sit inter onus & potentiam, quod sæpius contingit, siue potentia sit inter vectem & onus. Ita verò se habet motum põdus ad potentiam mouentem, vt brachij longitudo ad brachij longitudinem; & quo brachium lõgius fuerit, eò celeriùs, ac minori vi mouebitur, maque pondus leuabit: hic vectis, & libra ad circulum reuocantur, cuius

centrum ab agina, seu fulcro, radij vero, seu diametri à brachiis repræsentantur. *Videatur Archim. lib. 1. de æquipond. prop. 6. & nostræ primæ pars.* Hinc fit vt potentia sit ad pondus sustentum, vt pars vectis ab hypomochlio versus linguam, ad partem ab eodem hypomochlio versus caput.

XX.

Remi, quibus naues impelluntur, ad vectem reduci debent, ita vt scalmus cùm naui sit pondus, mare hypomochlion, & remex, potentia mouens, qui manubrium remi tenens mare diuidit, quo palmula remi fulcitur vt nauim antrorsum impellat. Ex tribus autem remigum ordinibus Thalamires, qui sedet ad proram, & Thranites, qui versus puppim, vna impulsione plus scalmum, seu nauem mouent, quàm Zygites, seu mesoneus, hoc est qui versus mediam nauis spondam, quæ est ἐπιφορικὴ. Plus autem illi nauim promouent, quorum remi ita disponuntur, vt remi pars à scalmo ad manubrium maior sit, & pars à scalmo ad palmulam plurimum maris diuidat. Tunc autem mare pondus erit, & scalmus agina, si nauis immobilis esse supponatur. Tametsi vero minus zygites, facilius tamen nauim promouet: hinc triremium præfecti robustiores remiges ad proram, & puppim, imbecilliores circa mediam triremem ponunt: quod est contra Aristot. q. 4.

XXI.

Temo, seu gubernaculum nauis ad vectem reducitur, nam mare est hypomochlion, vt antea; cardines verò, scalmus seu pondus mouendum; gubernator, potentia, quæ nauim dextrorsum obliquat mouendo mare siniſtrorsum, & contra. Est autem gubernaculum in puppi, cuius paruus motus est causa motus longè maioris qui fit in prora. Maximè verò nauis currens motu pterygij mouetur, non ita quiescens. Videatur Baldus, qui carinam ait vectis instar in conuersione nauis se habere: pars mota, & mouens potentia ad puppim; fulcimentum circa proram; potentia mouens mare, quod alas temonis obliquè ferit.

XXII.

Ad gubernaculum reduci debent caudæ piscium, & auium, quarum nempe motu ad dextram, siniſtramque conuertuntur. Omitto vela molendinorum, & verticillorum, quæ à vento, quemadmodum alæ pterygis ab aqua, mouentur: de quibus agetur vbi de ventis vela nauium impellentibus. *Sequuntur quinque propositiones Nonnij, quas duabus sequentibus complectemur.*

XXIII.

Remigibus nauim mouere potentibus caput remi plus antrorsum

2009 Ministerio de Cultura

mouetur quàm nauis. Capite vero remi motu proprio, & naui æqualiter motis, palmula immota veluti centrum manet: & palmulâ immotâ, caput remi, & nauis æqualiter mota sunt: nam si remi palmula dimota non fuerit à loco suo, ibique tandiu persistat, donec remus situm rectitudinis obtineat, tantum spatium conficiet caput remi motu proprio, quantum nauis.

XXIV.

Capite remi proprio motu conficiente spatium duplum spatij nauis; tunc nauis tantùm promouebitur, quantùm palmula retrocedet: igitur si nauis æquè prouehitur ac palmula retrocessit, motus capitis remi proprius duplus est motus nauis. Naui autẽ celeriùs motâ quàm capite remi; palmula antrorsum mouebitur, nec quicquam retrocedet, idque spatij decurret, quo nauis motus motum capitis remi superat.

XXV.

✠ Quò antenna sublimior fuerit, iisdem velis, & vento eodem celeriùs feruntur nauigia: est autem antenna lignum per transuersum in malo positum; & malus, seu ἱστὸς est lignum instar trunci arboris circa medium nauis perpendiculariter infixum, cuius partem inferiorem, pternam; mediam, πρέχηλον summam denique, carchesium appellant: vtraque verò latera veli in antenna suspensi dicuntur cornua: sed & tria velorum genera numerantur, nempe artemo, & acatium, quod maius est, dolo, quod minus: & ὄπισθιος, quod à tergo ponitur: lonem vulgo trinchetum appellant.

XXVI.

✠ Malus & vela expansa reducuntur ad vectem, vis enim mouens est ventus, qui eo maiorem vim acquirit, quanto fuerit pars longior vectis inter hypomochlion, & vim mouentem; pterna, seu calx mali est fulcimentum, carchesium est caput vectis, pondus est locus mediæ spondæ, in qua malus carinam deserit, vel tota nauis. Baldus tamen antennam reducit ad nouum genus ipsius vectis, cuius brachia in angulum desinunt, qualia sunt brachia mallei, quo clauos reuellimus; & forcipum, quæ morsu clauorum capita violenter è tabulis extrahunt: pondus siquidem est clauus euellendus.

XXVII.

Tametsi ventus secundus non fuerit, possumus tamen cornu antennarum ventis obiecto nauigare, quod Aristoteles dixit pedem facere, hoc est ita partem veli disponere, vt obliquo, vel etiam contrario vento vtamur; ad quod rudentes μιστεῖαι quibus detrahitur velum, & πρότονοι quibus intenduntur ad proram, & πρόπεδες quibus ad angulos conuertuntur, & laxantur, necessariæ

2009 Ministerio de Cultura

sunt. *Videatur Plin. l. 2. c. 47. & Galenus 1. de vsu part. c. 19. vbi de motu nauis mixto ex ventis, & remigantium robore.* Hinc fit vt naues eodem vento in partes contrarias agantur: vento enim exempli gratia, dextrorsum nauim pellente gubernaculum cum nautis illam siniſtrorsum rapit: ita tamen ventus præualere potest, vt inutilis sit remigum renixus, & industria, ideo que anchora iacienda est. *Sed postea de nauigatione pluribus agendum erit, itaque redeo ad libram & vectem.*

XXVIII.

Statera, seu trutina reducitur ad libram & vectem: & quæ Aristoteli φάλαγξ dicitur; illius autem partes sunt scapus; ansa fulcimento hærens: harpago, vel lanx: & æquipondium, quod appendiculum, & σφαῖρωμα vocant, quod omnia pondera distinctione punctorum in scapo notatorum supplet, ac vi mouenti respondet. Appendiculum autem paruilicet ponderis, æquilibre fit magnis ponderibus in lance appensis, eoque maioribus, quò longiùs à fulcimento sistitur, quod in extremo ansæ reperitur: seruata enim permutatim ponderum, & brachiorum proportione fit æquilibrium vt in vecte vel libra, ideoque proportiones brachiorum, seu spatiorum porportionibus ponderum, & contra, æquari debent: enimvero in æquilibri statera pondus lancis ita se habet ad pondus appendiculi, vt spatium inter fulcimentum & appendiculum ad spatium inter fulcimentum, & punctum, à quo lanx seu pondus dependet.

XXIX.

Cum statera duplex fulcimentum habet, illo grauiora appendimus pondera, quod propius est puncto in quo lanx appenditur, tunc enim vectis est maior. Possumus etiam yti statera, quæ stabile appendiculum, mobile autem fulcimentum habeat, quod cum erit in centro grauitatis, statera stabit, & ita diuisa erit, vt fiat brachiorum, & ponderum eadem ratio, ordine permutato: hæc tamen statera vt minus commoda, non est in vsu: quæ actu, & potestate libræ est totuplex, quotuplex est locus ansæ.

XXX.

Cum scapus integer ad pondus appensum eam rationem habet, quam duplum partis, quæ est ab ansa versus lancem, ad reliquum; tunc pondus scapum vniformem, & omnibus suis partibus æqualem in æquilibrio constituit: vt si scapus est 12 vnciarum, & pars à lance ad ansam 2; huius partis duplum est 4, reliquum 8, vt igitur 4 ad 8, ita scapus, idest 12, ad pondus nempe 24 vnciarum. Si verò pars ab ansa ad lancem sit 1, duplum erit 2, reliquum 10: vt igitur 2 ad 10, ita 12, hoc est

2009 Ministerio de Cultura

totus scapus, ad pondus nempe 60, vnciarum, quod per regulam trium reperitur. Cognoscitur autem ponderationis æquilibrium, cùm in appendendo scapus stateræ cum ansa rectos angulos constituit, & plano horizontis parallelus est.

XXXI.

Si stateram pro vecte sumas, trutina erit fulcimentum, seu hypomochlion, pondus leuandum, merx lanci imposita: potentia verò perpendiculum, seu appendiculum, ita vt quanto productior fuerit pars vectis, hoc est scapi, ab hypomoclio ad potentiam, tanto facilius potentia moueat. Statera autem de qua Arist. 20. quæst. plures trutinas actu distinctas habuisse videtur, itaut hasta statim in vna, statim in alia trutina susponderetur pro vario pondere determinando, quod fiebat eam proportionem inter pondus mercis, & æquipondij obseruando, quæ erat permutatim inter distantias vtrinque ab assumpta trutina, quæ in trutinando vicem hypomochij gerit: tunc autem merx est potentia mouens, pondus vero æquipondium, quod æquiponderabat nudæ lanci, vt tota statera per se æquilibrabilis esset. Hinc igitur constat stateram esse simul libram, & vectem; libram, quia quodlibet spartorum, seu trutinarum sit centrum libræ, cuius duæ lances sunt harpago, & æquipondium, quod tantumdem ponderis trahit, quantum est in harpagine: vectem autem, quamuis inuersum, ob rationes prædictas. Æquipondij vero grauitas in vno scapi puncto ad grauitatem eiusdem æquipondij in altero puncto se habet vt remotio ad remotionem, hoc est, vt longitudo scapi à fulcimento ad vnum punctum æquipondij, ad longitudinem scapi à fulcimento ad aliud punctum æquipondij.

XXXII.

Odontagrâ, seu dentiduco medici facilius quàm digitis dentes euellunt, quia odontagogum, hoc est dentiforceps habet rationem duplicis vectis oppositi; commissura enim, seu decussa connexio est hypomochlion, dens est pondus commouendum, qui eo facilius e gingiuæ suæ gynglimo eximitur, quo brachia forcipum longiora fuerint. Mauult tamen Vbaldus dentem, & forcipem vectium officio fungi; ita vt dens habeat fulcimentum in eo loco, in quo à breuiori dentiduci brachio tangitur, longius brachium sit potentia mouens, dentis verò resistentia ponderis vices referat. Quo vero maior fuerit proportio latitudinis dentis à fulcimento ad potentiam ad eam quæ est à fulcimento ad pondus, eo facilius auelletur.

XXXIII.

Nucifrangibulum certius quàm ictus frangit nuces: nisi enim mal-

leus ita incidat in nucem vt punctum quo planum mallei attingit nucem incidat in rectam lineam cum puncto plani, cui nux insistit, facilè elabitur, & ictum ob sui rotunditatem eludit. Quò verò manubria, seu brachia forcipis nucem frangentis longiora fuerint, & quò maior erit proportio spatii à vertebra, hoc est hypomochlio, ad extremitatem brachiorum seu ad potentiam mouentem, ad partem brachii quæ est à fulcimento ad nucem, eo validiùs nux frangetur; quò nux fulcimento propior fuerit, maior fiet vectium eleuatio, seu maior brachiorum apertio.

XXXIV.

Magnum quid is in mechanicis reperiet, qui proportionem inter vim dati nucifrangibuli, & cuiuscumque alterius forcipis, & vim ictus vel motus impressi dati assignauerit; hac enim ratione dici poterit quæ sit proportio ponderis, vel potentiæ pugni hominis ferientis, cùm ipso pugno non feriente: quod aliqui aiunt constare posse ex percussione lancis vacuæ collatæ cum plena: si enim ictus pugni, vel mallei deprimat lancem vacuam, præponderabit ponderi alterius lancis; alioqui lanx onerata grauior, vel fortior erit ictu dato: quod etiam in vecte, & stateris experiri possumus. Expertus sum quidem pondus vnius libræ cadens ex altitudine dimidii pedis vim æqualem habere 6 libris absque vllo motu chordæ æneæ insistenti: eundémque effectum præstare semilibram ex altitudine sesquipedali, & quadrantem libræ ex quadrupedali altitudine decidentem: sed vlterius inquirendum, antequam certam vllam inter prædicta proportionem statuamus.

XXXV.

Longa ligna manu, vel humero gestata longè difficiliùs ab extremo, quàm à medio sui gestantur, quia quò longiora sunt, eo magis flectuntur, & vibrantur, atque nutant, quapropter per lationem quæ fit sursum & deorsum centrum grauitatis mutant, & lationem anteriorem impediunt, latorem quodammodo retrahendo. Ratio verò mechanica est, quia lignum gestatum est vectis, potentia sustinens est manus; pondus, extremitas ligni remotior; humerus, fulcimentum; vel si manus est fulcimentum, humerus, aut quidpiam simile dicetur potentia sustinens. Itaque manus, vel humerus, hoc est potentia sustinens pondus debet esse ad pondus, vt totum lignum, id est totus vectis, ad partem eius quæ à potentia ad fulcimentum. Verbi gratiâ, si minima pars inter manum & humerum intercepta sit sextupla maximæ partis inter humerum, & extremum vectis in quo pendet pondus 6 librarum, interceptæ, humerus 36 libras feret; qui tamen in medio ligni constitutus 12 solùm libras gestaret: tunc enim extrema se inuicem

2007 Ministerio de Cultura

suſpendunt, librant, & ſubleuant, vt fiat æquilibrium. *Hinc habetur ratio cur haſta ſolo iacens manu ad alteram extremitatum appenſa difficillime extollatur.*

XXXVI.

Baculus, vel lancea digito faciliùs ſuſtinentur, ſi fuerint horizonti perpendiculares, quia tunc partes inferiores ſuſtinent ſuperiores: cùm autem baculus inclinatur, omnes partes ſine fulcimento tendunt deorſum: & hypomochlion non longè abeſt à vi mouente, à quo tamen longiùs diſtat alterum extremum inclinatum.

XXXVII.

Cùm idem pondus valde procerum eſt, difficiliùs ab humero fertur, quam cùm breuiùs eſt, quia quo magis extrema ligni ab eius centro recedunt, eo debiliora fiunt, ac proinde ſuopte pondere faciliùs nutant, ac ſuccuſſantur, & duplici preſſione grauant humerum: dum enim deorſum vergunt, impetu ex ipſa violentia acquiſito trahunt centrum humero ſuprapoſitum: quia tamen poſt depreſſionem extrema vibrata attolluntur, ſecúmque centrum ad ſuperiora trahere conantur, humerus alleuiatur. Vbi aduertendum dextrum humerum non adeo aptum eſſe ad onus ferendum ac ſiniſtrum, quia huius eſt ſuſtinere, illius vero, vt & cruris dextri, mouere, impellere, & trahere.

XXXVIII.

Ex duobus hominibus phalangâ, ſeu perticâ pondus ferentibus, ponderi vicinior magis premitur, atque laborat, quia phalangarius, ſeu baiulus ponderi, hoc eſt hypomochlio vicinior, habet rationem ponderis moti, baiulus vero remotior eſt potentia mouens, ex cuius parte ſe tenet longior pars perticæ, quæ vectis eſt. Vterque tamen baiulus fulcimentum, & potentia dici poteſt, eſt autem mobile quod inter vtrumque appendet. Quapropter potentia vnius ad alterius potentiam erit vt interualla inter potentias, & pondus reciprocè. Vtriſque autem vectis cum appenſo pondere innititur. *De reliquis viribus & machinis, & circuli mirabilibus ſequenti parte dicturi ſumus.*

2009 Ministerio de Cultura

TERTIA PARS.

DE VTILITATIBVS, ET mirabilibus circuli in mechanicis.

PROPOSITIONES.

I.

CIrculus, quem Aristoteles initio Mechanicæ, quantitatis ponderum, & potentiarum examinatricis, θαυμασιώτατον appellat, plurima complectitur, quæ mirabilia esse videntur. Primò, fit ex quodammodo contrariis, mouente, & immoto, quia dum vnum extremum diametri circulum describentis mouetur, alterum quiescit. 2. tametsi omnia puncta diametri, quæ sunt infinita, simul moueantur, inæqualiter tamen mouentur. 3. extremum diametri motum duobus motibus contrariis eodem tempore mouetur, vno naturali ad peripheriam, altero violento retrahente versus centrum. 4. terminus circuli, qui est vnica linea, latitudinis expers, est simul conuexus, & concauus, quæ duo contraria videntur. 5. eodem tempore ad contrarias loci differentias, nempe ante, & retro, sursum, & deorsum mouetur.

II.

Vbaldus negat primum mirabile circuli, quia quælibet pars diametri circulum describens mouetur, punctum autem immotum non est pars circuli: deinde, si diameter proportione crescceret & decrescceret & stante altero extremo moueretur, describeretur ellipsis. Tertiò, spiralis linea altero semidiametri extremo manente, altero motoproducitur: concluditque illud conuenire circulo, non quod vna semidiametri extremitas moueatur, alia stet, sed quia sua circulatione semper eandem seruat longitudinem. Præterea monet quartum θαυμασιον superficiei, ellipsi, hyperbolæ, parabolæ, spiræ, cyssoidi, conchoidi, & aliis infinitis curuis lineis conuenire. Denique negat quintum: qui enim per circuli circumferentiam ambularet, centrum semper haberet ad dextram, vel ad sinistram.

III.

2007 Ministerio de Cultura

III

His tamen nonobstantibus prædicta potiori aliquo iure circulo conueniunt; præter quæ vult Arist. radij circulum describentis duas lationes, nempe secundùm, & præter naturam, nullam habere rationem inter se, quæ vel numeris, vel lineis explicari queat; alioqui futurum esse, vt rectam describerent; sed eum Vbaldus arguit, cùm mixtus motus, qui nunquam proportione seruatâ fit, etiam ellipsim, & quamcumque aliam lineam, cuius nulla pars sit recta, describere posfit: imò demonstrat circulum ex mixto motu produci posse, qui aliquam proportionem, sed non eandem seruet.

IV.

Quæcumque ferè in mechanicis mirabilia contingunt, oriuntur ex secunda proprietate circuli, quia quod mouetur in puncto à centro remotiori, velociùs illo mouetur quod ab eo distat minus, ita vt velocitas, & facilitas motus se habeat ad velocitatem, vt circumferentia ad circumferentiam, & diameter ad diametrum. Qua proprietate, quóve principio libra, vectis, & aliæ machinæ nituntur.

V.

Præter dicta, multæ proprietates admirandæ circulo conueniunt; primum enim vnica linea simplicî, vniformi, carente fine & principio, finitâ tamen, constat: licet illa linea non faciat angulum, ad eum tamen proximè accedit, imò dici potest παίγωνος, & ἀλόγωνος. Hinc Benedictus vocat circulum, & sphæram figuras infinitorum angulorum rectorum; quem tamen numerum angulorum in circulo ait minorem esse duplo infinito per duo infinita angulorum contingentiæ, quæ duo infinita sunt minora quouis angulo acuto rectilineo: numerum autem angulorum rectorum solidorum sphæræ minorem esse quadruplo infinito per quatuor infinita angulorum solidorum contingentiæ: quæ quatuor infinita, minora sunt quouis angulo solido acuto terminato à tribus planis: negat autem circulum esse primam figuram, id enim triangulo conuenire ait, sicut pyramidi quadrilateræ, vt sit prima inter corpora, inter quæ sphæra est vltima, quemadmodum circulus est vltimus inter figuras. *Omitto alias circuli passiones, de quibus dictum est in Geometria.*

VI.

Rotundæ figuræ sunt reliquis mobiliores, quia planum quouis modo circumuolutæ in vno tantùm puncto tangunt, ideoque minus atteruntur, & impediuntur, quia faciunt angulos contingentiæ omni acuto rectilineo minores; hinc ad motum procliuiores sunt, parum enim absunt à plano propter angustiam anguli: & vnica linea plano

perpendiculari ſolo hæret ; vnde quodlibet eo difficiliùs mouetur, quo pluribus punctis planum tangit, tot enim lineæ perpendiculares per mobile tranſeuntes illud cum plano vniunt, atque fulciunt, ne deiiciatur : quapropter figurarum planum pro vertice habentium ſtabiliſſima cubus dicitur, quamuis procliuior ſit ad volutationem quàm retraëdrum, aut pentaëdrum, quia cùm pluribus planis claudatur, magis ad ſphæram accedit : nam quo plura latera, pluresve angulos figuræ regulares habuerint, eo viciniores circulo, vel ſphæræ, ac proinde mouentiores erunt: quò verò mobilis latus contingens planum latius fuerit, eò difficiliùs mouebitur, imò ſi planum mobilis, & planum quod tangit, eſſent perfectè plana, mobile ſuperiùs apprehenſum à plano ſubiecto vix diſiungi poſſet ; hinc aiunt multi, aut parietem perfectè planum non poſſe tangi à cubo æneo ita emiſſo è bombarda, vt aliqua cubi ſuperficies rectà verſus parietem tendat, quantumuis bombarda parieti vicina, & quantacumque violentia exploſa fuerit ; neque enim aër intermedius cedet ; *verùm ea de poſtea.*

VII.

Aliæ ſunt rationes, ob quas figura circularis mobilior eſt : 1. quia in omni poſitu dimidia ſui parte quoquouerſum ad planum acclinat ; ideoque ſphæricum ad latus quacumque vi mouebitur, quæ aërem impulſu, vel tractu diuidere poterit : cùm vnicus aër circumſtans motum impediat. Hinc perpetua eſt circuli propenſio ad motum : quò verò circulus maior fuerit, tanto nutus eius, ſeu propenſio ad motum maior erit, quia extremitas diametri maioris remotior eſt à loco ſuo naturali, ad quem propterea magis conatur, eſt autem nutus, ſeu πρόσπτωσις vis à Deo vnicuique rei impreſſa, qua in loco ſuo naturali quieſcit, & volenti ab eo diſpellere, reſiſtit ; quæ reſiſtentia dicitur ἀντιρεῖσις. Cùm autem omnis circulus infinitos concentricos intra ſe contineat, omnis peripheria nutum habet infinitum, ac proinde perpetuum ad motum.

VIII.

Linea recta ab extremo ſemidiametri in diametrum perpendiculariter acta demonſtrat qualis ſit nutus ; nam quo maior eſt ſemidiameter, eo maior eſt prædicta linea, prædictúſque nutus ; linea enim recta ducta à termino, à quo mobile mouetur, vſque ad terminum, in quo quieſcit, dicitur *linea nutus* ; eademque in terminis contrariis, *linea renixu.* : illas verò ſecans linea ad angulos inæquales, dicitur *linea obliqui nutus*, vel *renixus*: ſecans autem ad rectos, nec eſt ad nutum nec ad renixum. Angulus autem ad angulum nutare dicitur, cùm in angu-

2006 Ministerio de Cultura

lorum æqualitatẽ erurum eſt inæqualitas. Ex illo autem perpetuo nutu fit vt cùm globum voluimus, eum iam veluti proprio nutu ſe mouentem moueamus; nam poſt motum ad centrum vniuerſi, maximè circularem deſiderat: & linea perpendicularis ducta à puncto contactus ad diametrum globi demonſtrat eum eſſe in æquilibrio; quælibet autem vis duo pondera æquilibria ab hoc ſtatu æquilibri dimouere poteſt.

IX.

Quo circuli maiores, eo mouentiores ob rationes prædictas; & quia eorum anguli contingentiæ minores ſunt: vnde quò rotæ curruum ſunt maiores, eò ad celeritatem, & motus facilitatem commodiores: Quò etiam ſarcina eſt altior, faciliùs trahitur ab equo, quàm vbi depreſſior eſt, quia tunc non nihil ferenda & non ſolùm trahenda: modo tamen non adeò ſit alta, vt iugum ex collo præ pondere poſteriore trahat: cum autem onus ſimul trahendum, & ſuſtinendum eſt, vt in bellicis tormentis, vnus equus iugum ſuſtinere, alij loris trahere debent. Hinc explicari poteſt cur binæ rotæ quaternis faciliores ſint: cur prioribus poſteriores rotas maiores eſſe oporteat; quare ſarcina in anteriore plauſtri parte poni debeat, &c. quæ ex dictis, vel ex dicendis concludi poſſunt.

X.

Quando duo vel plures circuli ita firmiter eidem axi iunguntur, & circa eum conuoluuntur, vt minores tantùm ad maioris motum, vel maior ad minorum motum moueantur, minor motu maioris lineam eiuſdem longitudinis ſuâ circumferentia deſcribit, cuius eſt linea à circumferentia maioris deſcripta, etiamſi maioris circuli diameter millecupla eſſet diametri minoris: ſi verò maior circulus ad motum minoris feratur circa axem, linea deſcripta à maiori ad breuitatem lineæ deſcriptæ à minori redigetur. Quod quidem mirabile eſſe videtur, cùm vtrique planum ſubiectum in toto motu tangant, neque vllam partem plani pars vlla circumferentiæ bis tangat, aut tranſiliat. Vnde ſequi videtur circulum quemlibet maximum æqualem videri circulo quantumlibet minimo, & contra, cùm vterque maior, & minor ſint æquales vni tertio, nempe lineæ rectæ ab vtroque deſcriptæ.

XI.

Ratio cur circuli adeò inæquales eandem lineam deſcribant, ex eo ſumenda eſt, quod minor, aut maior, non proprio motu, ſed violento alterius moueatur: circulus enim ab alio motus extenditur, & applicatur ſecundùm extenſionem mouentis, adeo vt motus minoris, ra-

factioni; maioris verò, condensationi comparari possit: maioris autem condensationem cum luce in vnicum à speculo parabolico punctum coacta conferunt. Itaque cessabit admiratio si consideremus minorem non exercere motum suum, cùm transfertur à maiori; hinc fit vt aliqui negent centrum maioris esse centrum minoris, quod nempe feratur, cùm tamen centrum maioris agat, & moueatur.

XII.

Cùm minor circulus motu maioris circumuolutus spatio maioris æquale spatium conficit, tarditas minoris raritati, maiorisque velocitas densitati comparatur, adeò vt quod est in tempore successiuo tarditas, in loco permanente raritas, & quod in illo celeritas, in isto densitas esse videatur: quemadmodum enim densitas partes quantitatis permanentis, ita celeritas partes quantitatis successiuæ comprimit: & sicut celeritas, aut tarditas motus, ita densitas & raritas corporis semper maior fieri potest; motus enim qui fit à digito spatio vnius minuti horæ, ita tardus esse potest, vt tot annorum duret milliones, quot arenas firmamentum continere potest: hinc motus firmamenti, qui factus est à principio mundi vsque ad annum 1644. ab Oriente in Occidentem, totus fieri potest durante vnico horæ minuto: Granum etiam sinapis ita rarefieri, vt totum firmamentum compleat, & totus mundus ita condensari, vt in grano sinapis concludatur.

XIII.

Rotundorum motus sex species assignantur; nam sphæricum per se, vel ab alio mouetur; *per se*, vt cœlum, cuius nulla pars primò moueri dicitur: *ab alio*, cùm pars aliqua primò mouetur, idque vel progrediente axe, vel manente: *progrediente*, cùm motus incipit à circumferentia, vt in rota super planum volutata: vel cùm incipit ab axe, vt in rota per axem currus circumducta. *Manente* verò, vel axe moto in suo loco, vel immoto: *moto*, vel cum motus incipit à circumferentia, vt in succula per collopes versa; vel cum incipit ab axe, vt in mola, qua acuuntur gladij. *Immoto*, vt in trochlea, cuius vertentis per funes motus incipit à circumferentia, sed axe penitus immoto. Deinceps verò de trochleis, succulis, & aliis machinis agendum est.

2009 Ministerio de Cultura

QVARTA PARS.

DE TROCHLEIS.

PROPOSITIONES.

I.

TRochlea est instrumentum tractorium ex rotula circa axiculum fixum alicubi appensum per funem ductarium in eius circumferentia circumuoluta, quæ pro libito multiplicatur, vt fiat trispaston, pentespaston, polyspaston, &c. in quibus rotulæ sibi inuicem seruientes onus attrahendum ita diuidunt, vt facillimè attrahatur. Simplex autem trochlea, qualis est ea, qua haurimus aquam ex puteis, nullam vim moueti addit, sed tantùm impedimenta tollit.

II.

Trochlea reduci potest ad vectem, cuius fulcimentum, seu hypomochlion est in medio, à quo cùm pondus, & potentia in extremitatibus funis circumducti æquidistant, sunt in æquilibrio, cùm sit eadem proportio ponderis ad potentiam, quæ distantiæ ad distantiam: diameter autem rotulæ motæ vectis euadit. Id autem ita Guid. Vbaldus concepit. Si funis trochleæ supernè appensæ orbiculo circumducatur, alterúmque eius extremum ponderi alligetur, altero interim à potentia pondus sustinente apprehenso; erit potentia ponderi æqualis. Vnde constat iterum idem pondus ab eadem potentia absque trochleæ auxilio sustineri posse.

III.

Si funis orbiculo trochleæ ponderi alligatæ circumducatur, altero eius extremo alicubi religato, altero verò à potentia pondus sustinente apprehenso; erit potentia ponderis subdupla. Vnde sequitur pondus hoc modo à minori in subdupla proportione potentiâ sustineri, quàm sine vllo huiusmodi trochleæ auxilio.

IV.

Si vtriusque duarum trochlearum singulis orbiculis, quarum altera supernè, altera verò infernè constituta, ponderíque alligata fuerit, circumducatur funis, altero eius extremo alicubi religato, altero verò à potentia pondus sustinente detento; erit potentia ponderis subdupla.

V.

Si vtrisque duarum trochlearum singulis orbiculis, quarum altera supernè, altera verò infernè constituta, ponderique alligata fuerit, circumducatur funis: altero eius extremo inferiori trochleæ religato, altero verò à potentia pondus sustinente detento: erit potentia ponderis subtripla; quilibet enim funis tertiam ponderis partem sustinebit.

VI.

Si tribus duarum trochlearum orbiculis, quarum altera supernè vnico duntaxat, altera verò infernè, duobus autem insignita orbiculis, ponderíque alligata constituta fuerit, funis circumponatur; altero eius extremo alicubi religato, altero verò à potentia pondus sustinente retento; erit potentia ponderis subquadrupla: & ideo quilibet funis quartam ponderis partem sustinebit.

VII.

Si quatuor duarum trochlearum binis orbiculis, quarum altera supernè, altera verò infernè, ponderíque alligata, dispositа fuerit, circumducatur funis: altero eius extremo inferiori trochleæ religato, altero verò à potentia pondus sustinente retento: erit potentia ponderis subquintupla. Vnde constat orbiculos trochleæ, cui est alligatum pondus, efficere, vt pondus minore sustineatur potentia, quàm sit ipsum pondus: quod trochleæ superioris orbiculi non efficiunt.

VIII.

Si funis orbiculo trochleæ sursum appensæ fuerit circumuolutus, cuius altero extremo sit alligatum pondus: alteri autem mouens collocata sit potentia: mouebit hæc vecte horizonti semper æquidistante. Igitur spatium potentiæ pondus mouentis est æquale spatio eiusdem ponderis moti. Præterea potentia idem pondus per æquale spatium in æquali tempore mouet, tam fune hoc modo orbiculo trochleæ sursum appensæ circumuoluto, quàm sine trochlea, dummodo ipsius potentiæ lationes in velocitate sint æquales.

IX.

Si funis orbiculo trochleæ ponderi alligatæ fuerit circumuolutus, qui in altero eius extremo alicubi religetur, altero autem à potentia mouente pondus apprehenso: vecte semper horizonti æquidistante potentia mouebit. Iisdemque positis, spatium potentiæ pondus mouentis duplum est spatij eiusdem ponderis moti. Potentia deinde idem pondus in æquali tempore per dimidium spatium mouebit fune circa orbiculum trochleæ ponderi alligatæ reuoluto, quàm sine trochlea: dummodo ipsius potentiæ velocitates motuum sint æquales.

2011 Ministerio de Cultura

Si funis circa plures reuoluatur orbiculos, altero eius extremo alicubi religato, altero autem à potentia pondus mouente detento: potentia vectibus horizonti semper æquidistantibus mouebit. Iisdem positis, spatium potentiæ duplum est spatij ponderis. Præterea potentia idem pondus in æquali tempore per dimidium spatium mouebit fune circa duos orbiculos reuoluto, quorum vnus sit trochleæ superioris, alter verò sit trochleæ ponderi alligatæ; quàm sine trochleis, dummodo ipsius potentiæ lationes sint æqualiter veloces.

XI.

Fune circa singulos duarum trochlearum orbiculos, quarum altera supernè, altera verò infernè, ponderique alligata fuerit, reuoluto: altero etiam eius extremo inferiori trochleæ religato, altero autem à mouente potentia detento: erit decursum trahentis potentiæ spatium, moti ponderis spatij triplum. Vnde tempus istius motus cognoscitur, eadem enim potentia in æquali tempore, spatio secundum triplum ampliori sine huiusmodi trochleis idem pondus mouebit, quàm cum eisdem hoc modo accommodatis. Spatium ponderis sine trochleis moti æquale est spatio potentiæ; qua ratione in omnibus tempus inueniemus.

XII.

Fune circa tres duarum trochlearum orbiculos, quarum altera supernè vnico dumtaxat, altera infernè, duobus autem insignita orbiculis, ponderique alligata fuerit, reuoluto: altero eius extremo alicubi religato, altero autem à potentia pondus mouente detento: erit decursum trahentis potentiæ spatium moti ponderis spatij quadruplum. Hinc patet ita se habere pondus ad potentiam ipsum sustinentem, vt spatium potentiæ mouentis ad spatium ponderis moti. Deinde orbiculos trochleæ ponderi alligatæ efficere, vt à moto pondere minus, quàm à trahente potentia describatur spatium: maiorique tempore datum æquale spatium describi, quam sine illis. Quod quidem orbiculi trochleæ superioris non efficiunt.

XIII.

Si funis orbiculo trochleæ à potentia sursum detentæ fuerit circumuolutus: altero eius extremo alicubi religato, alteri verò pendere appenso, dupla erit ponderis potentia. Quibus positis mouebit hæc eadem vecte horizonti semper æquidistante, per 14 prop. Guid. Vbaldi: & spatium ponderis moti duplum erit spatij potentiæ mouentis. Vnde sequitur, idem pondus trahi ab eadem potentia in æquali tempore per duplum spatium trochleâ hoc modo accommodata, quàm sine trochlea: dummodo ipsius potentiæ lationes in velocitate

2009 Ministerio de Cultura

sint æquales. Spatium enim ponderis moti sine trochlea æquale est spatio potentiæ.

XIV.

Si vtriusque duarum trochlearum singulis orbiculis, quarum vna supernè à potentia sustineatur, altera vero infernè, ibique affixa, consupernè à potentia sustineatur, altera vero infernè, ibique affixa, constituta fuerit, funis circumducatur: altero eius extremo superiori trochleæ religato, alteri vero pondere appenso: tripla erit ponderis potentia. Et spatium ponderis moti triplum erit spatij potentiæ motæ.

XV.

Si vtriusque duarum trochlearum binis orbiculis, quarum alterna supernè à potentia sustineatur, altera vero infernè, ibique annexa, collocata fuerit, funis circumducatur: altero eius extremo alicubi, non autem superiori trochleæ religato, alteri vero pondere appenso: quadrupla erit ponderis potentia: & spatium ponderis moti quadruplum erit spatij potentiæ: & sic in infinitum omnis potentiæ ad pondus multiplex proportio inueniri poterit, ostendeturque semper ita esse pondus ad potentiam ipsum sustinentem, sicuti spatium potentiæ, pondus mouentis, ad spatium ponderis moti.

XVI.

Vectium ipsorum orbiculorum motus ita fit, vt vectes orbiculorum trochleæ superioris moueantur, id est, habeant fulcimentum in extremitate, potentiam in medio; & pondus in altera extremitate appensum: vectes verò trochleæ inferioris habent fulcimentum in medio, pondus, & potentiam in extremitatibus. Hinc constat orbiculos trochleæ superioris efficere, vt pondus moueatur maiori potentia, quàm sit ipsum pondus, & per maius spatium potentiæ spatio, & per æquale tempore minori: quod quidem orbiculi trochleæ inferioris non efficiunt.

XVII.

Si vtriusque duarum trochlearum singulis orbiculis, quarum altera supernè appensa, altera verò infernè, à sustinente potentia retenta fuerit, funis circumuoluatur: altero eius extremo alicubi religato, alteri autem pondere appenso; dupla erit ponderis potentia. Vnde patet orbiculos trochleæ inferioris in his efficere vt pondus maiori potentia moueatur, quàm sit ipsum pondus, & per maius spatium spatio potentiæ, & minori tempore per æquale: quod quidem orbiculi superioris trochleæ non efficiunt.

XVIII.

Si vtriusque duarum trochlearum singulis orbiculis, quarum altera supernè

2009 Ministerio de Cultura

ſupernè à potentia ſuſtineatur, altera verò inferne, ponderique alligata, conſtituta fuerit, funis reuoluatur: altero verò inferiori trochleæ religato: pondus potentiæ, ſicut & ſpatium potentiæ ſpatij ponderis, ſeſquialterum erit.

XIX.

Si tribus duarum trochlearum orbiculis, quarum altera vnius tantùm orbiculi ſuperne potentia ſuſtineatur, altera verò duorum inferne, ponderique alligata, collocata fuerit, funis circumuoluatur: altero eius extremo alicubi, altero autem ſuperiori trochleæ religato. pondus potentiæ ſeſquitertium erit, ſicut & ſpatij ponderis.

XX.

Si vtriuſque duarum trochlearum ſingulis orbiculis quarum altera ſupernè à potentia ſuſtineatur, altera verò inferne, ponderique alligata collocata fuerit, circumducatur funis: altero eius extremo alicubi, altero autem ſuperiori trochleæ religato, erit potentia ponderis ſeſquialtera, ſicut & ſpatium ponderis ſpatij potentiæ ſeſquialterum: & ſic procedendo in infinitum ſemper oſtendemus potentiam pondus ſuſtinentem ita eſſe ad pondus, vt ſpatium ponderis ad ſpatium potentiæ pondus mouentis.

XXI.

Si vtriuſque duarum trochlearum ſingulis orbiculis, quarum altera ſuperne à potentia ſuſtineatur, altera vero inferne, ponderique alligata, conſtituta fuerit, circumferatur funis, vtroque eius extremo alicubi, non autem trochleis religato: æqualis erit ponderi potentia.

XXII.

Si tribus duarum trochlearum orbiculis, quarum altera vnius dumtaxat orbiculi ſuperne à potentia ſuſtineatur, altera verò duorum inferne, ponderique alligata fuerit conſtituta, circumdetur funis: vtroque eius extremo alicubi, ſed non ſuperiori trochleæ religato: duplum erit pondus potentiæ: ſpatiumque potentiæ duplum erit ſpatiis ponderis.

XXIII.

Si tribus duarum trochlearum orbiculis quarum altera binis inſignita rotulis à potentia ſuperne detineatur: altera vero vnius tantum rotulæ inferne conſtituta, ac ponderi alligata fuerit, circumuoluatur funis: vtroque eius extremo alicubi, non autem inferiori trochleæ religato: dupla erit ponderis potentia. Videatur Vbaldus, qui prop. 26. problematicâ modum oſtendit, quo reperiatur proportio ſuperpartiens, multiplex ſuperparticularis, & multiplex ſuperpartiens, quam habet pondus ad potentiam pondus ſuſtinentem; ita vt pluribus

funibus, & trochleis superioribus tantùm, vel superioribus vti possimus. Sed & quæcunque alia proportio infinitis modis inueniri potest, cum omnis ex infinitis proportionibus componi possit, vt ostendit Eutocius in 4. prop. lib. 2. Archim. de sphæra, & cylindro. In his autem maiorem semper proportionem habebit spatium potentiæ mouentis ad spatium ponderis moti, quàm pondus ad eandem potentiam.

XXIV.

Ex his omnibus sequitur datum pondus à data potentia trochleis, sicut & vectibus moueri posse, idque per data spatia sibi inuicem longitudine commensurabilia: & quamlibet datam in numeris proportionem inter pondus, & potentiam: ac inter spatium ponderis moti, & spatium potentiæ motæ, infinitis modis trochleis inueniri posse. Denique quò pondus facilius mouetur, eo quoque tempus maius esse: quò verò difficilius, eo mínus esse: & è conuerso.

XXV.

Non est simpliciter verum quod ait Aristoteles q. 9. nempe ea celerius, & facilius moueri, quæ maioribus trochleis, & scytalis mouentur; nam quando funis vni trochleæ siue maiori siue minori circumducitur, si in duobus extremis chordæ æqualia pondera suspendantur, erunt in æquilibrio, quod æquali superaddito pondere æque tolletur in minori, ac in maiori trochlea: brachia enim bifariam diuiduntur, & in vtrisque eadem est brachiorum proportio, & eadem ponderum ratio. Verum autem erit dictum Aristotelis, quando trochlea maior maiorem habet rationem ad suum axem, quam minor ad suum. Vnde patet trochleam illam facillimè pondus trahere, quæ cum maxima sit, minimum axem habet, eumque axungiâ perfusum.

XXVI.

Quò longitudo manubrij rotæ maiorem habet proportionem ad axis semidiametrũ, eo facilius mouet. Reducitur autem ad illud vectis genus, in quo fulcimentum est inter pondus, & potentiam: nihil autem refert vtrum rotæ lateri vel axi manubrium affigatur, vel rectis, aut curuis partibus constet. Quamuis autem rota grauior ob maiorem resistentiam difficilius moueatur, licet æqualis sit magnitudinis, tardius tamen cessat à motu, quia impetum impressum diutius retinet; vt contingit in proiecto lapide cum palea comparato. Alia verò quæ ad scytalas, & alias machinas attinent, in sequentibus explicabuntur.

2008 Ministerio de Cultura

QVINTA PARS.

DE SCYTALIS, ERGATIS, AXE in peritrochio, tollenone, cochlea, pancratio, &c.

PArum differunt ſcytalæ, ergatæ, & axis in perittochio, cum circa illorum axem funis ductarius voluatur; ergata tamen, ſeu πογὸν axem horizonti perpendicularem habere, vel duabus trabibus perpendiculariter erectis fulciri dicitur; ſuccula verò, Græcis ὄνος ſupinum axem habet, vel quatuor tignis ex vtraque parte binis ſuſtentatur: de qua loquitur Hippocrates lib. 3. de fracturis. Cæterum hæc omnia ad vectem reduci conſtat ex ſequentibus propoſitionibus. Aduertendum eſt autem ſucculas pro collopibus à quibuſdam ſumi, quibus ergatæ, vel axes mouentur, ſed nos vitandæ confuſionis gratiâ illa duo nomina ſemper diſtinguemus.

PROPOSITIONES.

I.

RAtio cur maiores collopes circa eandem ergatam facilius moueantur, vel ſaltem maiora pondera moueant, ex eo petenda, quod maiores lineæ ex centro celerius moueantur ab eadem vi; collopes autem, quibus ergatæ, & ſucculæ voluuntur, linearum & vectium rationem habent; centrum vero eſt in medio axis. Vnde fit etiam vt ſucculæ graciliores facilius moueantur, quia collopes ſunt tanto maiores, quanto ſuccula gracilior fuerit.

II.

Omiſsâ ſcytalâ Laconicâ apud Lacedæmonios in litteris ſcribendis vſurpata, quæ fuit lignum teres oblongum, inſtar cylindri, circa quod chartam exaratam ſpiratim circumuoluebant, ad ſcytalas vectorias accedo, quibus onera facilius quam curribus portantur, quamuis illæ minores rotas habeant, hæ ſiquidem rotæ ſcytalis coniunguntur, atque adeo ſimul conuertuntur: hinc in ſcytalis nulla eſt offenſatio, neque huc illuc nutant, vt rotæ curruum quæ ab axe

2009 Ministerio de Cultura

seiunctæ sunt: & ab ipso onere iam commoto, supra, & simul à potentia mouentur. His autem succulis siue rotatis, siue non, architecti, lapicidæ, & alij artifices sæpissimè vtuntur, cum lapides, naues, trabes, aut alia quæpiam grauissima pondera per horizontis planum transferunt; cùm enim centra scytalarum ab horizontis plano æqualiter distant, pondus æquidistanter horizonti mouetur, & ideo centrum grauitatis illius nusquam in motu qui fit, eleuatur. In his vero tarditatem motus, qui in eo tardior, quo vectes, vel collopes longiores, mouendi facilitas abunde compensat.

III.

Potentia pondus sustinens axe in peritrochio ad pondus eandem habet proportionem, quam semidiameter axis ad semidiametrum tympani, vnà cum collope. Hinc fit vt potentia semper minor sit pondere, cum semidiameter axis semper minor sit semidiametro tympani: & potentia eo minor sit pondere, quo semidiameter axis minor est semidiametro tympani vnà cum collope. Inde vero concluditur ita esse pondus ad potentiam pondus sustinentem, vt spatium potentiæ mouentis ad spatium ponderis moti; maioremque semper habere proportionem spatium potentiæ mouentis ad spatium ponderis moti, quàm pondus ad eandem potentiam. At quo facilius pondus mouetur, eo quoque tempus maius est; & quo difficilius, eo minus: & è conuerso.

IV.

Paruo cuneo valida fit impressio, magnæque finduntur moles: qui reducitur ad vectes, quorum hypomochlion est in extremo apice cunei, pondus vero intra vectem, ea videlicet ligni pars, quæ à cuneo vrgetur, ac diuellitur, cuneo autem valida mallei percussio vires addit: hinc fit vt cunei virtus partim ex duplici vecte, partim ex mallei percussione constet: quanquam illum ita considerare possimus, vt dum ingreditur, id quod scinditur, nihil aliud sit quàm pondus supra planum horizonti inclinatum mouere: ideoque ad libram reduci potest; eadem est enim ratio, siue manente cuneo, vt pondus super cunei latus moueatur, siue eodem etiam moto, pondus adhuc super ipsius latus moueatur, tanquam super planum horizonti inclinatum.

V.

Quò minor est cunei angulus ad verticem, hoc est, quo cuneus acutior est, quò malleus est grauior, & durior: quò maius est manubrium mallei, quo vtimur, vt cuneum percutiamus, eo maior est effectus; & quidem tantus vt à nullo alio vecte, aut vllâ cochleâ supleri possit. Húcque enses, gladij, mucrones, secures, serra, cuius dentes instar cunei percutiunt, dolabra, & lima, quorum tot cunei,

20[illegible] Ministerio de Cultura

quot denticuli: necnon venenatorum, & aliorum animalium mordentium, & omnium instrumentorum vulnera inferentium dentes, stimuli, & acumina referri possunt. *Quanquam id alij de serra, & lima negant, quod alibi fortè discutiemus.*

VI.

Duplicem cuneorum speciem, linearem & superficialem Baldus statuit; linearis complectitur acus, subulas, clauos, enses, aculeatam culicis proboscidem; apum, vesparum, scorpionum culeos, &c. quæ quanto magis ad imaginariæ lineæ subtilitatem accedunt, tanto magis, & facilius penetrant. Hæc autem cuneorum species, siue angularis, siue rotunda fuerit, adeo subtilis esse, & tanta celeritate cutem, imo forte totum corpus penetrare potest, vix vt sentiatur.

VII.

Superficialis cuneorum species acie in lineam superficiei terminum desinens continet cultra, enses, secures, scalpra lata, &c. quorum illa validissime scindunt, quæ maxime ad superficiei naturam accedunt: hinc dentes anteriores superficiem magis imitantur, quia scindere debent; eum dentes canini ad linearem cuneum magis accidere videantur, vt melius perforent: molares enim contundunt.

VIII.

In actu scissionis cuneo factæ, rei scissæ partes vt vectes considerari possunt, quorum fulcimenta erunt in superficie partium externarum, fere è directo verticis cunei: potentiæ erunt in extremitatibus partium fissarum cuneum contingentibus: pondus vero materiæ resistentia in loco separationis: in ipsa vero scissione fulcimentum, ac portio assidue mutatur, ita tamen vt progrediente scissione posterior priori semper facilior euadat, quod non solùm materiarij in primis, & sequentibus ictibus securiculæ, sed etiam in baculorum fissione, quæ fit diductis manibus, singuli experiuntur: quia vectis inter pondus, & potentiam semper maior efficitur.

IX.

Celonium, seu tolleno, quo aqua hauritur, pondere in alteram partem prægrauante, ad vectem reducitur, trabis enim seu tigni erecti axiculus est hypomochlion; hasta transuersa, vectis: pondus, hydria, situla, vel aliud vas, quo hauritur aqua, vnà cum fune sustinente: denique potentia est onus, quod in altera parte hastæ positum vnà cum manu vectem ita premit, vt situlam prius immersam eleuet.

X.

Quemadmodum cuneus est vectis multiplicatus, ita cochlea est vectis continuatus cylindro circumuolutus helicis instar, percussionis

2009 Ministerio de Cultura

quidem expers, sed per vectem cylindri axi annexum versus faciens motionem magnorum ponderum, siue impellendo, siue attrahendo, siue attollendo, prout cylindrus cochleæ positus erit ad planum horizontis cum, vel absque sua matrice. Helices autem cochleæ sunt latus, cunei reuolutum circa cylindrum.

XI.

Illa cochlea dicitur infinita, quæ tympanum iunctum habet, cuius dentes cochleæ helicibus ita accommodantur, vt dum circumuertuntur, semper eodem modo sese habeant; quæ tametsi duo incommoda habere dicatur; nempe quod obliquè trahat, & quod in ea ponderis varia ratione non possit diminui mora temporis, duo tamen habet maxima commoda, tantum enim vnica lineâ spirali potest, quantum alia instrumenta cum pluribus rotis coniunctis: deinde absque vllo fulcro, seu retinaculo in quacumque parte quiescere potest absque eo quod pondus recidat.

XII.

Quo plures sunt helices, & quo obliquiores, quoue longiora fuerint manubria, eò pondus faciliùs, quamuis tardiùs mouebitur. Quò verò plures erunt matricis cochleæ helices, eo minus in pondere mouendo cochlea patietur: nam cùm vnicam habet helicem, totum pondus à sola cochleæ sustinebitur helice: cum verò plures habet, in totidem cochleæ helices ponderis grauitas distribuetur; vt si 20 helices fuerint, vnaquæque helix vigesimam totius ponderis portionem sustinebit.

XIII.

Ex dictis omnium instrumentorum vim determinare possumus: exempli gratiâ detur prælum vinarium, cuius cochlea suas helices habeat à se inuicem latitudine pollicis distantes; vectis autem à centro cochleæ, seu cylindri helicibus circumdati ad manum prementis septem pedes habeat, ita vt integra vectis circumuolutio 22. pedibus, seu 264. pollicibus constet; dico vim præli tantam esse, quanta ponderis 13200 librarum, quibus racemi, oleæ, vel alia prælo subdita perpendiculariter prementur, dummodo hominis vectem circumducentis potentia 50 librarum fuerit, idque eodem tempore quo cochlea vnius pollicis latitudine deprimetur: nam vectis circumuolutio per vim hominis multiplicata, prædictum 13200 librarum pondus tribuit. Idem verò continget, si portio vectis inter hypomochlion & pondus vnicam partem, portio verò inter hypomochlion, & potentiam 50 libris æquiualentem 264 partes prædictæ æquales habeat: potentia enim pondus 13200 librarum attollet: vel in æquilibrio sustinebit. Hinc etiam reliquorum prælorum, nec non forcipum helices haben-

2009 Ministerio de Cultura

tium, quibus fabri ferrarij, typographi, & alij artifices vtuntur, vis concludi potest, dummodo detur potentia, in quibus videlicet, vt in prælo, & in vecte progrediendum est.

XIV.

Audax illa Archimedis propositio, δός μοι πού στῶ, καὶ κινῶ τὴν γῆν, & alia similis, τῇ δοθείσῃ δυνάμει τὸ δοθὲν βάρος κινῆσαι, pluribus instrumentis soluitur, maximè tamen Charistio, & Pancratio, quod 30 orbiculis, axiculisq; conflatum, cuius maximus asteriscus minimi sit decuplus; manubrij vero flexura maximi asteriscì semidiametro, & succula minimo asteriscо æqualis; pondus enim ab hac succula ad alterum sibi æquilibre è manubrio suppensum erit in ratione 10000000000000000000000000000000000000000000000000 ad 1. Hinc positâ perimetro minimi asteriscì pedis vnius, tympani perimeter per cuius centrum inductus est axis perimetri pedalis, manubrio æquepotens totidem esset pedum quot vnitates præcedens numerus complectitur.

XV.

Si quis pusio paulo efficacius quam sit vnius libræ pondus Pancratij manubrium infimo asteriscо affixum versauerit, summo axe, qui ne quidem semel in die circumducetur, funem absoluet 10000000000000000000000000000000000000000000000000 libras ducentem, quæ vniuersæ terræ molem quater millies suo pondere superant. Iam verò pondus terræ iusto maius, nempe 240000000000000000000000000000000000000000000000 librarum esse supponamus, nec non hominem singulis manubrij versuris centum libras tres pedes sublimè attollere, horisque singulis 4000 versationes cõficere, idque iugi decem annorum motu, annis singulis 365 diebus definitis, terra, isto temporis spatio $\frac{10512}{240000000000000000000000000000000000000000000000}$ vnius pedis è sua sede mouebitur. Quæ tametsi non possint à nobis in praxim redigi, ostendunt tamen quanta sit Mechanicæ potentia. Hinc concludi potest qua ratione ita rotæ disponi possint, vt suopte veluti nutu spatium ambitu terreno millies maius conficiant.

XVI.

In prædictis, & aliis quibuscumque machinis maior est mouendi difficultas, quàm absque illis: licet enim augeant potentiam, moram temporis ita producunt, vt quod vnus homo spatio centum dierum, vel annorum beneficio machinæ facit, idem absque machina centum homines vno die, vel anno facturi sint: quibus præter æqualitatem virium, instrumentorum pondus, & mouendi difficultas addenda sunt. Exempli gratiâ, si fiant sex rotæ, quarum vnaquæque nonaginta sex dentes habeat, eisque sex axiculi, quos Galli vocant *pi-*

2009 Ministerio de Cultura

grons, accommodentur, quorum vnuſquiſque octo denticulos habeat, primus primæ rotæ denticulus duodecies voluetur, quandiu rota hæc vnicum circuitum efficiet: ſecundus vero axiculus duodecies duodecim hoc eſt 144; tertius duodecies 144, & ſic deinceps vſque ad ſextum, qui durante vnico primæ rotæ circuitu, voluetur 2985984. Quapropter ſi quis quotidie ſpatio $298\frac{1}{2}$ dierum manubrium mille decies circumagat, prima rota vnicum circuitum peraget: pondus verò libræ vnius in axe manubrii ſuſpenſum æqueponderabit 2985984 libris ab axe primæ rotæ ſuſpenſis. Quot autẽ nouæ rotæ cum axiculis addentur, toties vis, mora temporis, & manubrij celeritas ex æquo, hoc eſt duodecies multiplicabuntur, quarum proinde vnaquæque centuplo, vel millecuplo vim, & celeritatem multiplicatura eſt, ſi axiculus centies, millies circumagitur, vt prima rota vnicum circuitum conficiat.

XVII.

Facile eſt definire quid aëris, & aquæ rarefactione, quidve metu vacui in machinis pneumaticis, & hydraulicis fieri poſſit, ſi ſupponamus quamlibet aëris, aquæ, & alterius liquoris partem in infinitum augeri poſſe per rarefactionem, & minui per condenſationem. Hinc enim ea ſoluentur quæ vi pulueris pyrij in tormentis bellicis, in cucurbitis, lagenis, & doliis liquore plenis, & in aliis inſtrumẽtis fiũt, vt thermoſcopiis, &c. de quibus fusè ſatis in Hydraulico Pneumaticis, quibus puto me ſpei quam ad huius 2. Libri Mechanicorum calcem primâ editione ſynopſeos inieceram, vtcumque ſatisfeciſſe: & quibus Hydroſtaticam ſubieci, ne quis hic illam quærat, vt in editione prima, in qua fecerat tertium librum Mechanicorum.

MONITVM.

LEctoribus innoteſcet duos prædictos mechanicorum libros plurima complecti quæ deſunt noſtris Phænomenis mechanicis, hoſque tractatus ſibi inuicem ſuccenturiare, vt quod vni deſit, in altero reperiatur, vel quod in vno fuerit breuius, vel obſcurius, in altero fuſiùs & clariùs habeatur. Sequuntur vero qui præceſſerant in prima editione Opticorum libri, vt ex luce corporea, quâ nil gratius eſſe videtur, ad mentis lumen, æternæque gloriæ ſplendorem transferamur, iuxta Pſaltis deſiderium, Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

2009 Ministerio de Cultura

IN LIBROS OPTICORVM,

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CVM Opticæ ſcientiæ hoc ſæculo magnos progreſſus feciſſe videatur ob peculiare conicorum ſtudium, & lucis varias obſeruationes & meditationes, quædam ante ſequentium librorum lectionem obſeruanda ſunt.

I. Legendam eſſe 24 propoſ. Balliſticæ, quæ nouas lucis, & luminis ideas præbet; & illuſtris viri Dioptricam, in qua fusè de lumine.

II. Nonnulla ex iis quæ dicta ſunt à nobis in Geneſim, à columna 427. emendanda eſſe; nempe cùm dicitur, *Sphæricum ſpeculum eſſe partem, ſegmentum, aut arcum alicuius circuli*, rectiùs ſcribi eſſe ſphæræ partem, vel ſegmentum, cuius (plano per axem ſecto) communis ſectio circulus eſt, quales ſunt adſcripti eo loco circuli. Deinde non benè dicitur, ſpeculum, ſpeculo maius, minuſue eſſe, ſi maioris, minoriſue circuli (ſcribe ſphæræ) portio fuerit; cùm ſpeculum dici maius debeat, cuius amplior ſpecies reflexiua: minor vero, cuius arctior, licet hoc maioris, illud minoris ſphæræ portione conſtet, non enim hîc diametri quantitas, ſed chordæ arcum circuli communis vtriuſque ſuperficiei ſectionis ſubtendentis attenditur. Tertio, pro verbis ſequentibus, *duplici modo centrum ſpeculorum ſumi poſſe, tum quo centrum ſphæræ notatur, tum quo centrum ſuperficiei, ſeu mediæ ſuperficies, aut medium in ea punctum ſumitur*, meliùs centrum ſpeculi centro ſphæræ, cuius pars extet ſpeculum: illud autem mediæ ſuperficiei ſpeculi punctum, non centrum, ſed ſpeculi verticem appellabis. Quarto, quæ dicitur ibidem ſpeculi diameter, rectiùs circuli communis ſectionis vtriuſque ſuperficici chorda vocabitur; cuimea quæ non eſt centro

Ministerio de Cultura

biſecta, diameter appellanda ſit. Quinto, columna 500. pro *huiuſmodi ſpeculi diametrum*, ſcribe, ſpeculorum baſis diametrum. Pro *diametri partem*, lege, *axis partem*, & *ab eadem axis parte*, deinde *ſpeculi baſis diametrum*, & *diametralem ſpeculi baſis longitudinem*, & *propoſita qualibet baſis diameter*, legendum eſt.

Col. 501. l. 22. pro hemiſphærium integrum vix ſeſquiunciali in idolis multiplicandis profuturum, ſcribe præſtaturum; neque illud ſimpliciter intelligas, cùm maior ſphæræ portio minori in multiplicandis ſimpliciter idolis præſtet, quoniam à pluribus punctis fit tam directa, & immediata, quàm ſecundaria reflexio, à paucis hactenus in ſpeculis concauis notata: quæ plurium imaginum repræſentatio ſimplex magis ludicra videtur, quàm ſeria; quemadmodum maior imaginum numerus ab hemiſphærio, non tam imagines, quàm imaginationes; idque tantùm ab exiguis obiectis: quare minor maioris ſphæræ portio maiori minoris ſphæræ portioni datæ futuri ſpeculi præferenda.

Colum. 516. l. 7. dele quæ poſt dictionem, *afferemus*, ſequuntur vſque ad dictionem *quia*; quod non egerim de dioptrica in prolegomenis, vti decreueram ad oſtendendum omnes ſcientias ad Scripturam ſanctiarum intelligendam vtiles; quod poſtea ſatis, l. 2. de Veritate Scientiarum Gallicè factum eſt.

III. Quod ad tertium librum optices, ſeu dioptricem attinet, notandum eſt Cl. V. Renatum Carteſium ſuam edidiſſe Dioptricam, qua veram refractionum legem, rationem & regulam adeo luculenter explicauit, vt iam radios lucis in quamuis figuram mutare, vel à quibuſlibet punctis ad alia quæuis puncta tranſmittere poſſis: quod fatebere ſtatim atque librum illius attente perlegeris: ex quo varios perſpiciliorum fabricandorum modos addiſces, quamuis hactenus hyperbola nulli fauerit nulliuſque votis illa conſtructio ſatisfecerit: forte quod nonnulla ex oculi parte ſupplenda ſint quæ negligi ſolent.

IV. Placet eadem addere quæ ſequuntur ex Cl. V. Hobs circa quartam Dioptricæ partem, in qua de tubis Batauicis, qui melius intelligentur ex iis quæ profert.

Sit igitur vitrum conuexum A C B, à cuius tanta diſtantia conſtituatur aliquod obiectum, vt rectæ A B magnitudo ad magnitudinem diſtantiæ obiecti non habeat rationem ſenſibilem. Ductæ autem duæ rectæ à duabus obiecti extremitatibus ad ſingula puncta vitri A B, faciant angulos D A E, D C E, D B E; & ſimiliter fieri ſupponatur ad cætera omnia puncta quæ ſumi poſſunt inter A & B. Producantur

2009 Ministerio de Cultura

iam *d* A, *e* A, quæ se mutuo secant in A, & *d* C, *e* C, quæ se mutuò intersecat in C, & *d* B, *e* B, quæ se mutuo secant in B; producantur, inquam, omnes vsq; ad vitrum parallela, vel non valde obliqua: quo facto manifestum est productas omnes esse refractas, & binas binis propius accedere, prout propius accedunt ad vitrum concauum. Lineæ autem refractæ transeuntes per A notatæ sunt punctulis: quæ vero transeunt per B, notatæ sunt linearum fragmentis; & quæ transeunt per C, lineis continuis.

Sit iam oculus F G, & supponamus talem esse figuram vitri concaui, & talem eius esse situm, tam respectu vitri conuexi, quàm oculi, vt omnes lineæ venientes ab *e*, ab ipso ita refringantur ad superficiem oculi, vt refractæ rursus ab ipso oculo, prout naturæ oculi postulat, concurrant omnes in fundo oculi ad vnum & idem punctum H.

Item omnes lineæ venientes à *d*, ita refringantur, vt concurrant omnes in fundo oculi ad punctum I. Quod si fiat, videbitur *d* in linea recta, quæ ducitur ab I parallela parti lineæ *d* A I, vel *d* C I, vel *d* B I, quæ intercipitur inter vitrum concauum, & oculi superficiem; videbitur autem *e* in linea recta quæ producitur ab H parallela parti lineæ *e* A H, vel *e* C H, vel *e* B H, quæ intercipitur inter vitrum concauum, & superficiem oculi; itavt lineæ visuales extremorum punctorum obiecti sint rectæ H L, & I M, atque ita fiet vt toties multiplicata sit visio extremitatum obiecti per vim in H I, quot sunt puncta in lente conuexa A B:



& per eandem rationem puncta quæ ſumi poſſunt inter *d* & *e*, toties multiplicabuntur per vim quæ eſt in punctis inter H & I mediis. Fiet etiam vt diſtantia extremitatum obiecti inter ſe ſit maior quàm ſi ſpectaretur nudo oculo. Nam propter refractionem linearum irradiationis exeuntium àvitro concauo, quo magis coguntur diuergere inter ſe, eò lineæ viſuales (quæ ipſis parallelæ ſunt) in maiori angulo ſe mutuò ſecabunt, quàm eſt angulus *d* A *e*, vel *d* C E, vel *d* B *e*, in quo ſe quidem angulo mutuò ſecarent ſine tubo optico.

Quæ ita ſe habere ex ipſo phænomeno conſtat; ſi enim partem quamcunque, vel partes quaſcunque vitri conuexi A B obtexerit quis, relictâ qualibet particula tantum eius detectâ, idque ſiue in medio, ſiue verſus extrema vitri, ſemper tamen totum obiectum videbitur diſtincte, ſed minus illuminatum.

Vnde colligitur primò videri obiectum per radios tranſeuntes per quodlibet vnum punctum vitri conuexi. 2. totum obiectum videri per radios venientes à quolibet vno puncto vitri conuexi A B: ideôque ſi duæ rectæ punctuatæ veniant ab A ad H & I, erunt H & I in lineis viſualibus, quibus videntur extremitates obiecti per A: & præterea ſi duæ rectæ venientes à B incidant in fundum oculi ad alia duo puncta, quàm H & I, putà ad N & O, erunt N & O in viſualibus, quibus videntur extremitates obiecti per B.

Itaque ſi N & O non coincidant, videbitur vtraque extremitas obiecti per diuerſas viſuales; atque ita obiectum non vnum, ſed duo viderentur, quod eſt contra Phænomenon ipſum quod apparet vnum & diſtinctum.

Omnes itaque radij venientes à *d*, deſinunt in I; & omnes ab *e* venientes deſinunt in H, & ita de cæteris mediis obiecti punctis dicendum eſt, nempe quod videantur in ſingulis punctis ſibi in fundo oculi correſpondentibus. Vnde ſequitur quod linearum irradiationis ab eodem puncto obiecti venientium partes illæ quæ intercipiuntur inter vitrum concauum, & oculi ſuperficiem ſint inter ſe paralelæ. Nam alioqui punctum, quod repræſentant, non poſſet videri vt vnum: ſi enim videretur punctum obiecti in ipſa linea irradiationis, quæ intercipitur inter vitrum & oculum, videretur plures, quia videretur per plures irradiationes, & ſi videretur in vna ducta aliqua à fundo oculi, vni linearum interceptarum parallela, videretur etiam in iis lineis quæ ducerentur parallelæ cæteris interceptis; & ita rurſus videretur vnum obiectum.

Reſtat igitur vt lineæ irradiationis procedentes ab eodem puncto obiecti habeant partes ſuas, quæ intercipiuntur inter vitrum cõcauum,

2011 Ministerio de Cultura

& oculum, parallelas inter se, & vera visualis illa sit quæ ducitur à puncto concurrentiæ in fundo oculi illis omnibus parallela.

Locus autem imaginis visæ per tubum opticum, vnaque magnitudo diametri apparentis comparata cum magnitudine diametri apparentis sine tubo, hoc modo determinari potest.

Sit obiectum quodlibet Luna spectata sine tubo optico, cuius diametrum apparentẽ, & cuius distantiã ab oculo sensu solo æstimamus: supponamus lineam rectam prope oculum ductam, itavt secet axem opticum ad angulos rectos, qualis linea est P Q. Sitque P Q æqualis veræ diametro Lunæ. Huic parallela statuatur alia recta æqualis diametro lunæ apparentis, (quæ est quasi semipedalis) sit autem distantia inter has parallelas tanta, quanta est distantia apparens inter oculum & lunæ imaginem (quæ mensurari quidem non potest, sed æstimari sensu, tanquam longitudinis 200 passuum) si iam intelligantur ductæ duæ rectæ per extremitates dictarum duarum parallelarum concurrentes intra lunæ imaginem: rectæ autem H L, L M producantur donec illis occurrant, determinabunt illæ lunæ distantiam, & diametrum per tubum opticum apparentem.

Exempli causâ, sit obiectum aliquod A B, quod tantum distet ab oculo in C vt appareat sub magnitudine D E, videaturque sub angulo D C E; si atque F G æqualis A B; ducanturque F D H, & G E H per extremitates imaginis D E. Iam si idem obiectum A B H spectetur per angulum I C K maiorem angulo D C E, dico quòd diameter eius apparens erit I K, & maior quàm D E; & distantia apparens erit recta à puncto C ad rectam I K perpendicularis.



Quò enim obiectum recedit longiùs ab oculo, eò sub minore angulo videtur, donec euanescat angulus, putà in puncto H; & vt est distantia H K, vel H I, ad distantiam H E, vel H D, ita est diameter imaginis I K ad diametrum imaginis D E.

Si igitur A B esset luna vera, D E luna apparens sine tubo optico, modò angulus I C K ille esset quem faciunt radij visuales per tubum opticum, esset I K, Luna apparens per tubum opticum.

V. post 3 Opticæ, Catoptricæ & Dioptricæ libros, sequitur liber 4 de paralloxibus, de quibus post primam synopseos istius editionem

2009 Ministerio de Cultura

vir Clar. Ioannes Baptista Morinus, Professor regius parte 8, vt parte 9 de refractionibus multa docuit. Liber quintus agit de arte Perspectiuæ, quam nuper R P. Niceronus, curiosâ parte adornaui à quo possis perfectum opus Opticum expectare.

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

2010 Ministerio de Cultura

OPTICÆ

LIBER I.

PARS PRIMA.

De luce, corpore luminoso, & vmbra.

DEFINITIONES.

I. COrpus luminosum dicitur, quod sui luminis diffusiuum est.
II. Diaphanum, per quod lumini patet aditus.
III. Vmbrosum vel opacum, quod est imperuium lumini.
IV. Lux prima est, quæ secundam efficit.
V. Lux minima, quæ si diuidatur, non habet amplius actum lucis.
VI. Radius est linea luminosa, vel motus lucis.
VII. Linea radiosa, est per quam species visuales diffunduntur.
VIII. Linea refracta, cuius partes angulum faciunt.
IX. Pyramis radiosa, cuius basis est in superficie corporis radiantis, vertex verò in puncto cuiuscumque alterius corporis.
X. Pyramis illuminationis, cuius vertex est in puncto corporis luminosi, & basis in superficie rei illuminatæ.

Postulata.

I. Lucem compressam, & condensatam fortiorem esse luce disgregata, & rarefacta, atque adeò vehementiùs illuminare.
II. In absentia luminis vmbram fieri, in eius præsentia desinere.
III. Vmbram aliquam in sui termino acui, & ad punctum terminari.
IV. Quodlibet punctum lucis, *sicut coloris, & aliarum qualitatum actiuarum*, in orbem irradiare, & infinitis numero lineis diffundi.
V. Lucem res coloratas pertranseuntem earum coloribus, & quorumcumque corporum superficiebus affici.
VI. Naturam nihil frustra agere, nec deficere in necessariis. Hæc ferè ex Vitellione, vt & sequentia.

Ministerio de Cultura

Theorema primum.

Radij cuiuſcumque luminis, & qualitatis actiuæ ſecundum̃ rectas lineas, vtpotè breuiſſimas omnium potenduntur.

II.

Lumen non impeditum per totam ſphæram actiuitatis ſuæ in inſtanti neceſſariò defertur.

III.

Luci cum diſceſſu à centro accidit aliqua attenuatio in latum, nam radij ad centrum magis vniti, & denſiores ſunt, cum ſint totidem in anguſto loco, quot in ſpatio maiori: quibus ſi nulla attenuatio in longum accidit, æqualis eſt fortitudo radij quantumcumque à puncto luminoſo recedentis, tuncque fortitudo, ſeu denſitas radiorum in anguſtiori loco ita ſe habet ad denſitatem radiorum in ampliori ſuperficie, vt ſe habent ſphæricæ ſuperficies, quarum centrum eſt lucis origo, ſeu punctum lucens, amplior ad anguſtiorem, & conuerſim.

IV.

Radius quo peruenit lux à corpore luminoſo ad corpus oppoſitum eſt linea naturalis ſenſibilem habens latitudinem, in qua linea mathematica radians imaginatione ſumenda eſt.

V.

Luces & colores in corporibus diaphanis diſtincti penetrant, vt conſtat ex pictura referente obiecta exteriora in cubiculo clauſo, radiis viſibilium per foramen ingredientibus: radii enim viſibilium impermixtè medium illuſtrant.

VI.

Totum luminoſum, vel illuminatum pyramidem ſui luminis in quolibet puncto medij terminat.

VII.

Æqualiter inclinati radij, æqualiter: erectiores, magis: perpendiculares verò maximè illuminant: vnde æquè remota puncta lucida æqualiter; propiora magis illuminant, magiſque proinde calefaciunt: poſſibile tamen eſt puncta illa inæqualiter diſtantia ſpatium aliquod æqualiter, imò & viciniora minus illuminare.

VIII.

In circuli centro, vel peripheria punctum lucidum exiſtens ſingulas ipſius peripheriæ partes æqualiter illuſtrat.

IX.

Lucis & cuiuſlibet viſibilis radiatio fit ſecundum opticam figuram, ſeu conum opticum, itavt innumerabiles coni oppoſiti ducantur à radiante in radiatum, & à radiato in radians.

X.

2010 Ministerio de Cultura

X.

Radius perpendicularis fortiſſimus eſt ; obliquus verò tanto fortior, aut debilior, quanto magis aut minus obliquus, ſeu recedens à perpendiculari.

XI.

Lux per anguſtum foramen, vel feneſtram incidens, quò longior, eò latior, & ad figuram rotundam magis accedens, cuiuſcumque figuræ feneſtra fuerit. At ſi lucens, & feneſtra circuli formam induunt, radius in pariete perfectum circulum deſcribit : radius autem per orbiculare foramen traiectus coni recti, ſcaleni, orthogonij, vel amblygonij figuram imitatur.

XII.

Si feneſtra totidem ſuis diametris à pariete diſtet, quot ſuperficies lucens ſuis, confunduntur figuræ: alioqui quo ſuperficies prædicta pluribus, aut paucioribus ſuis diametris abeſt à feneſtra, eò magis, aut minus feneſtræ figuram refert.

XIII.

Lumen à puncto per multilaterum foramen transfuſum pyramis eſt.

XIV.

Radij tranſeuntes ab extremitatibus corporis lucidi per extremitates foraminis, inter foramen & corpus lucidum ſe mutuò ſecant: qui ſi, cum per foramen traiecti ſunt, magis à foramine diſtent, quàm à corpore luminoſo, lumen plano exceptum, corpore luminoſo maius erit.

XV.

Perfectum lumen in obiectum planum per idem foramen traiectum ab æquali corpore luminoſo æquale eſt ; à maiore minus : à minori maius.

XVI.

Si planum foramini parallelum fuerit, lumen puncti luminoſi plano excepti, foraminis ſeruabit figuram: at ſi planum obliquum fuerit, figura luminis erit obliqua ſectio coni, vel pyramidis : ſi denique foramen & corpus luminoſum diuerſæ fuerint figuræ, lumen foraminis ac corporis figuram imitabitur ; eritque figura mixta : quod ſimiliter continget ſi diuerſum habeant ſitum, licet eiuſdem figuræ fuerint.

XVII.

Lumen quod à quolibet puncto ſuperficiei lucidi corporis emicat, radios luminoſos triplicis generis, nempe æquidiſtantes ; ſeſe interſecantes, & in diuerſa abſcedentes emittit in quodlibet ſpatium illuminatum.

XVIII.

Si quo longius diſcedit radius à puncto radiante, debilior & languidior efficitur, decreſcit, & creſcit vniformiter, difformiter, idque in ſpatiis proportionalibus proportionaliter : hic enim modus maxi-

mam relinquit sphæram actiuitatis lumini, si modum in tertio theoremate allatum excipias.

XIX.

Lumen sublato luminoso ne quidem per momentum in medio perseuerat: vbi lapis Bononiensis lumen seruans considerandus.

XX.

Omnia lumina sunt eiusdem speciei, suntque corporum lucentium, velut imagines, aut potiùs motus.

XXI.

Lumen lumini non obsistit, quamuis maius offuscet minus: vnde luminum actiones neque segniores, neque vegetiores sunt ex mutuo occursu, quia dum concurrunt in eadem parte medii non maiorem, neque minorem edunt effectum, quàm vnumquodque per se seorsum.

XXII.

A caua superficie sphæræ luminosæ, quod minimè illustratur, est centrum, contra autorem Perspectiuæ, qui l.1.prop.21.contrarium asserit.

XXIII.

Lumen exactè medium inter æqualia luminaria, est omnium minimum eorum, quæ conflantur ex luminarium occursu: si verò hæc inæqualia sint, minimum lumen minori luminari propinquius erit.

XXIV.

A puncto sphæræ luminosæ media dumtaxat actiuitatis sphæra illustratur.

XXV.

A sphæra luminosa ad punctum remotius plures radij, quàm ad propinquius proiiciuntur.

XXVI.

Luminosum externum maiorem partem sphæræ remotioris irradiat, quam propinquioris: vnde luminosum sphæricum maiori suo segmento illuminat punctum longinquius: & contra.

XXVII.

Si sphæricum luminosum illuminat sphæricum opacum, extremus, longissimusque radius vtrumque sphæricorum tangit: ergo si tangit, longissimus.

XXVIII.

Luminosum sphæricum illuminat sphærici æqualis dimidium: minoris plus dimidio: maioris minus.

XXIX.

Sphæra luminosa opacæ æqualis mediam huius partem illustrat, si illa maior, hæc magis quàm per mediam partem illuminatur, quod fit in terra à Sole collustrata: eapropter Sol ante ortum, & post occubi-

tum ſpectabilis eſt: cùm tamen Luna oriens non videatur, & ante occubitum diſpareat.

XXX.

Si ſphæra luminoſa maior fuerit opacâ, à minore parte luminoſæ maior pars opacæ illuſtratur; ſi verò illa minor fuerit, à maiore parte luminoſæ ad minorem opacæ lumen proueniet.

XXXI.

Sphæroides luminoſum maius è propinquo partem ampliorem opaci irradiat, quàm è remoto: eapropter Luna numquam illuſtratur minus quàm cùm plena eſt.

XXXII.

Sphæroides luminoſum minus opaco propinquius minorem huius portionem illuſtrat, quàm cùm eſt remotius.

XXXIII.

Si pars ſphæræ illuminata, & pars viſa baſes habuerint parallelas, lumen viſum circulare erit, & apparebit.

XXXIV.

Si pars ſphæræ illuminatæ non fuerit parallela parti viſæ, nec ſe mutuò ſecent: ſitque quod videtur, minus: pars luminis viſa circulo continebitur, & vt circulus apparebit: at ſi pars viſa ſit maior, ambitus ſpectati luminis erit quidem circularis, ſed ellipſis videbitur.

XXXV.

Si hemiſphærii illuſtrati, partiſque viſæ baſes ſe mutuò perpendiculariter ſecent, quod de lucido hemiſphærio cernitur, ſector eſt ſuperficiei ſphęricæ, at ſemicirculus apparebit. Quibus ſtantibus, ſi pars illuſtrata hemiſphærio minor eſt, fulgidum ſegmentum viſum μηνοειδὲς ſchema mixtum ex arcu circulari, & arcu ellipſeos intus curuato referet. At ſi pars illuſtrata ſit parte viſa maior, ſegmentum viſum apparebit inſtar figuræ mixtæ ex circulari ambitu, & ellipſeos figurá intus curuata, qualis ferè eſt Luna in quadrato aſpectu, cum ſemicirculo maior eſt, quanquam ob ingentem diſtantiam ſemicircularis appareat.

XXXVI.

In ſphęra ſi baſes partis illuſtratæ, partiſque viſæ ſe mutuò ſecent obliquè, portio luminis, quæ ſub aſpectum cadit, mixta è circulo, & ellipſi apparebit. *Quibus addi poſſunt alia plurima theoremata qualia ſunt ſequentia.*

XXXVII.

Quo plura ſunt luminoſa ſimul agentia, eò etiam longius lumen vel fortius producunt.

XXXVIII.

Lumen in medio productum indiuiſibiliter pendet à luminoſo.

XXXIX.

Radii ab eodem luminosi puncto longiùs continuati apparent paralleli, &c. *Sed duo præcedentia non adeo certa sunt, & de vltimo deque aliis lucis proprietatibus in Catoptrica dicendum erit.* Ad vmbram accedamus, reliqua ad lucem pertinentia in fundamentis catoptrices, & dioptrices allaturi: vmbra autem est diminutio lucis, cuius tenebræ sunt priuatio.

DE VMBRA.

Theorema primum.

Radius vmbrosus, cum radio luminoso, à quo procedit, in directum extenditur.

II.

Vmbra finita partim opaco corpore, partim lumine circumfuso, vt extinseco termino, definitur.

III.

Opacum tot proiicit vmbras quot luminaribus opponitur, quas in aduersam luminibus partem proiicit.

IV.

Opacum quò plures radios luminosi intercipit, eò ampliorem vmbram producit, & maius opacum maiorem vmbram proiicit.

V.

Vmbra quemadmodum lumen, intendi, ac remitti potest: quæ cùm multiplicatur, obscurior redditur.

VI.

Vmbra secunda obscurior est quàm prima, & tertia quàm secunda, & sic in infinitum.

VII.

Vmbra corpori opaco propinquior, obscurior est: & longè etiam quàm re ipsa sit, obscurior apparet.

VIII.

Puncti vmbra semper est linea infinita.

IX.

Si linea opaca lucenti corpori ita obiecta fuerit, vt producta ipsum secet, erit vmbra eius linea interminata: si verò illud non secet, producta vmbra eius erit plana superficies.

X.

Si opaca superficies producta corpus luminosum secet, erit vmbra eius plana superficies; si verò non illud secet, erit vmbra eius quoddam solidæ figuræ genus.

XI.

Vt puncti vmbra semper est linea, ita corporis vmbra semper est corpus.

XII.

Si sphæra luminosa sphæræ opacæ æqualis fuerit, vmbra illius erit cylindrus interminatus: si maior, vmbra erit conus basim habens circulum ex radiorum contactu descriptum, verticem autem in radiorum concursu: denique si minor fuerit, vmbra continuò aucta, tum longitudine, tum latitudine infinitum abibit: prima autem vulgò κυλινδροειδὴς, secunda κωνοειδὴς, tertia καλαθοειδὴς appellatur.

XIII.

Si maior fuerit luminosi, quàm opaci corporis altitudo, erunt extremitatum radii altitudinibus proportionales: si verò vtriusque altitudo æqualis fuerit, vmbra proiecta interminata erit.

XIV.

Quò altitudo corporis luminosi ad opaci corporis altitudinem minorem proportionem habuerit, eò maior vmbra producetur: hinc vmbræ maiores sunt in ortu, & occasu Solis quàm in meridie; & maiores in meridie brumali, quàm æstiua: sed & vmbræ lunares longiores sunt, cùm vtrumque astrum eandem altitudinem horizontalem habuerit.

XV.

Ex multis corporibus opacis æquè altis, quod est propinquius lucido copori altiori, breuiorem vmbram facit: & in æqualibus altitudinibus corporum opacorum distantiæ eam inter se proportionem habent quam proiectæ in planum vmbrarum longitudines.

XVI.

Si idem luminis radius è sublimi delapsus, per plurimum inæqualium altitudinum vertices transeat erunt vmbræ altitudinibus proportionales.

XVII.

Si luminosi radii per summitates inæqualium altitudinum porrecti paralleli fuerint, vmbræ item erunt altitudinibus proportionales: & ideo ex vmbra notæ altitudinis incognita altitudo reperitur.

XVIII.

Triplex est vmbra; nempe Recta, quæ vmbra opaci perperpendicularis plano terrestri, in eodem plano extensa: qualis est vmbra hominis incedentis, gnomonis terræ perpendicularis, turrium, &c. Versa, quæ est vmbra opaci paralleli plano terrestri in planum ipsi plano terrestri perpendiculare proiecta, qualis est claui, vel styli horarij muro terræ perpendiculari infixi, & brachiorum extensorum hominis erecti: tertia vmbra vocatur Media, quæ fit à Sole 45. gradus super horizontem eleuato: quæ tres vmbræ notantur in scalis altimetris planisphæriorum, & mensuris deseruiunt.

XIX.

Cum vmbra recta minuitur, vt ante meridiem, versa crescit, & contra: vnde in meridie illa breuissima, hæc longissima: hinc vnâ data, alia colligitur; verbi gratia, quot partium est vmbra recta, cùm Sol 20. gradibus eleuatur, tanta erit versa, dum 70. gradibus Sol eleuabitur: & contra.

XX.

Altitudine luminosi, & styli data, datur vmbra versa; & contra, ex vmbra versa, & stylo datis, datur luminosi supra terram altitudo.

XXI.

Vt est sinus rectus altitudinis luminosi ad signum rectum complementi, sic est gnomon ad vmbram rectam: & sicut vmbra recta ad suum gnomonem sub eadem altitudine luminosi, ita gnomon quilibet ad suam vmbram versam: denique vt sinus rectus complementi ad sinum rectum altitudinis luminosi, ita stylus ad vmbram suam versam.

XXII.

Diaphanum perfectum, vt aër, nullam facit vmbram, & corporum magis diaphanorum rariores, & tenuiores sunt vmbræ, sicut magis opacorum densiores; hinc vmbra terræ opacissimæ noctem facit.

XXIII.

Vmbra figuram & motum opaci imitatur, quanquam ad solius luminosi motum moueri possit: quod si circa opacum moueatur, vmbra contrariis motibus ciebitur, idque pari velocitate.

XXIV.

Vmbra lucis propioris est densior, remotioris tenuior: estque tantò minor, quantò sublimius est lumen: æquatur autem suo opaco, cum Sol 45. gradibus super horizontem eleuatur.

XXV.

Possibile est trianguli non æquilateri vmbram æquilateram, circuli ad planum obliqui, sectionis item conicæ circularem vmbram, & circuli vmbram esse ellipsim, parabolam, vel hyperbolam

XXVI.

Vmbra lunæ solari longior est, cum vtrumque astrum eandem habet altitudinem horizontalem, quod tamen vix sensibile.

XXVII.

Si Sol per ambitum circuli maximi sphæræ incedat, vt contingit in æquinoctialibus, vmbra centri eundem percurret circulum: si verò per circulum non maximum incedat, duæ conicæ superficies ad communem verticem in centro sphæræ conuenient, vna luminosa ex radio circumacto, altera opaca ex vmbra, quam centrum proiicit.

XXVIII.

Sol incedens per circulum æquatori parallelum, in horariis vmbra centri proiecta erit circulus, quando planum horologij eidem æquatori parallelum erit: parabola, cum horologij planum circulo maximo parallelum erit, qui vtramque basim conicarum superficierum contingit: hyperbole vero, si planum horologij parallelum fuerit maximo circulo, qui conum vtrumque secat: denique ellipsis erit, si planum horologij æquidistet maximo circulo, qui neque basibus conorum parallelus sit, neque eas tangat, neque secet.

XXIX.

Si horologij planum axi parallelum fuerit, vmbræ proiectæ inter se parallelæ erunt, sicut & parallelorum vmbræ, nisi in eandem rectam lineam incidant.

XXX.

Axis vmbra erit recta linea in eodem cum circulo existens plano, si Sol horarium aliquem circulum ex iis attingat, qui horas à meridiano incipiunt: quod si fuerit in horario, in quo horæ ab horizonte incipiunt, centri vmbra punctum erit in eodem cum circulo existens plano. *Omitto plurima quæ ad vmbrarum proiectiones pertinent, de quibus in perspectiua agendum est.*

OPTICÆ

PARS SECVNDA.

De coloribus, & aliis obiectis potentiæ visiuæ, de speciebus intentionalibus, quarum ope obiecta videmus, & de oculi fabrica.

NOn hîc quæro an color sit aliquid à lumine distinctum, quod Plato colorem appellauit: an verò sit tantummodo lumen vario modo affectum: sufficit enim ad Opticam statuendam si supponamus ex Philosophia colorem, sicut & lumen esse qualitatem corpoream, quæ mouet actu perspicuum, quæ duo sunt obiectum primarium visus: vel si mauis lumen erit motus, & color lumen modificatum.

Theorema primum.

Obiectum visus præcipuum est lux, & color, vel lux colorata, aut color lucidus.

Ministerio de Cultura

II.

Obiectum ſecundarium eſt noncuplex ; 1. quantitas, ſub qua magnum, paruum, craſſum, tenue, longum, latum, maius, minus, &c. 2. figura ; ſub qua curuum, conuexum, concauum, obtuſum, acutum, aſperum, læue, &c. 3. locus ; ſub quo ſuperna, inferna, dextra, ſiniſtra, anterius, poſterius. 4. ſitus, ſub quo ſeſſio, ſtatio, & quælibet partium corporis diſpoſitio. 5. diſtantia, ſub qua longinquum, propinquum, altum, profundum 6. continuitas, ſub qua vnum. 7. diſcretio, ſub qua numerus, multitudo, paucitas, 9. quies.

III.

Illa nouem viſibilia per accidens ad duo capita, nempe ad magnitudinem & locum reuocari poſſunt, ſicut & 20. obiecta communia Vitellionis ; nam ſub magnitudine continetur figura, corporeitas, pulchritudo, deformitas, lenitas, aſperitas, ſimilitudo, diuerſitas, diſtantia : ſub loco, ſitus, continuitas, ſeparatio, numerus, motus, & quies : ſub luce, & vmbra, diaphaneitas, denſitas, obſcuritas, & tenebræ : quæ duo poſtrema ſunt priuatiua.

IV.

Extenſio requiritur in obiecto viſus, ſicut & in obiectis aliorum ſenſuum, quæ alioqui minime perciperentur.

V.

Colores ſinguli ad tres reuocari poſſunt, nempe ad album, rubeum, & nigrum, ex quibus alij fiant : flauus quidem ex rubro, & albo : cœruleus vero ex rubro, & nigro.

VI.

Color albus ob maiorem cum luce ſimilitudinem eſt nobiliſſimus, niger imperfectiſſimus, viridis reſpectu oculi gratiſſimus : niger nullos alios colores recipit, forte quia omnes continet, albus omnes recipit; hic lucis, ille tenebrarum imago eſt.

VII.

Colores variantur pro varietate lucis, medij, diſtantiæ, & diſpoſitionis oculi.

VIII.

Colores, & alia obiecta prædicta viſus eodem modo quo lumen in medio diffunduntur, *quapropter illis applicari poſſunt quæcumque de lumine diximus.*

IX.

Species, quæ vulgò intentionales, & virtuales appellantur, & quibus obiectum repræſentatur, ſunt inuiſibiles in medio diaphano : viſibiles verò, cùm terminantur in opaco ; vt conſtat ex ſpeciebus per foramen traiectis

traiectis in cubiculo clauſo, & in alba charta terminatis.

X.

Species eodem modo quo lumen, & color in medio propagantur, & ad oculum perueniunt: his igitur lucis proprietates conueniunt, à qua fortè non diſtinguuntur.

OPTICÆ

PARS TERTIA

De oculi fabrica, & de viſione.

Theorema primum.

TRes humores, & ſeptem tunicæ, continentes tres illos humores, conſtituunt oculum: humores ſunt aqueus, chryſtallinus, & vitreus: tunicæ ſunt adnata, cornea; ſclerotica, quæ cum cornea conſolidatiuam componit: vuea, quæ foramen habet rotundum, quod PVPILLA dicitur: choroides, quæ diuerſicolor eſt pro varia cerebri temperie, & vocatur IRIS: aranea quæ chryſtallinum humorem complectitur; & retina, quæ vitreum humorem continet.

II.

Humor aqueus eſt in anteriori parte oculi: vitreus obſcurior in poſteriore: chryſtallinus in media, cuius figura eſt lenticularis, anteriùs tamen minus curua, poſterius fortè hyperbolica, vel circuli minoris portio maior.

III.

Oculum nerui plures mouent; 1. attollit: 2. deprimit: 3. adducit: 4. abducit, 5. & 6. coagitant: 7. tonicè firmat, niſi à 6. præcedentibus ſimul agentibus illud fiat.

IV.

Pupillæ ambitus conſtringitur vt nimiam lucem minuat, & dilatatur, vt modicam multiplicet: quod fit conſtrictione & dilatatione vueæ tunicæ, quæ aqueo humori alterationibus obnoxio innatat.

V.

Iris in felibus, & noctiuagis animalibus lumen continere videtur non chryſtallinus humor, cum pupilla nocte illuminata non videatur; alioqui obiecta diſtinctè cernere nequirent.

VI.

Præcipùa, & vltima pars oculi in qua repræſentantur obiecta, & fit viſio, eſt retina tunica: eſt enim oculus inſtar parui cubiculi clauſi, cuius foramen pupilla, vitrum conuexum, chryſtallinus humor: charta poſt vitrum expoſita, retina, quæ recipit ſpecies eo intenſiores, quo chryſtallinus humor conuexus maior, & magis detectus eſt.

VII.

Retina plena eſt ſpiritibus viſoriis, oritur à medulla cerebri, & diſtinctè, ordinatéque ſpecies obiectorum recipit, ac repræſentat, quæ in tunica cornea, & chryſtallino, vt in conuexo foraminis vitro, confuſæ ſunt.

VIII.

Omnes tunicæ, præter ſclerodem, vueam, & choroidem diaphanæ ſunt, cornea tamen retinâ magis diaphana eſt; hæc enim plus opaci habet quàm diaphani, cum per eam neque cornea, neque humor chryſtallinus, & vitreus videantur.

IX.

Choroides opaca ſemper in ſua ſuperficie concaua læui colorata eſt, vt patet ex colore pupillæ, cuius fundus in diuerſis hominibus varius eſt, in tauro cœruleus, in fele flauus, &c.

X.

Vuea opaca eſt, vt luci, & ſpeciebus ingreſſum nimium interdicat, & ſinum oculi tenebroſum reddat.

XI.

Choroides & ſclerodes opacitate ſuâ cameram oculi ſpeciebus recipiendis adaptant, eam obumbrando.

XII.

Humores omnes pellucidi ſunt, maximè verò chryſtallinus, nec aranea, & hyaloides multum à perſpicuitate ſuorum humorum differunt.

XIII.

Diameter circuli corneam tunicam baſis inſtar terminantis, vel arcum illius maximum ſubtendentis vix hexagoni latere minor, vixque tetragoni latere maior: cuius quantitas explorabitur globulo vitreo obiectum eadem magnitudine referente.

XIV.

Axis opticus tranſit per centra omnium humorum, & tunicarum, quamuis tunicæ ſint excentricæ: neruus autem opticus non iacet in axe optico, ſed ſiniſtrorſum vergit in oculo dextro, & dextrorſum in ſiniſtro.

XV.

Perfecta viſio non minorem diſtantiam poſtulat, quàm quæ axi-

bus continentur, cum quibus nerui optici rectos angulos efficiunt.

XVI.

Inter visum & visile necesse est medium diaphanum intercedere: quod visile debet esse imperuium, satis magnum, oppositum, & illustratum, alioqui non videbitur.

XVII.

Oculus optimè videt è tenebris; cuius visio non fit irradiatione Galenica; non solâ obiecti præsentia; non solâ compassione, vel sympathia; non emissitijs radijs; nec per συναγωγίαν, sed per species, seu imagines rerum in retina susceptas, quæ in chrystallino humore sæpius decussantur.

XVIII.

Visio est actio elicita ab interno vitæ principio, quæ per simplex medium fit rectis lineis, quæque nihil suapte vi exteriùs operatur.

XIX.

Visio ab vtroque oculo simul in vnam rem conspirante fortior est quam ab altero tantùm.

XX.

Oculorum acies in vnum duntaxat punctum quod distinctè conspiciatur, figi potest: nequit autem fieri vt plura simul æquè perspicuè videantur.

XXI.

Visio fit vel simplici aspectu, vel intuitu, seu obtutu ex prænotione, seu anticipata notione: aspectus autem simplex fit per quemlibet pyramidis opticæ radium, obtutus verò per solum axem: ille fit in instanti; hic in tempore, cum primo aspectu formæ rerum non perfectè comprehendantur, & absoluta rei comprehensio fiat diligenti intuitu, vel syllogismo, vel anticipata notione: quapropter visus nequit perfectam visionem producere sine ope sensus communis.

XXII.

Visus ab obiecti præsentia pendet, quamuis res absens vt præsens videri possit; specie diuinitus in oculo seruata: qui substantias rerum solummodo videt per accidens.

XXIII.

Visio confusa naturâ distinctam antecedit; qua primò post simplicem aspectum, lux & color distinguuntur: sed proprietas vnica è visibilibus per se sola nequit à visu appprehendi: non enim color, aut lumen absque magnitudine, &c. quamuis ex proprietatibus istis aliæ alijs citiùs comprehendantur: nam generica ratio obiectorum priùs, & minori tempore quàm specifica percipitur.

XXIV.

Id solum videtur, à quo ad oculum radius opticus extendi potest:

est autem radius opticus illa recta linea, per quam formã rei aspectabilis ad obtutum porrigitur, quique per totius oculi centra transit: qui cum sit viuacissimus dicitur acies oculi, & à reliquis radiis, regis instar, fouetur.

XXV.

Species eiusdem rei potest simul directo, reflexo, & refracto radio ad centrum oculi peruenire.

XXVI.

Optica pyramis est species per medium diaphanum ab obiecto ad oculum perueniens, habens verticem in centro visus, basim autem in ipsa re: quæ maxima dicitur, cum omnia complectitur, quæ oculus vnico aspectu cernere potest.

XXVII.

Axis pyramidis opticæ est recta linea, quæ per verticem, & centrum rectæ basis transit.

XXVIII

Præter axes prædictos, 5. lineæ spectari possunt in oculis, quarum prima duci concipitur ab vnius oculi centro ad alterius centrum, diciturque connectens centra visuum: 2. dicitur connectens extrema neruorum opticorum, quæ ad terminos applicatur, ex quibus pendent orbes oculorum. 3. educitur ab axium opticorum concursu, & connectentem centra visuum bifariam secat; diciturque radius communis. 4. vocatur axis communis, quæ à neruo communi in connectentem extrema neruorum opticorum orthogonaliter incidit. 5. Denique vocatur horopter, quæ parallela est ei, quæ centra visuum connectit, & transit per axium opticorum congressionem.

XXIX.

Horopteris planum est, quod axes secat ad rectos angulos, estque instar tabulæ in visus termino collocatæ, ac directè oculis obuersæ, in quo rei visæ locus apparens statuitur, qui nihil est aliud quàm huius plani, & radii optici per rem visam producti communis intersectio.

XXX.

Optici radij axi viciniores minoribus angulis franguntur, remotiores manoribus, æquidistantes æqualibus, cùm transeunt per albugineum humorem: refringunturque ad perpendiculum.

XXXI.

Radij ab vno puncto visibili obiecti in oculum emissi non sunt plures quàm sex, nec pauciores quàm vnus: sex quidem si radius refringatur in cornea tunica, aqueo humore, vitreo, chrystallino, & retina: vnus autem cum punctum visibile in axe optico iacet.

XXXII.

Radij ex cornea in aqueum si refringuntur, isque sit corneâ rarior, franguntur à perpendiculo; ex aqueo in arcaneam, & humorem chrystallinum ad perendiculum, iterumque ex chrystallino ad concauam vitrei humoris superficiem, seu hyaloidem; denique ex humore vitreo ad retinam, quæ retina radium vltimum primo similem ita reddit, vt visibile in proprio suo loco videatur.

XXXIII.

Radij visorij portio sub qua visio fit, non est puuctum indiuisibile, sed habet lõgitudinem sensibilem: iacet autem locus apparens rei visæ in linea formaliter visoria, quæ vltimò appellit ad retinam ex optici nerui meditullio, & medulla cerebri procedentem, spiritibusque vitalibus, & visoriis pleniſſimam.

XXXIV.

Perfecta visio non minorem distantiam postulat quàm quæ axibus continetur, cum quibus nerui optici angulos rectos efficiunt.

XXXV.

Axes optici debent esse in eodem plano cum linea connectente centra visuum, & coniungente extrema neruorum opticorum.

XXXVI.

Optici nerui sunt in eodem plano cum linea, quæ illorum extrema connectit.

XXXVII.

Motis oculis axes optici loco mouentur, qui sunt in eodem plano cum linea connectente extrema neruorum opticorum, & duabus à neruo communi eidem connectenti conterminis, si cum axe communi conueniant.

XXXVIII.

Radij omnes, qui à proposita quauis recta linea ad centrum visus extenduntur, sunt in eodem plano.

XXXIX.

Axis communis per se immutabilis est: communis autem radius pro quolibet motu oculorum semper variat, præterquam in dilatatione, & constrictione.

XL.

Oculi nequeunt ita dilatari, vt axes firmentur paralleli: qui propiùs terimnari nequeunt quàm vbi cum neruis opticis rectos angulos efficiunt: verùm inter se ad normam concurrere non possunt.

XLI.

Cum radius communis connectenti centra visuum est normalis, axes optici sunt inter se æquales; & cum axes optici sunt inter se æquales, radius communis connectenti centra visuum normalis est.

XLII.

Cum axes optici ad punctum aliquod communis axis congrediuntur, sunt inter se æquales, & cum connectente extrema neruorum opticorum, seu basi isosceles efficiunt, cuius angulum comprehensum axibus coincidentibus axis communis bifariam secat.

XLIII.

Cum axis communis cum duobus opticis concurrit, connectens centra visuum est parallela connectenti extrema neruorum opticorum.

XLIV.

Ab vna re duobus oculis obiecta duæ formantur pyramides, quarum communis basis est res ipsa, quæ spectatur, vertices autem sunt in oculis, quæ quidem mouentur motis obiectis, vel oculis, tametsi per se dicantur immobiles: harum verò axes mouentur mota pyramide, sed in ea situm nonmutāt, licet axis opticus extra pyramidem excurrere possit.

XLV.

Si corpus opacum interiectum inter rem visibilem & aspectum axibus comprehenditur, nullam visibilis partem obteget, aliqua tamen obiecti pars obscuriùs apparebit: si verò axes opticos excedat, aliqua pars visilis non videbitur, alia ab vno tantùm oculo, reliquum ab vtroque conspicietur: quod si eosdem axes non attingit, pars media, & extrema rei visilis ab vtroque oculo videntur, sed partes inter extremas & mediam positæ ab vno tantùm oculo cernuntur.

XLVI.

Horopter est in eodem plano cum axibus opticis, & connectente centra visuum: in quem cum radius communis orthogonaliter incidit, anguli quos facit horopter cum axibus sunt inæquales: quicquid autem in eodem cum axibus existens plano videtur, in horoptere verum, vel apparentem locum habet, quandoquidem horopter est imaginaria linea transiens per concursum axium, in qua videntur quæcumque videntur: cuius planum est instar tabulæ perspicuæ, & directò oculis obuersæ, in qua rerum omnium visarum species, seu imagines opticè, ac veluti proiectione quadam descriptæ esse videntur: hoc autem planum Guido Vbaldus sectionem, alij parietem, vel tabulam, alij vitrum appellant.

2015 Ministerio de Cultura

OPTICÆ
PARS QVARTA.

De modo quo obiecta communia percipiuntur.

Theorema primum.

QVamuis distantiam vnus oculus per se definire nequeat, ex accidenti tamen per vicina corpora intercedentia distantiam cognoscit: sicut & ex axium opticorum latitudine, sed non ex axium coniunctorum angulis.

II.

Æqualibus magnitudinibus ex inæquali distantia visis maior est ratio distantiarum quàm angulorum, sub quibus illæ magnitudines cernuntur, si maior minori comparetur.

III.

Apparentes magnitudines ex quantitate anguli verticalis pyramidis opticæ comprehenduntur, sunt enim inter se magnitudines, vt anguli pyramidum opticarum: qui sunt sensibiles, si res visa sensibilis est.

IV.

Veræ magnitudines colliguntur ex collatione anguli pyramidis opticæ, & distantia rei; quæ cum inæquales sunt, non ita se habent vt anguli optici quibus cernuntur, cum sit maior magnitudinum quàm angulorum ratio; & maior verarum quàm apparentium proportio, si maior maiori comparetur.

V.

Rerum magnitudines sunt semper maiores quàm appareant: nec ita sunt apparentes magnitudines, vt distantiæ, illarum enim quàm harum minor est ratio.

VI.

Oculus communis sensus adiutus præsidio magnum & paruum, crassum & tenue, longum & latum, æquale & inæquale cognoscit.

VII.

Rectum ac planum ex vniformiter difformi, irregularem curui-

tatem ex difformiter difformi partium à visu distantia; conuexum ex præcipiti partium extremarum recessu; concauum ex minore partium extremarum elongatione quàm in rectis accidat lineis, visus agnoscit.

VIII.

Corporum eminentias, & profunditates exiguas ex vmbris præsertim; asperum & læue ex luminis, specierumque receptione: acutum & obtusum ex eo quod eorum partes à summo fastigio celeri tardove motu prolabi videntur, aspectus discernit.

IX

Circulum oculus deprehendit, quia eius peripheria à centro visus paribus vndique distat radiis: rectilineam figuram ob laterum rectitudinem: polygonam ex maiore angulorum, quàm laterum à visu distantia, solidam verò ex laterum dispositione, vel syllogismo dignoscimus.

X.

Locus rei certus vno oculo designari nequit, qui tamen cognoscitur ex rei distantia, & respectu partium vniuersi; sed præsertim in axium opticorum congressu locus dignoscitur: positionum autem differentiæ ex comparatione medij prospectus intelliguntur, qui ex radio communi ad horizontem librato, eique quæ centra visuum connectit normali, cognoscitur.

XI.

Situs eodem modo cognoscitur, quo distantia, figura, & locus, cum ex iis omnibus componatur.

XII.

Continuum ex non interrupta, discretum ex interrupta partium coniunctione; identitas ex identitate; distinctio ex distinctione specierum in oculos incurrentium; vnitas verò ex continuatione, vel identitate, & numerus ex discretione, vel distinctione cognoscuntur.

XIII.

Motus ex oculi motione, vel ex diuerso corporis situ distinctis temporibus sensibilibus, vel ex loci ipsius mutatione; & aliis quibus distantia, seu spatium, deprehenditur.

XIV.

Velocitas tarditasque motus ex inæqualitate temporis cognoscuntur, quo mobile æqualia percurrit spatia, vel ex inæqualitate spatiorum æquali tempore confectorum: si verò motus tardus est, ex comparatione vicini corporis quiescentis deprehenditur; quanquam ea quæ tardè mouentur, non moueri, sed mota esse cognoscuntur: at quies percipitur è visibili locum, ac situm eundem, tẽpore sensibili obtinente.

XV.

Transparentia syllogismo è rebus post trans corpus interiectum visis:

opacitas

opacitas ex aſpectus prohibitione; vmbra ex vicinia maioris lucis: tenebræ ex totius luminis abſentia colliguntur.

XVI.

Similitudo ex conuenientia; diſſimilitudo ex diuerſitate viſibilium formarum; pulchritudo ex viſibilium proprietatum ſymmetria; turpitudo ex earumdem aſymmetria comprehenduntur.

OPTICÆ
PARS QVINTA.

De fallaciis aſpectus, & reliquis ad Opticam pertinentibus.

Theorema primum.

ÆQualium, & ſimiliter oppoſitarum magnitudinum propinquior ſub maiore, remotior ſub minore angulo cernitur; hinc viciniora euidentiùs cernuntur. Vt autem viſus deceptiones corrigere poſſis, quæ ex circumſtantiarum ad perfectam viſionem neceſſariarum aſymmetria oriri ſolent, nempe ex illuſtratione, & diſtantia maioribus vel minoribus, &c. *Sequentia theoremata accipe.*

II.

Diſtantiæ minores ſemper, quàm re ipſa ſint, conſpiciuntur: & quo remotiores eo ſemper minores: hinc ſuperiores ædificiorum ordines reſupinari videntur, quia radius illos attingens longior eſt, res enim apparent iuxta modum quo ſpecies in oculo recipiuntur.

III.

In rerum diſtantiis viſus maximè decipitur, cùm viſile longiùs diſtat, aut cùm inter hoc & viſum nullum viſibile corpus intercedit: hinc arborum, & columnarum anteriorem in partem longo ordine diſpoſitarum, quæ longiſſimè diſtant, coniunctæ videntur; & qui procul ab amne diſtant, res vlteriores à citerioribus non diſtinguunt.

IV.

Viſus non deprehendit quantum aſtra diſtent à nobis, & cœlum terræ in ambitu horizontis cohærere putat: res enim vt plurimùm propinquiores exiſtimantur, quarum intermedium ſpatium non percipi-

tur: hinc cœlum prope horizontem longiùs quàm iuxta vērticem à nobis distare videtur: hinc etiam ignis noctu procul conspectus vicinior apparet, & quæ circa crepusculum prope sunt, remota creduntur, quod & turribus ac montibus per nebulam visis contingit.

V.

Ob temporis breuitatem aspectus veram rei distantiam explorare nequit.

VI.

Eodem conspecta angulo quorum distantiæ non perpenduntur, æqualia existimantur, & quantus est angulus, tanta res apparet: quod autem remotiore loco apparet, maius, quod propinquiori, minus esse iudicatur: hinc res eadem maior vel minor apparet ob diuersas distantias.

VII.

Recta linea perpendiculariter visui obiecta spectatur vt punctum, directè verò, aut obliquè, vt linea: plana verò superficies perpendiculariter obiecta visui vt linea, directè vel obliquè, vt superficies apparet.

VIII.

Omne visile minus videtur obliquè, quàm directè spectatum: & quo directiùs opponitur, eò perfectiùs videtur.

IX.

Oculo ad id quod videtur accedente, visile augeri putatur, & auctum visile accedere videtur.

X.

Si radij optici per extremitates duarum parallelarum incedant, radiorum longitudines sunt magnitudinibus proportionales: quo totius Geodesiæ fundamentum statuitur, radio enim, altitudo, profunditas, longitudo, & latitudo ignotæ explorantur.

XI.

Fieri potest vt immoto visu, mutatum obiectum æquale semper appareat, moto etiam oculo immutatum obiectum æquale semper videri potest: quod in pluribus casibus Aguilonius l. 4. explicat.

XII.

Est locus, è quo inæquales magnitudines aspectu æquales videntur, & ex quo data magnitudo appareat alterius pars aut multiplex in postulata ratione, qua angulum secare, vel augere conceditur: denique loca dantur, è quibus eadem magnitudo sui ipsius pars, aut multiplex in data proportione cernatur.

XIII.

Res eodem modo apparent quo species, seu imagines illarum oculum ingrediuntur, non autem quo ex obiecto egrediuntur: hinc quæ

sublimioribus radijs, sublimiora; quæ humilioribus humiliora; quæ dextris vel sinistris, dextra vel siniſtra cernuntur. Hoc autem theorema est artis perspectiuæ fundamentum: capropter enim templorum pauimenta ingredientibus, fastigiata; horizon sublimior quàm sit; mare gibbosum, plana iacentia sub oculo remotiora à visu in altum elata, super oculum incumbentia, ad ima prolabi, porticus, & arborum series in angustum stringi, æqualium magnitudinum sub visu erectarum remotiores, altiùs euectæ: supra visum autem erectæ, depressæ videntur.

XIV.

Quemadmodum parallelæ lineæ propiùs coire videntur, quo longiùs à visu recedunt, ita non parallelæ lineæ ita videri possunt vt parallelæ appareant, possunt etiam duæ lineæ subiecto plano inscribi, quarum intercapedo visui in sublimi posito æqualis vbique appareat: harum autem vna recta erit, alia hyperbolica.

XV.

Si in altera linearum angulum continentium punctum quodpiam assumatur, à quo perpendicularis excitetur ipsius anguli plano, è quouis perpendicularis puncto angulus rectus, acutus, aut obtusus videbitur, si rectus vel acutus, vel obtusus fuerit: quod etiam continget in quolibet puncto perpendicularis, si in altera linearum angulum continentium exteriùs producatur. Item angulus semper æqualis apparebit in quouis puncto rectæ à vertice anguli per oculi centrum infinitè productæ.

XVI.

Angulares formæ ex interuallo spectatæ circulares apparent: circuli verò in eodem cum oculo plano situ ambitus è longinquo recta linea apparebit.

XVII.

Visus in caua circulari superficie constitutus vniuersum ambitum, in conuexa nullam ambitus partem contuetur: extra circuli ambitum in eodem cum circulo plano positus partem hemicyclo minorem intuetur.

XVIII.

Visu existente in linea circuli centro perpendiculariter insistente, omnes diametros æquales videt.

XIX.

Circulus obliquè conspectus vt ellipsis, & ellipsis, quodam oculi situ vt circulus appareat.

XX.

Pars visa sphæræ circulo, & radijs contingentibus definitur: quæ si vno spectetur oculo, hemisphærio minor est: quæ fit eò minor quò propinquior oculus fuerit, tametsi tunc hæc minor sphæræ portio maior appareat.

XXI.

Visus in superficie sphæræ positus totam superficiem concauam, solum autem conuexæ pũctum videt: qui si intra sphæram appropinquet, minor portio videbitur, sed apparebit æqualis: eminus autem spectatæ concauæ, vel conuexæ superficies sphærarum planæ videntur.

XXII.

In cylindro, vt se habet circuli portio quæ videtur, ad eam quæ latet, sic visa superficies cylindri ad non visam: pars autem cylindri visa parallelis circumscribitur, cuius medietas videtur, si distantia oculorum æqualis fuerit cylindri diametro: quæ si maior, aut minor est, maior, aut minor pars cylindri spectabitur.

XXIII.

Radij oculorum coni superficiem tangentes omnes, vtrimque in rectis lineis tactiones faciunt, suntque in eo similes omnium circulorum portiones, quas oculus vno aspectu contuetur: in quo cono vt se habet circuli portio visa ad occultam, ita coni visa superficies ad reliquam latentem.

XXIV.

Si axis coni sursum productus centrum visus attingat, vniuersa superficies coni, exceptâ basi, spectabitur: sed apparebit circulus: videbitur autem ellipsis, si latus coni supernè productum in centrum visus incurrat, totaque coni superficies sub aspectum cadet.

XXV.

Res quælibet in ea horopteris parte conspicitur, vbi ipsum radius per centrum ductus attingit.

XXVI.

Quemadmodum res vna vno spectata oculo in vnico loco, & plura vno spectata radio in eodem loco apparent, ita res vna vtroque visu duobus in locis, duæ res in tribus, & 4. locis apparere possunt.

XXVII.

Cum quid apparet pluribus in locis, nullus illorum proprius est locus, & minus perspicue cernitur: fieri verò nequit vt quod vno tantùm videtur oculo, geminum appareat.

XXVIII.

Quæ celerrime mouentur, totum per quod feruntur spacium complere videntur, vel videri nequeunt: quæ verò pernicioſissimo motu agitantur, quiescere videntur: & si motus circularis est, eminus spectatus rectus apparet.

XXIX.

Eorum quæ pari velocitate mouentur remotiora posterà fieri, & tardiùs moueri videntur; quod etiam verum esse potest, quando remotiora velociùs agitantur.

XXX.

Si per eandem lineam rectam mobile, & oculus pari velocitate incedant, quiescere videbitur mobile; accedere, si oculus fuerit concitatior; abscedere, si segnior.

Cætera quæ de fallacijs visus, hîc afferri possent, ex sequentibus libris intelligentur: illa verò quæ spectant ad Sciagraphiam, vel Scenographicem, Ichnographiam, Orthographiam, & ad omnia proiectionum genera, peti debent ex arte Perspectiuæ, de qua fusè Vitruuius, Albertus Durerus, Daniel Balbarus, Guido Vbaldus, Steuinus, Aguilonius, & alij tractarunt: nosque postea dicturi sumus.

OPTICÆ

LIBER II.

SEV CATOPTRICA.

Pars prima de ijs quæ pertinent ad ſpeculain communi, & de ſpeculis planis in particulari.

DEFINITIONES.

I.

POlitio corporum eſt continuitas partium ſuperficiei politi corporis ſine ſenſibilitate pororum.

II.

Speculum dicitur omne corpus politum operâ artis vel naturæ; eſt autem multiplex, nempe rectum; concauum, & conuexum ſphæricum; concauum & conuexum cylindricum, concauum & conuexum ellipticum, parabolicum, hyperbolicum, pyramidale, conchoideum, hederaceum: eſtque totuplex, quotuplex eſſe poteſt linea, vel ſuperficies concaua, aut conuexa politi corporis; qualis eſt ſuperficies facta à linea quadratrice, & ab illis lineis, quæ radios parallelos diuergentes, & conuergentes in punctum; & à dato puncto parallelos; diuergentes, & conuergentes per refractionem efficiunt; *de quibus in Dioptrica*

III.

Linea incidentiæ dicitur illa ſecundùm quam imago obiecti cadit in ſuperficiem ſpeculi.

IV.

Linea reflexionis dicitur illa ſecundùm quam imago reflexa, propter ſoliditatem ſpeculi, quam penetrare nequit, reflectitur ad oculum.

V.

Punctus incidentiæ dicitur is, in quo linea incidentiæ cadit in ſuperficiem ſpeculi: idemque eſt punctus reflexionis, quia radiorum, vel ſpecierum reflexio ad viſum fit ſemper à puncto incidentiæ.

VI.

Perpendicularis ſuper ſuperficiem ſpeculi, à quo fit reflexio, dicitur

linea orthogonaliter ẽrecta à puncto incidentiæ ſuper ſuperficiem ſpeculi illius, à quo fit reflexio, ſi illa ſuperficies ſit plana: ſi verò concaua, vel conuexa fuerit, tunc illa linea dicitur perpendicularis ſuper ipſam, quæ eſt perpendicularis ſuper ſuperficiem planam, illam ſuperficiem concauam, vel conuexam in puncto incidentiæ contingentem.

VII.

Superficies reflexionis illa dicitur, quæ continet lineam incidentiæ & reflexionis, & perpendicularem à puncto contingentiæ productam ſuper ipſam ſpeculi ſuperficiem, vel ſuper ſuperficiem illam contingentem.

VIII.

Cathetus incidentiæ eſt linea perpendiculariter erecta ſuper ſuperficiem planam ſpeculi, aut ſuper lineam rectam contingentem communem ſectionem ſuperficiei reflexionis, & ſuperficiei ſpeculi conuexi vel concaui, ducta à puncto, à quo incipit incidentia, vt à centro viſus, vel ab alio puncto, ad quem reflexio terminatur.

IX.

Cathetus reflexionis eſt linea erecta ſuper illam eandem ſuperficiem vel lineam à puncto, ad quem terminatur ipſa linea reflexionis, vt à centro viſus, vel ab alio puncto, ad quem reflexio terminatur.

X.

Superficies incidentiæ illa dicitur quæ continetur à linea, ſeu imagine reiviſæ, & à cathetis incidentiæ terminorum illius lineæ.

XI.

Angulus incidentiæ dicitur quem in ſuperficie reflexionis continet linea incidentiæ cum linea, quæ eſt communis ſectio ſuperficiei reflexionis, & ſuperficiei ipſius ſpeculi, vel ſuperficiei ſpeculum in puncto reflectionis contingentis.

XII.

Angulus reflexionis eſt, quem in ſuperficie reflectionis continet linea reflectionis cum dicta communi ſectione.

XIII.

Imago dicitur forma in ſpeculo comprehenſa: & facit baſim coni optici, vt viſibile in viſione ſimplici.

XIV.

Locus imaginis eſt locus viſionis illius formæ, ſeu locus, in quo illa videtur.

Theorema primum.

Superficies corporum terſorum politorum, cuiuſcumque figuræ ſint, quolibet ſuo puncto reflectunt lucem, colorem, & figuram rerum oppoſitarum ſecundùm lineam rectam, quia natura agit in omnibus ſecundùm lineas breuiores.

II.

Omnis reflexio luminis & coloris, siue lucem & colorem debiliter, siue non, fit secundum lineas sensibilem latitudinem habentes.

III.

In speculis planis radij obliquè incidentes semper ad angulos æquales reflectuntur: perpendicularis verò radius in seipsum redit; idémque dicendum de reliquis speculis regularibus, nempe sphæricis, conicis, & cylindricis tam conuexis quàm concauis, in quibus angulus incidentiæ semper æqualis est angulo reflexionis; vt constat ex obiecto, quod per eandem omnino viam immittit species in oculum videntis, per quam oculus immittit species in obiectum visum.

IV.

Visibile per speculum comprehenditur à visu sub lineis breuissimis: quanquam id non sit semper verum in speculis concauis, vt Benedictus in epistolis demonstrauit.

V.

In quolibet speculo, vel corpore cuiuscúmque curuitatis anguli incidentiæ, & reflexionis sunt æquales respectu lineæ tangentis punctum superficiei sphęricæ, in quod radius incidit: debet autem illa linea tangens vlteriùs producta secare cathetum ab obiecto deriuatum.

VI.

Radius incidentiæ, & reflexus & 4. puncta, nempe visibilis, incidentiæ, imaginis, & oculi, sunt in eodem plano.

VII.

Impossibile est simul duo puncta eiusdem rei visæ ab eodem puncto cuiuscúmque speculi reflecti ad idem centrum visus, vel à duobus punctis speculorum planorum vel cõuexorum formam vnius puncti, quam uis ab vno puncto speculi cuiuscumque ad diuersos visus plurium punctorum imagines, & à diuersis vna imago reflecti possit.

VIII.

Specula plana omnium optimè repræsentant obiectum, præsertim si ex chalybe facta fuerint; quæ si perfectè recta, & polita, vix oculo deprehendi possunt, eóque minus videntur quò melius repræsentant, quia natura speculi in repræsentandi virtute sita est.

IX.

Obiectum in speculis planis videtur in concursu radiorum cum catheto ducto à quolibet obiecti puncto per speculum in quod incidit perpendiculariter vsque ad concursum radii visualis vlteriùs producti; quia radii reflexi eodem modo post factam à plano speculo reflexionem propagantur, quo emitterentur directi ab eodem obiecto, si per foramen rectà transirent.

X.

X.

Specula plana faciunt radios reflexos eiusdem generis cuius essent, si radij illi fuissent continuati; parallelos, si paralleli fuissent, concurrentes, si concurrissent, & recedentes, si recessissent.

XI.

Locus imaginis, seu puncti visi in planis speculis est in concursu radiorum cum catheto: quod Euclides de quibuscumque speculis concludit; sed aliter Keplerus, & alij recentiores sentiunt.

XII.

In omni reflexione à speculis planis facta, lineæ incidentiæ & reflexionis proportionales sunt cathetis à punctis suorum terminorum demissis, & ipsis basibus in speculorum superficie interiectis.

XIII.

Eadem est distantia loci imaginis à superficie speculi plani sub speculo, quæ est puncti visi ab eadem superficie supra speculum planum existentis.

XIV.

In omni reflexione à speculis planis facta, linea à centro visus ad locum imaginis producta æqualis est lineæ incidentiæ, & reflexionis simul iunctis: ambobus autem oculis vnica imago apparet.

XV.

Altitudines & profunditates tam in conuexis quàm in planis speculis euersæ; dextra sinistra, & contra, nobis apparent: obliquæ verò longitudines videntur quemadmodum se habent.

XVI.

Specula ita disponi possunt, vt intuens, propria imagine non visa, videat imaginem alterius rei non visæ, & in cubiculo discernat, quæ geruntur in aliena domo, vel in plateis.

XVII.

Speculum ex multis planis constrúi potest, in quo solius aspicientis plures imagines ad modum chorearum appareant, & in quo aspiciens suam imaginem volantem videat, docente Ptolomæo 2. catopt. theor. 6.

XVIII.

Imago eiusdem puncti per duo vel tria specula plana orthogonaliter ad inuicem disposita videri potest: hinc specula quæ dicuntur infinita, desumuntur: quot autem erunt in quocumque polygono æquiangulo & æquilatero specula ad inuicem disposita, toties imago eiusdem puncti videri poterit.

XIX.

A pluribus speculis planis potest imago rei per se visæ, vel non visæ reflecti ad oculum; ab imparibus autem dextra sinistra, & contra: & à paribus dextra apparent dextra; & distantia imaginis à visu constat ex

quantitate omnium linearum incidentiæ, & reflexionis.

XX.

Duo ſpecula plana rectangula, & æqualia ita collocari poſſunt, vt intuens in vno ſpeculorum ſuam imaginem videat venientem, & in altero recedentem: docente Prolo. theor. 4.

XXI.

Si vertex montis, aut turris, incidens in ſpeculum planum reflectatur ad oculum; erit vt reflexio ad ſuam perpendicularem, ſic incidentia ad montis altitudinem. Aliter, vt ſe habet diſtantia pedis à puncto reflectente ſpeculi, ita ſe habet diſtantia ſpeculi, & turris, vel montis, ad eiuſdem montis vel turris altitudinem: hinc oritur Geometria Catoptrica, ſeu ars menſurandi per ſpecula.

XXII.

Ab vno ſpeculo plano ignis accendi nequit, poteſt à pluribus: vnicum tamen planum ignem ab alijs ſpeculis productum continuare poteſt.

XXIII.

Optima materia ſpeculorum chalybea: vel cuprea ſtanno, ſtibio, auripigmento, tartaro, & halinitro mixta.

XXIV.

Inter puncta imaginis ſuperficiei cuiuſcumque ſpeculi incidentis, & ſpeculi oppoſiti ſuperficiem neceſſe eſt infinitas pyramides figurari, conos, & baſes hinc inde mutuas habentes.

XXV.

Neceſſe eſt ſuperficiem reflexionis erectam eſſe ſuper ſpeculi ſuperficiem, vel ſuper ſuperficiem ſpeculum illud in puncto reflexionis contingentem: in illa verò ſuperficie centrum viſus, punctum viſibile, punctum reflexionis, terminuſque perpendicularis, & catheti vtriuſque reperiuntur.

CATOPTRICÆ

PARS SECVNDA.

De ſpeculis ſphæricis, déque cylindricis, & pyramidalibus tam conuexis quàm concauis.

DEFINITIONES.

I.

MAius ſpeculum ſiue ſphæricum, ſiue columnare & pyramidale, tam conuexum quàm concauuum à Vitellione lib. 6. & 7. dicitur,

cuius ſphæræ diameter eſt maior, vel quod eſt pars maioris columnæ, vel pyramidis, & minus è contrario.

II.

Diameter, & centrum ſpeculi ſphærici, diameter & centrum ſphæræ dicitur, cuius portio eſt ſpeculum: *Videantur quæ in Præfatione dicta ſunt.*

III.

Diameter viſualis dicitur linea à centro viſus per centrum ſpeculi ſphærici tranſiens, quæ ſimiliter cathetus reflexionis appellatur.

IV.

Linea recta ſpeculo ſphærico conuexo æquidiſtare dicitur, quæ ſecundùm punctum medium æquidiſtat lineæ aliquem arcum circuli magni illius ſpeculi ſecundùm medium eius punctum contingenti.

V.

Finis contingentiæ eſt punctus vbi altera cathetorum ſecat lineam in puncto reflexionionis ſpeculum contingentem.

VI.

Meta locorum imaginis eſt punctum, vel linea, vltra quam imago non videtur.

Theorema primum.

In conuexis ſpeculis ſiniſtra apparent dextra & contra: & imago propiùs abeſt à ſpeculo quàm aſpectabile, eoque minor eſt; tantoque minor quanto minus eſt ſpeculum; tanto verò maior, quanto viſibile eſt propinquius.

II.

In iiſdem ſpeculis aſpectabilium imagines conuexæ apparent, eoque conuexiores quo ſpecula conuexiora fuerint.

III.

Specula ſphærica, vel alio modo inflexa, compoſita dici poſſunt ex pluribus, vel infinitis planis ſpeculis; ideoque ſe habent in repræſentando, illuminando, & calefaciendo, vt ſpecula plana multiplicata, & tangentia ſingulas ſpeculorum curuorum partes.

IV.

Anguli incidentiæ & reflexionis cuiuſlibet puncti iudicantur penes lineam rectam tangentem punctum in quo deſinit radius incidentiæ, & incipit radius reflexionis.

V.

Locus imaginis viſæ in ſpeculis ſphæricis conuexis ponitur ab antiquis in concurſu lineæ reflexionis cum catheto incidentiæ: in concauis in recta linea ducta ab aſpectabili ad centrum ſphæræ, cuius portio eſt ipſum ſpeculum. A Steuino 7. prop. Catoptr. in occurſu lineæ

ad oculum reflexæ cum linea recta perpendiculari à visibili ducta, super lineam contingentem speculi superficiem in puncto reflexionis, quæ perpendicularis non pergit ad centrum sphæræ, cuius portio speculum existit. A Keplero statuitur in perpendiculari ex re visa in superficiem siue refringentem, siue repercutientem, quatenus distantia punctorum rei visæ per binos oculos, seu per vnius oculi diametrum latitudinis capitur: nisi cum vtriusque oculi eadem fuerit superficies; tunc enim in conuexis speculis, & mediis densioribus imaginem è perpendiculari excedere, ad visum accedere putat.

VI.

Si ab aspectabili puncto per globosi speculi centrum recta infinita ducta sit, imago in recta infinita, & aspectabile punctum æqualiter à speculo distant, apud Steuinum: at minor est distantia imaginis à speculi conuexi sphærici superficie apud Vitell. prop. 37. l. 6. & Euclid. 20. quàm ipsius rei extra: de variis autem locis, & figuris imaginis, pro vario rei visæ situ fusissimè agit Vitellio ab 11. prop. 6. vsque ad 62.

VII.

A superficie speculi sphærici conuexi ex diuersis superficiebus sphærarum composita imagines monstruosæ videntur: tametsi verò ab vnius superficie ignis accendi nequeat, potest à pluribus.

VIII.

Superficies sphæricæ aptissimæ sunt ad rerum plurimarum perspectiuam, seu picturam in parua quantitate repræsentandam: quæ si columnares, seu cylindricæ fuerint, extensas picturas ignotas colligent, & notas facient: at de his speculis Vitellio fusè tractat lib 7. per 60. propositiones: quarum duas vltimas solùm affero.

IX.

In speculis columnaribus vel pyramidalibus conuexis maioribus maiora videntur idola: reique visæ propinquioris imago videtur maior. Quod si perpendiculare fuerit horizonti cylindricum speculum, tantum imaginem producet in longum, quantum deducet in latum, si eidem horizonti parallelum statuatur.

X.

Possibile est speculum cylindricum, vel pyramidale conuexum ita collocari, vt intuens videat in aëre extra speculum imaginem rei alterius non visæ. Deinceps verò de speculis sphæricis concauis agamus.

XI.

Radij ab obiecto lucido vel colorato procedentes à conuexis speculis disgreguntur; sed à concauis colliguntur.

XII.

Centro visus, vel puncto rei visæ in centro speculi sphærici concaui existente, à quolibet puncto fiet reflexio in ipsum visum: ideoque nihil præter seipsum videbit oculus.

XIII.

Posito visu extra centrum speculi eiusdem, à quolibet puncto speculi fieri potest imaginis alterius reflexio ad visum, præterquam à puncto, cui incidit diameter visualis.

XIV.

Locus imaginis rerum ab eodem speculo reflexarum quandoque est in ipso puncto reflexionis; quandoque vltra speculum; quandoque inter visum & speculum; quandoque in superficie ipsius visus; quandoque retro visum: docentibus Alhazeno, Vitellione & experientia, atque ratione, ex quibus & sequens theorema.

XV.

In eodem speculo eadem est proportio catheti incidentiæ ad rectam à centro speculi ad locum imaginis productam, quæ lineæ à puncto rei visæ ad finem contingentiæ ductæ, ad lineam à fine contingentiæ ad locum imaginis productam.

XVI.

Quilibet punctus diametri circuli magni eiusdem speculi potest esse locus imaginis, quantumcumque producatur.

XVII

Oculus positus in circumferentia, aut extra circumferentiam non apparet: potest autem visum punctum in speculo concauo seu sphærico à pluribus locis reflexum vnicam imaginem habere: potest etiam duas, & fortè 3. aut 4.

XVIII.

In speculis istis concauis intra centrum speculi eiusque superficiem res in proprio situ, extra verò centrum euersæ apparent: illic maior, hic minor esse videtur imago.

XIX.

In speculis istis, radij paralleli ita circa quartam partem diametri reflectuntur, vt maximè illuminent, & comburant; itaque focum speculi concaui reperies, si noueris diametrum sphæræ cuius speculum portio fuerit.

XX.

Si speculi concaui sphærici diameter duorum pedum regiorum fuerit, non solum in foco circa medietatem semidiametri, sed citra & vltra per spatium 3. aut 4. digitorum comburet ob radiorum multitudinem, & condensationem in toto illo spatio existentem.

XXI.

Difficile est assignare quanta radiorum multitudo necessaria sit, vt ignis generetur ab eis per reflexionem: videat quispiam si possit illud definire dato minimo speculo, quod comburere queat; quale forsitan erit, si pollicis vnius solummodò diametrum habuerit.

XXII.

Illuminatio foci speculi con caui non est sita in indiuisibili, sed vnius saltem lineæ diametrum habet: sunt qui definiant istius foci latitudinem per arcum subtẽdentem angulum 30. minutorum, à radiis ex quolibet puncto reflexis productum; quia solis diameter apparens est tot minutorum: quod si verum est, hyeme quàm æstate focus latior erit, cùm Sol in Capricono existens, sit etiam in perigæo, in quo solas 1100. terræ semidiametros à nobis distat; cùm in apogæo 1181. dum versatur in Cancro, à terræ superficie recedat; hinc fit vt 92745. leucis, quarum quælibet 15000. pedes regios complectitur, hyeme quàm æstate Soli fiamus viciniores: est enim terræ semidiameter 1145. leucarum.

XXIII.

Fieri possunt concaua specula sphærica quæ ad magnam distantiam comburant, & illuminent, si dentur artifices, & materia; quæ tamen ab hominibus tanta fieri non posse credidero, vt ad spatium dimidiæ leucæ comburant: quot enim obsecro requirerentur homines ad mouendum illud speculum; quanta materia ad illud conficiendum?

XXIV.

Specula prædicta radios candelæ in foco, vel circa focum positæ ad magnam distantiam veluti parallelos, & columnares ita remittunt, vt per 500. pedes remotus solo paruulæ candelę lumine minutissimæ litteræ cognosci, atque legi possint: posset verò tantum esse speculum, & tam perfectè politum, vt per vnam aut alteram leucam litteræ superficiei adhærentes, vel etiam in loco per 2. leucas remoto positæ legi possent: sed industriâ humana fieri nequit, vt litteræ speculo adhærentes, vel alio modo dispositæ in Luna videantur; quapropter mentitur Agrippa cùm secretum illud sibi vendicat.

XXV.

Si densitas seu fortitudo radiorum in angustiori loco se habeat ad fortitudinem eorumdem in latiore superficie contentorum, vt se habent sphæricæ superficies, quibus origo lucis pro centro est, amplior ad angustiorem, & contra: radij solares directi absque vlla reflexione, $7\frac{62}{127}$ terræ propè Solem semidiametris, æquè ac radij Solis à speculo concauo pedali in focum latitudinis vnius lineæ reflexi, comburent. An verò non sit aliud ignis elementum præter illum ignem Solis æthe-

reum,) Philosophis discutiendum permitto: suppono autem Solem esse in media distantia, id est 1141. semidiametros terrenas à nobis distantem.

XXVI.

Speculorum concauorum ope, luna, & alia sydera in data magnitudine videri, ac proinde homines ab ingenti spatio cognosci, & litteræ tametsi minutæ ab eodem spatio, vt à 2. leucis, discerni possunt: non potest tamen obiectum ita multiplicari, seu crescere, vt quis litteras in luna positas legat: Opticus tamen determinare potest quale & quantum speculum ab Angelis confici debeat, vt litteræ, & alia minutissima in luna, vel etiam in stellis posita videri possint ab oculo in terra circa speculi centrum collocato.

XXVII.

Speculorum concauorum foci quoad vim illuminandi, calefaciendi, & comburendi, se habent vt ipsorum speculorum concauæ superficies, ideoque in duplicata ratione, quemadmodum à diametris quadrata: igitur data speculi superficie vis foci dabitur; si tamen priùs alicuius foci vim supponamus. Cùm igitur 14000. vicibus diameter speculi è portione terrenæ sphæræ confecti minor sit diametro speculi è portione sphæræ stellatæ abscissi, & speculi è portione sphæræ diametrum, vel axem pedalem habentis facti diameter terrenâ diametro 38320000. vicibus minor sit, & tamen speculum è portione sphæræ pedalem axem habentis foco suo plumbum celerrimè liquefaciat, cogita, quanta vis duorum prædictorum speculorum futura sit.

XXVIII.

Si firmamentum esset speculum, nihil in eo præter suum oculum intuens videre posset, qui eiusdem cum dimidio firmamenti magnitudinis appareret: quo posito speculo, viderint Chymici quid passurus sit globus terrenus, & in quæ principia reducendus.

XXIX.

Si firmamenti concaua superficies esset speculum, candelæ 7000. terrenis diametris à terra distantis luce singuli homines legere possent.

XXX.

Si firmamenti superficies concaua speculum ponatur, solo candelæ paruulæ lumine vbicumque intra firmamentum positæ legere quispiam poterit in circulo 7000. terrenis diametris à terra distante, id est in quarta parte diametri sphæræ stellatæ.

XXXI.

Quo speculum est portio minoris sphæræ, eo aptius est vt calefa-

ciat, vel illuminet, & inflammet vi lucidi propinqui: *Plura de loco imaginis, & de omnibus apparentiis imaginum, ſicut & de aliis ad concaua ſpecula ſphærica pertinentibus Vitellio, 68. propoſitionibus 8. libri tradidit; pluráque nos 1. tomo in Geneſim ex Magino attulimus: ſolùm addo theorema ſequens.*

XXXII.

Imaginum, ſeu idolorum varij ſitus, & diuerſa loca, quæ in ſpeculis conuexis, & concauis apparent, ita vt aliquando citra ſuperficiem concaui, aliquando intra conſpici videantur, vt patet ex manibus, enſibus, & aljis rebus ſpeculo obiectis, & ex eo velut egredientibus, explicari poſſunt per angulos maiores, aut minores, ſub quibus idola, vel potiùs ipſa obiecta cernuntur: nam quæ ſub maiori angulo conſpiciuntur, accedere, quæ ſub minori, recedere videntur, vt primo libro dictum eſt.

XXXIII.

Lumen, & ignis, beneficio ſpeculorum planorum, & concauorum facilè transferri poſſunt in antra, & alia loca ſubterranea, ad quæ radij directi ſolis, vel alterius lucidi peruenire nequeunt: poteſtque lumen ter aut quater à tribus aut 4. planis ſpeculis reflexum ignem producere, ſi in vltima reflexione colligantur radij cum ſpeculo concauo. At verò determinare reflexionem vltimam, vltra quam nulla alia vim comburendi habitura ſit, eſt ſolius in Catoptrica peritiſſimi: tameſi magnitudo ſpeculorum, & diſtantiæ reflexionum datæ ſint: *Hinc reliquæ proprietates ſpeculi ſphæri. i concaui concludi poſſunt: idcoque ad concaua cylindrica progredior.*

XXXIV.

Centro viſus exiſtente intra ſpeculum columnare vel pyramidale concauum, à quolibet puncto ſpeculi fiet reflexio ad viſum: exiſtente verò extra idem ſpeculum non integrum, à maiore parte ſuperficiei ſpeculi fiet reflexio ad oculum.

XXXV.

A quocunque puncto eiuſdem ſpeculi non poteſt niſi forma vnius puncti ad viſum reflecti, ideóque vnica imago videtur: at verò locus imaginis erit aliquando vltra, quandoque citra ſpeculum & viſum; quandoque in centro viſus, vel in ſuperficie ſpeculi, vel inter viſum & ſpeculum, vt in ſphæris concauis accidit.

XXXVI.

Communi ſectione ſuperficiei reflexionis, & ſpeculi columnaris concaui exiſtente oxygonia, vel circulo, poterunt eſſe vnum, duo, tria, vel quatuor puncta reflexionis, non autem plura: iuxta quæ, loca imaginum numerabuntur.

XXXVII.

XXXVII.

Omissis reliquis quæ Vitellio de his speculis 9. libro per 38. propositiones docet, addo speculis istis ignem accendi: his autem & conuexis cylindricis, & pyramidalibus siue seorsim sumptis, siue mixtis, faciem, & alia obiecta monstruosa repræsentari, vel monstruosa, & penitus incognita ad iustam formam, & pulchritudinem quæsitam reuocari posse. *Iam superest vt de speculis è sectione conigenitis agamus.*

CATOPTRICÆ PARS TERTIA.

De speculis ellipticis, hyperbolicis & parabolicis.

EX sectionibus coni duas omittamus, eam nempe quæ fit plano per axem, & plano basi parallelo, cùm illâ speculum planum, hac autem sphæricum concauum vel conuexum tantummodo generari possit: si verò vnius lateris sectio sit alteri lateri parrallela, parabolica; si non sit paralella, sed occurrat alteri lateri producto supra verticem, hyperbolica; si denique latus vtrumque ita secetur, vt sectio concurrat cum vno latere vltra basim producto, elliptica sectio nascetur. Quibus ab Appolonio demonstratis, sit.

Theorema primum.

Si sectionem parabolicam linea recta contingat, à puncto contactus ducatur recta perpendicularis diametro sectionis productæ ad concursum cum contingente, erit pars diametri interiacens perpendicularem, & peripheriam sectionis, æqualis parti interiacenti sectionem & contingentem.

II.

Omne quadratum lineæ perpendicularis ductæ ab aliquo puncto sectionis parabolæ super diametrum sectionis est æquale rectangulo contento sub parte diametri interiacente illam perpendicularem & peripheriam sectionis, & sub latere recto ipsius sectionis.

III.

Si in sectione parabolica ab extremitate diametri ex parte peripheriæ sectionis resecetur æquale parti lateris recti ipsius sectionis,

omnis linea æquidistanter diametro incidens alicui puncto sectionis, & linea ab eodem puncto sectionis ad punctum abscissionis diametri producta, cum linea contingente sectionem super illud punctum, continent angulos æquales.

IV.

In omni superficie concaua concauitatis parabolicæ, si ab extremitate axis contingentis sectionem abscindatur pars æqualis quartæ parti lateris recti ipsius parabolæ: omnis linea æquidistanter axi incidens illi superficiei, & linea à puncto incidentiæ ad punctum signatum in axe producta, cum linea in illo puncto superficiem contingente continent angulos æquales.

V.

Speculo parabolico concauo Soli opposito, ita vt axis ipsius sit in directum axi corporis solaris: omnes radij incidentes speculo æquidistanter axi, reflectuntur ad punctum vnum axis distantem à vertice speculi secundùm quartam partem lateris recti ipsius parabolæ: quod non tantùm de Sole, verum etiam de quolibet puncto lucido verum est, quod tantopere distat à speculo, vt omnes radij ab illo procedentes paralleli conseri possint.

VI.

Speculum parabolicum radiis solaribus expositum fortissimè omnium comburit: puncti lucidi in foco positi radios in finitum reflectit parallelos, & obiectum in eodem foco positum maximum repræsentat: capropter candelæ in foco parabolico positæ lumine longissimè litteras discernere; similiterque candelæ à speculo parabolico remotissimæ lumine in foco collectæ litteras in eodem foco expositas legere possumus.

VII.

Speculum parabolicum, similiterque sphæricum aquam calidam in foco positam congelare possunt, si glacies, aut aliud vim gelatiuam habens in axe, vel diametro speculi parabolici, vel sphærici longè à foco exponatur, & radij calidi & frigidi lucis radios æmulentur.

VIII.

Quemadmodum radij à puncto lucido in centro speculi concaui sphærici posito diuergentes in idem punctum à superficie istius speculi remittuntur; & radij paralleli in datum punctum, radiique concurrentes, vel punctum lucidum in radios iterum parallelos à parabolico reflectuntur; ita radii à puncto dato in punctum aliud ab elliptico speculo repercutiuntur & radii concurrentes, magis concurrentes fiunt à speculo hyperbolico, citiusque in punctum, ad quod alioqui tardiùs

peruéniſſent, iſtius ſpeculi occurſu coëunt. Vide Lemma Propoſ. XIX. Hydraulicorum, vbi plura de his ſectionibus.

IX.

Si fiat ellipticum ſpeculum, cuius vnus focus ſit in centro Solis, alter verò focus in ſuperficie terræ, nullus intra tropicos viuere poterit: imo neque fortaſſis in vlla parte terræ, quippe quæ calore in hoc foco concepto fortè tota in cineres verti poſſet.

X.

Duo ſpecula parabolica ita diſponi poſſunt, (ſi materia nulli igni cedens dari poſſit) vt radios in punctum, vel ſaltem in comburentem denſitatem collectos, in linea, vel paruula columna in longum producta ſemper vrentes conſeruet: quod vt fiat, minus ſpeculum parabolicum in foco maioris in vertice foramen eiuſdem magnitudinis cum minori ſpeculo habentis, ſtatui debet, quod radios Solis in punctum à maiori coactos, parallelos per prædictum foramen in magnam diſtantiam remittat, quos poſtea plano ſpeculo in punctum datum reflectere poſſis.

XI.

Annulus parabolicus comburere poteſt; quantæ vero magnitudinis eſſe debeat ad vim vrendi habendam Catoptricus abſque experientia determinare nequit.

XII.

Dato puncto in quo generandum incendium proponitur, facile eſt aſſignare ſpeculum parabolicum, quo illud producat: & ellipticum quod punctum lucidum ad punctum datum reflectat.

XIII.

Si fornix alicuius aulæ formam ellipſis concauæ ſeruet, & quiſpiam demiſsè loquatur in alia extremitate, quamuis per centrum, vel etiam plures paſſus diſtet, audietur ſolum in alia extremitate, & in toto ſpatio intermedio non audietur: ſimiliterque candela in vna extremitate poſita, plus in alia extremitate illuminabit quàm in vlla alia parte totius aulæ.

Omitto plurima quæ ſpeculorum regularium, & irregularium operi poſſunt, quales ſunt variæ dictionis alicuius repræſentationes, quæ tametſi vnica ſit, verbi gratia, Latina Hebraica, & Græca legi poterit: deinde variæ picturæ, & confectio horologiorum quorumcumque, & alia ludrica propemodum infinita, partim ex ſequenti Diaclaſtica, partim ex Perſpectiua poterunt intelligi: eapropter nihil amplius de ſpeculis ſubiiciam, vt animum Dioptricicis applices, de quibus ſequenti libro dicturi ſumus.

OPTICÆ.

LIBER TERTIVS,

SEV DIOPTRICA.

PRIMA PARS

Dioptricæ principia complectitur.

DEFINITIONES.

I.

LInea incidentiæ dicitur, iuxta quam radius recte diffunditur per medium vnius dinphani, qualis est radius candelæ vsque ad vitrum perueniens.

II.

Reftactio est incuruatio eiusdem lineæ ad angulum continendum, vt cum radius Solis peruenit ad vitrum conuexum, quippe qui frangitur in superficie istius vitri.

III.

Punctus refractionis est is, in quo lineæ incidentiæ fit refractio; estque in superficie secundi diaphani à primo diuersi.

IIII.

Linea refractionis est, quæ à puncto refractionis ad centrum oculi extenditurr

V.

Linea perpendicularis hîc dicitur, quæ à puncto refractionis erigitur perpendiculariter super superficiem corporis, à qua fit refractio perpendiculariter producta.

VI.

Cathetus incidentiæ est linea à puncto rei visæ super superficiem corporis, in quo est res visa, & à qua fit refractio, perpendiculariter producta.

VII.

Superficies refractionis est, in qua continentur lineæ incidentiæ, & refractionis.

VIII.

Angulus incidentiæ dicitur minor angulus, quem continet linea incidentiæ cum linea perpendiculari, ducta à puncto refractionis super superficiem corporis, à qua fit illa refractio.

IX.

Angulus refractus dicitur angulus minor, quem continet linea refracta cum dicta perpendiculari.

X.

Angulus refractionis est, quem continet linea refractionis cum linea incidentiæ trans corpus diaphanum, à cuius superficie fit refractio, in continuum producta.

XI.

Directa visio dicitur, cum imago rei visæ sine refractione peruenit ad visum.

XII.

Obliqua verò, cùm ad visum refractè peruenit.

XIII.

Imago refracta est forma rei visæ obliquè perueniens ad visum.

XIV.

Locus imaginis refractæ est, in quo imago refracta visibus occurrit.

Theorema primum.

In omni superficie refractionis necessariò sunt punctum, cuius forma refringitur; punctum refractionis: centrum ipsius visus: & perpendicularis ducta puncto refractionis super superficiem, à qua fit refractio: quæ postrema superficies primæ subiicitur.

II.

Refractio rei visæ, vel radij cadentis à medio diaphano rariore in superficiem densioris, fit ad perpendicularem, quæ ducitur à puncto refractionis super superficiem, à qua fit refractio: si verò cadat à densiori diaphano in rarius, refractio fit à perpendiculari.

III.

Centro visus, & puncto rei visæ per refractionem in diuersis diaphanis loca propria permutantibus, eædem lineæ incidentiæ, & refractionis nomina permutant.

IV.

Imago refracta rei visibilis nunquam occurrit visui in loco rei visæ, sed semper extra suum locum.

V.

Omnis forma puncti per refractionem visi comprehenditur in rectitudine lineæ, per quam à puncto refractionis species ad oculum extenditur: idque in linea perpendiculari ducta à puncto rei visæ super superficiem corporis, à qua fit refractio, iuxta doctrinam antiquorum: sed ambobus oculis in eadem refractionis superficie versantibus, & valdè ex obliquo intuentibus imaginem è perpendiculari excedere, & oculis appropinquare Keplerus animaduertit.

VI.

Quo res visæ, vel radij magis distant à perpendiculari ducta à centro visus super superficiem refringentem corporis diaphani, eo maior est refractio. *Aliter.* Quò lux obliquiùs incidit, eo maiori angulo refringitur: attamen refractionum anguli crescunt maioribus rationum incrementis, quàm obliquitas incidentiæ; nam refractiones syderum crescunt circa horizontem præcipitatis incrementorum proportionibus.

VII.

Lucis tenuis, & densioris nulla est differentia refractionis, cæteris paribus; sicut & nulla vtriusque differentia in reflexionibus; *quantum videlicet ad angulos attinet.*

VIII.

Si diuersa visibilia æquidistent ab oculo in diuerso medio, refringentur ad puncta æquidistantia, & æquales réfractionis angulos facient: remotius autem refringetur ad punctum remotius, & maiorem refractionis angulum faciet.

IX.

Refractio reddit aliquando colorem, & lucem, vel colorem lucidum, aut lucem coloratam obiecti, non imaginem, vt patet in coronis, virgis, iride, & aliis meteoris: aliâs reddit imaginem, quamuis illa lux colorata, imperfecta imago dici possit.

X.

Imago videtur in medio rariori remotior, & minor: in densiori verò propinquior, & maior: vt constat ex demersis in aquam: & obiecta eò minora videntur in aëre, cum ab oculo posito in aqua cernuntur, quò maiora videntur in aqua ab oculo in aëre constituto: quanto verò rarius est medium, tanto minora & remotiora: quanto densius, tanto maiora, & propinquiora apparent; vnde Cleomedes concludit solem longè maiorem visum iri, si lynceis oculis per solidos parietes spectaretur.

XI.

Locus imaginis tam in speculis reflexione, quàm in perspicilijs, & dioptricis instrumentis refractione mutatur ad rei visæ, vel oculi mutationem: *vt fusiùs posteà dicturi sumus.*

XII.

Si superficies refringens recta est, linea, & oculus sit in perpendiculari exeunte à medio puncto rei visæ super illam superficiem corporis diaphani, vel si punctus rei visæ existat in perpendiculari ducta à centro visus super superficiem diaphani, imo & sphærici, puncti visi nulla fit refractio, & vnica imago videtur: si verò punctus rei visæ iaceat ex-

2009 Ministério da Cultura

ra perpendicularem ductam à centro visus, in vno tantum puncto fiet refractio, siue communis sectio superficiei refractionis, & superficiei corporis diaphani refringentis sit plana, siue sphærica.

XIII.

Rei visæ superficies non æquidistans superficiei refringenti visa in medio densiore maior videtur quàm si æquidistaret: ac proinde pars quælibet imaginis videbitur maior re visa sibi proportionali: quod vltimum peræquè verum est de superficie rei æquidistante.

XIV.

Re visa trans corpus diaphanum columnare densius aëre, itavt centrum visus, & centrum alicuius circuli corporis æquidistantis basibus columnæ & res visa sint in eadem linea recta, imago duplicata videbitur.

XV.

Locus imaginis rei visæ refractionem, existentis in medio secundi diaphani, quandoque est in ipso secundo corpore diaphano, quandoque in ipso puncto refractionis, quandoque inter visum & illud corpus diaphanum, quandoque retro visum: quandoque in ipsa superficie visus, docente Vitellione theor. 16. l. 10.

XVI.

Imago formæ cuiuslibet rei visæ figuratur diuersimodè secundùm figuram superficiei corporis, à qua fit refractio ad visum.

XVII.

Diaphanum aëre densius radios solis ita condensare potest, vt ignis excitetur, quod euidens est in lagenis aqua plenis, & in lentibus crystallinis ex vna, vel ex vtraque parte conuexis, vt in 2. parte dicemus.

XVIII.

Sol, & alia sydera maiora videntur prope horizontem ob refractionem: vnde sæpissimè Sol ellipticus apparet, ob vapores atmosphæræ interpositæ, & obliquitatem incidentiæ radiorum, quippe qui in sphæram atmosphæræ terræ concentricam obliquè incidunt; & ideò Solis altitudo coarctatur, & non latitudo; eoque magè coarctatur, quo vapores minus alti fuerint, cùm solarem conum ad axem opticum magis obliquent: eaque de causa prope horizontem sydera magis à se distare videntur latitudine, quàm altitudine.

XIX.

Refractiones faciunt vt maculas solares statim maiores, & vicinio-res, statim minores, & magis distantes helioscopus intueatur, Hinc pro varietate refractionum atmosphæræ, altitudo varia esse iudicatur.

XX.

Ob illas refractiones, qui sunt in sphæra parallela sub polis mundi

constituti, Solem totum æquinoctij tempore videnť oblõgum ob contractionem: sed & eiusdem meridiani, & paralleli incolis eodem tempore ellipticus, & sphæroides apparere potest, ob varias dispositiones atmosphæræ. XXI.

Ob easdem, ambo luminaria diametraliter opposita, & eclipsis Lunæ, vnaque Sol conspici possunt: *Verùm quæ spectant ad astrorum refractiones, in optica astronomica afferentur, vbi de dioptricis instrumentis actum fuerit.* Videatur illustris viri Dioptrica, ex qua possint emendari quæ forsan hocce libro minus certa videri possent. Leganturque duo tractatus qui huic volumini colophonem imponunt.

DIOPTRICÆ,

PARS SECVNDA.

De dioptricis instrumentis, & de aliis principiis Anaclasticæ.

QVemadmodum opacitas in corporibus reflectentibus requiritur, ita diaphaneitas, seu perspicuitas in refringentibus: quæ si regularia sint, speculorum instar polita, atque læuigata esse debent: alioquin si eorum superficies difformes sint, & perturbatæ, obiectum fideliter repræsentare non poterunt. Debent præterea instrumenta dioptrica coloris & lucis expertia esse, ne imago obiecti illo colore inficiatur, vel nulla ratione videatur: quibus positis, reliqua more solito theorematibus exponemus.

Theorema primum.

Idem corpus potest esse instrumentum dioptricum & catoptricum, cum nullum adeò sit opacum, quin aliquid perspicuitatis habeat, vt constat ex cornubus nigerrimis, & aliis corporibus opacissimis in tenues laminas extensis: & contra. II.

Quidquid fit instrumentis catoptricis, fieri potest dioptricis; quibus videlicet vtimur ad obiecta repræsentanda, lucem colligendam, vt facilius tam lunæ quàm stellarum luce legere possimus, & ad calorem, & ignem excitandum. III.

Tot sunt superficies siue regulares, siue irregulares anaclasticorum instrumentorum, quot sunt catoptricorum.

IV.

Quo densius fuerit instrumentum dioptricum, & quò plus opacitatis

citatis immixtæ habuerit, radius in illud difficilius ingredietur, cum opacitas ad vim illuminatiuam ita se habere videatur, quo medium densius, & fortius ad virtutem motiuam: Secus tamen dicendum, si radij eò faciliùs in diaphanum ingrediantur, quo densius fuerit, vt nobilis Mathematicus existimat.

V.

Dari possunt diaphana, quæ radios à puncto dato diuergentes ad datum punctum refringant; vel parallelos efficiant: & quæ parallelos quoscumque in dato puncto colligant, iterumque ex dato puncto parallelos reddant.

VI.

Crystalli, vel alia diaphana, æquè ac specula, ita fabricari possunt, vt ex quolibet quodlibet repræsentetur; nempe ex grano sinapis eleties obiectum multiplicent, quoties volueris: vel quæ totum vt vnum quidpiam referant.

VII.

Eadem est refractio radiorum siue ingredientium, siue egredientium: quorum refractiones in crystallo, & vitro sunt proximè æquales, & vsque ad tricesimum inclinationis gradum sunt ferè proportionales inclinationibus: est autem angulus refractionis in crystallo vsque ad prædictum terminum quàm proximè tertia pars inclinationis in aëre, quæ sumitur ex angulo inter perpendicularem superficiei, & quemcumque radium prædictam perpendicularem in puncto superficiei secantem.

MONITVM.

Ita sentiebat Keplerus cum aliis, donec Vir Illustris in sua Dioptrica nos docuisset veram refractionis proportionem; quam prop. 24. Ballisticæ, pag. 79. explicauimus, rursusque in duobus tractatibus Dioptricis ad calcem librorum istorum Opticorum explicatam habes: iuxta quam omnia, (si quæ contraria reperiantur in hisce libris) emendenda sunt.

VIII.

Maxima crystalli refractio est circiter 48. graduum, quæ à maxima inclinatione radij incidentis oritur: nam quo maior, aut minor est hæc inclinatio, eò maior aut minor est refractio: licet refractiones exquisitè pensitatæ non sint proportionales inclinationibus in aëre.

IX.

Radij à diuersis punctis in idem superficiei densioris refringentis punctum incidentes, ita se mutuò secant, vt situm mutent, ac si sectio fieret sine refractione.

X.

Si radij plus 42. gradibus intra corpus cryſtalli ſuper vnam eius ſuperficiem inclinati eam penetrare nequeant, poſſint tamen reflecti, vmbræ contra Solem proiici poterunt.

XI.

Radij penetrando linearem angulum priſmatis ex triangulo æquilatero vitreo, vel cryſtallino formati iucundiſſimos colores iridis producent: ſi verò vitrei corporis angulus inter oculum, & viſibile poſitus rectus fuerit, non tranſmittet radios viſiles ad oculum.

XII.

Priſmatis angulo ſupino quæ ſunt, videntur ſupra, prono infrà, dextro dextra, ſiniſtro ſiniſtra.

XIII.

Licet punctum quodlibet lucidum vel coloratum radiet in orbem, cùm tamen diameter inſtrumenti dioptrici nullam habet ſenſibilem proportionem cum prædicti puncti diſtantia, radij extrema dioptrici contingentes paralleli cenſentur: quorum vnicus occurrenti ſuperficiei curuæ perpendicularis eſſe poteſt.

XIV.

Radij puncti viſibilis propinqui diuergentes; plurium verò punctorum conuergunt ad centrum oculi, vel lentis vitreæ, ſiue cryſtallinæ; quæ vel conuexa eſt, vel concaua, vel mixta: & quæ duplicem habet magnitudinem, nempe corporis, & figuræ: iuxta quam dicitur eſſe parua, vel magna pars circuli, vel ſphæræ: quo verò minor eſt circulus, eo conuexitas, & concauitas maior eſt, & contra.

XV.

Radij paralleli incidentes in lentem conuexam portionis minoris quàm 30. graduum, perpendiculariter obiectam, concurrunt cum radio perpendiculariter incidente poſt ſeſquidiametrum ſphæræ circiter: qui ſi paralleli, & perpendiculares penetrent planam baſim prædictæ lentis inuerſæ, infra ſuperficiem conuexam concurrent cum perpendiculari radio, ferè diametro conuexitatis.

XVI.

Si radij intra prædictum corpus non ſint paralleli, ſed verſus denſum conuexi terminum conuergant, in breuiori diſtantia à conuexo, quàm eſt diameter conuexitatis, ad punctum concurrent: at ſi punctum radians propius fuerit conuexo, diametro conuexitatis, radij puncti illius refracti diuergent in corpore denſo.

XVII.

Radij ex vno radiante puncto paralleli in lentem vitream vtrimque

conuexam perpendiculariter obiectam incidentes propiùs post lentem concurrunt ad vnum punctum quàm sit diameter circuli, qui format auersam superficiem: & propius quàm sesquidiameter obuersæ. Quod si conuexitas vtraque ex eodem circulo fuerint, concursus post lentem fiet in puncto, quod abest semidiametro obuersi conuexi ferè, hoc est in centro eius.

XVIII.

Si fuerint inæquales conuexitates, concursus post lentem in illa distantia continget, quæ inter vttiusque conuexitatis semidiametros versatur: quæ erit maior semidiametro minoris, quia altera superficies est de maiori circulo; quæ si de æquali fuisset, semidiametri mensura in hoc interuallo fuisset: minor autem erit diametro minoris, quia superficies minoris non est sola: denique minor erit semidiametro maioris, quia si superficiei minoris circulus æqualis fuisset, in hoc interuallo fuisset; nunc autem non æqualis, sed minor est.

XIX.

Longinqui puncti de re visibili radij proximè lentem concurrunt: propinquioris puncti radiorum concursus post lentem est remotior: cuius ope visibilium externorum pictura in pariete, vel charta in cubiculo clauso ad punctum concursus specierum posita, licet inuersa, bellè repræsentatur, sed quæ alterius lentis, vel plani speculi beneficio possit erigi: distinctissima verò pictura semidiametrum, vel diametrum lentium ostendet.

XX.

Vt se habet diameter picturæ ad eius distantiam à lente, sic ferè se habet diameter rei visæ ad eius etiam distantiam à lente: cùm radij visibilis se mutuò fecent penè in vno puncto proximè centrum lentis: cùm igitur anguli ad verticem sint æquales, habent etiam bases cruribus vtrinque proportionales: eapropter rei visibilis distantia lente conuexa possumus vnica statione metiri.

XXI.

Quæcumque lens, vel quodlibet perspicilium facit radios de directis certi generis refractos eiusdem, vel alterius generis, toties idem facit radios de directis istius posterioris generis refractos prioris generis: sic enim tam per specula quàm per dioptras radij solis fiunt de parallelis concurrentes, & de concurrentibus paralleli: hinc conclude diopticorum instrumentorum ope de nocte litteras ad stellarum radios legi, & candelæ lumen longissimè proijci posse.

XXII.

Lens illa ad ignem excitandum aptissima est, quæ obiectum maximè distans, vt solem, lunam & stellas distinctissimè repræsentat, cum vtrobique radij omnes tam visibilis quàm calefacientis in vnum pun-

ctum confluant: verùm deinceps agendum est de lentibus, quatenus vt perspicilia visioni succurrunt.

DIOPTRICÆ

PARS TERTIA.

De perspicilliis visionem iuuantibus.

SVpponendum est axes visorios per centra pupillæ, & humorum transeuntes in naturali motu, vel quiete parallelos esse; voluntariè autem ad propinquiora videnda contorqueri. Secundò visionem illam esse distinctam, qua partes rei subtilissimæ in conspectum veniunt: confusam, in qua partibus maioribus apparentibus minores confusis inter se terminis oblitterantur: claram, cum res in multo lumine; obscuram denique, cum in tenui lumine videtur. Tertiò crystallinum humorem esse lentem vtrinque conuexam hyperbolicâ fere conuexitate, & tunicam retiformem esse concauam papyri vice post crystallinum, quæ picturam obiecti excipit, eáque afficitur: an verò in huius picturæ sensione visio formaliter consistat, vlteriùs inquirendum: quidquid sit, cum vtraque retina similiter afficitur, vnica res percipitur, duæ verò, si dissimiliter pingantur. Reliqua theorematibus prosequamur.

Theorema primum.

Retiformis eundem situm retinens non potest tam à propinquis quàm à remotis pingi; debet igitur accedere ad crystallinum humorem vt remota, & ab ea recedere vt propinqua distinctè videamus, nisi hunc accessum & recessum in ipso crystallino statuamus. Hic autem motus constrictione processuum ciliarium pectinatim distinctorum, veluti quodam diaphragmate latera oculorum contrahente, & figuram oculi in ellipsoidem vertente fieri potest, vt retiformis à crystallino recedat: sicque eorumdem processuum dilatatione latera oculi ampliante, & oculum in lenticularem figuram conuertente fundus retiformis ad crystallinum accedere potest: ideôque fortè humores fluxiles sunt, & excepto crystallino dilatari possunt.

II.

Senes & alii propinqua confusè, & remota distinctè vident, quorum retina magis ad crystallinum accedit: myopes contraria de causa propinqua distinctè, & remota confusè; iuuenes verò qui mouent retinam, prout necessarium est, vtraque distinctè vident.

III.

Conuergentibus vnius puncti radiosi radiis versus oculum distincta visio fieri nequit, sed tantùm parallelis, aut diuergentibus.

IV.

Interualla inter oculum & rem minutam sunt in euersa proportione angulorum visoriorum; id est, quo longiùs visibile recedit, hoc minori angulo cernitur; & ideò minus, remotius apparet: maius autem & propinquius, cùm sub maiori videtur angulo, cùm rei distania cognoscitur, & ignota est eiusdem magnitudo; vel cùm ignotâ distantiâ magnitudo cognoscitur.

V.

Per lentes conuexas, oculo posito intra propinquitatem puncti concursus radiorum ab vno visibilis puncto fluentium, visibile repræsentatur in suo situ, id est erectum, si sit erectum, & contra.

VI.

Quælibet per conuexas lentes erecta repræsentatio visibilium erectorum remotorum est necessariò confusa; & tanto confusior, quantò lens conuexa ab oculo remotior: erecta tamen propinquorum repræsentatio sensibus distincta est, & oculus in puncto concursus parallelorum collocatus videt propinqua adhuc erecta: quamuis in puncto concursus radiorum à puncto rei defluentium, punctum illud per lentem distinctè non videat, sed omnium confusissimè.

VII.

Punctum euersionis, in quo se secant binæ lineæ binis punctis rei visibilis in centrum oculi confluentes, est inter visibile & lentem, non autem inter lentem & oculum, qui constitutus extra punctum ad quod concurrunt vnius visibilis puncti radij, visibilis puncta per lentem conuexam euerso situ videt.

VIII.

Oculus presbytæ nil penè euersarum rerum per lentem conuexam distinctè videt; videt autem oculus myopis in certa remotione oculi à concursu radiorum vnius puncti rei visibilis: quia illius oculi assueti sunt ad radiationem parallelam puncti remoti: huius verò oculi ad radios sensibiliter ab vno puncto diuergentes.

IX.

Vnica superficies conuexa paruo circulo, in cogendis radiis ad punctum æquipollet duabus lentis superficiebus conuexis ex vno circulo duplo maiore desumptis.

X.

Omnis per conuexam lentem erecta imago visibilis rei, est necessariò maior iusto.

XI.

Oculus quo fuerit remotior à conuexa lente versus punctum concursus eò videt angustiorem hemisphærij partem per lentem, eamque partem eo minorem æstimat.

XII.

Oculus visibile longinquum respiciens propè lentem, vbi receserit eminus, versus concursus punctum, maius quàm prope videbit.

XIII.

Oculus idem visibile conspicatus per duas lentes conuexas, singulas seorsim, si fuerit distantia ab oculo in eadem proportione ad suæ conuexitatis diametrum; per vtramque lentem seorsim videbitur eadem magnitudine: sin variata erit proportio, maius videbit per lentem, cuius distantia in proportione fuerit maior.

XIV.

Oculus, quo longiùs extra punctum concursus abierit, hoc euersa minora videt; sed duobus conuexis maiora, & distincta, sed euersa videntur; quamuis erigi, & erecta super papyrum depingi possint: tribus autem conuexis non solum erigi, sed maiora, distinctaque videri possunt.

XV.

Si radii ab vno puncto radiante paralleli, vel diuergentes, ingressi fuerint in cauam densioris superficiem, & punctum illud extra centrum superficiei fuerit, diuergunt magis per corpus densi: si vero propius fuerit lenti centro cauitatis, diuergentes, refractione factâ, minus diuergent intra corpus densum.

XVI.

Diuergentes intra corpus densius versus cauum eius terminum, eo pertransito diuergunt ampliùs: quod similiter contingit radiis per corpus densum parallelis, & radiis diuergentibus versus lentem, quocumque ad lentem situ puncti radiantis, si lens vel vtrimque caua vtcumque, vel altrinsecus etiam plana fuerit: statim enim atque lentem pertransierunt, magis diuergunt.

XVII.

Visibilia longinqua lente satis caua in vno puncto ab oculo myopis collocata, distincta, sed minora repræsentantur; quod si longius recesserit ab oculo caua lens, pauciora visibilia per cauam ad oculum venient, & minora repræsentabuntur, quantis per lens non propinquior fiet rei visibili quàm oculo.

XVIII.

Si caua lens proximè oculum applicanda sit, vt cùm naso perspicilia feruntur, tum cuique sua propria est ad visionem efficiendam: quod si propter nimiam cauitatem lens aliqua proximè oculum, visibilia confusa reddit, ex aliquo interuallo distincta reddit, & contra.

2008 Ministerio de Cultura

DIOPTRICÆ
PARS QVARTA.

De tubis, qui vulgò Batauici, vel Hollandici, aut Galilei vocantur: seu de iunctis lentibus cauis, & conuexis.

SVpponendum est tubum, de quo hîc, esse cylindricum opacum cauum, cuius bina ostia vitris perspicuis clauduntur, estque instrumentum oculare ad res longinquas cominus aspiciendas, cuius vitrum vnum visibile, aliud oculum respicit. Linea vero per vtriusque vitri centra conuexitatem, & cauitatum transiens vna, & eadem esse debet, vt vitra parallela sint: his positis sit

Theorema primum.

Si caua lens radiationes vnius puncti quæ traiecta lente conuexâ refractionem passæ conuergunt, intercipiat antequam illæ veniant ad punctum sui concursus: aut punctum concursus prorogabitur in longinquum, aut radiationes incedent porro parallelæ, aut denique rursum diuergent.

II.

Visibilia lente caua & conuexa maiori quantitate super papyro depingi possunt, quàm per solam conuexam, sed euersa.

III.

Quemadumocum duplici speculo parabolico comburi posset in infinitum, data materiâ igni resistente, idem fieri posset duplici lente, quarum vna conuexa parallelos radios in punctum cogeret, & caua proximè focum posita radios de concurrentibus parallelos efficeret: quod similiter continget cum vnico speculo parabolico, & vnica lente caua.

IV.

Cauâ lente proximè oculum posita, quæ solitaria confusa præstaret visibilia; quæcumque lens maiori circulo conuexa in vna certa remotione à caua distinguit, & auget visibilia.

V.

Conuexo posito in quacumque distantia ab oculo, quodcumque cauum, quod solitariè applicatum oculo, confusa præstet visibilia,

quodque sit minori circulo cauum quàm quo vtitur conuexum, in certa distantia, situ inter oculum & conuexum distincta exhiberet visibilia.

VI.

In instrumentis maiora & distincta exhibentibus visibilia, nulla caua lens valde longè abest à punctis concursus, post lentem conuexam existentibus.

VII.

Proposita lente conuexa, cauarum lentium oculo proximè applicatarum, quæ minori circulo caua est, ea longius à conuexo distat, & propiùs ad punctum concursus applicanda est.

VIII.

Cauum vnum & idem proximè applicatum, vt cum conuexis diuersis distincta exhibeat, ab omnium illorum concursibus æquali interuallo debet abesse.

IX.

Proposita lente caua prope oculum lentes magno circulo conuexæ longam requirunt distantiam à caua, & oculo, paruo breuem: & quo maiori vel minori, eo longiorem, aut breuiorem.

X.

Proposito conuexo caua minoris circuli repræsentant visibilia maiora, maioris minora.

XI.

Lens caua breuissimo interuallo longiùs digressa à conuexa, multum auget visibilia.

XII.

Proposita lente caua proximè oculum, conuexarum lentium, quæ minori circulo conuexa est, minora repræsentat visibilia, quæ maiori, maiora: igitur visibilia pro libito magna repræsentari possunt, cum aucta proportione circulorum cauitatis, & conuexitatis, augeantur visibilia.

XIII.

Inæquali lentium distantia, repræsentantur visibilia æquali augmento magnitudinis; breuiori tamen instrumento maiora repræsentabuntur, si conuexo minori existente, maior sit proportio inter conuexitatem & cauitatem, quàm in longiori instrumento.

XIV.

Posito concauo, clariùs maiori, seu latiori conuexo, quàm minori, similiterque posito conuexo, per cauum maioris circuli, quàm per minoris cauum, visibilia repræsentantur.

XV.

Portionis de hemisphærio, per lentes visæ pars media & perpendiculari proxima fortiùs, seu clariùs videtur, quàm limbus circumcirca:

&

20 Ministerio de Cultura

& anguſtâ lentis conuexæ portione, cæteris paribus, diſtinctiora repræſentantur viſibilia, lata verò, confuſiora.

XVI.

Viſibile in ſublimi, in profundo, à dextra, vel ſiniſtra, & vbicunque volueris, cerni poteſt: quod fit cùm lentis cauæ diameter pupilla latior eſt, & ſatis lata, vt oculus à centro eius iuſto ſpatio ad latera migrare poſſit.

XVII.

Poſito cauo, duo conuexa ſimilia applicata inuicem proximè, pro vno, ferè dimidiant longitudinem inſtrumenti, quod eorum conuexorum vnum ſolùm habet: & ſimul quantitatem ſpeciei minuunt, quæ per aliquod artificium menſurari poteſt.

XVIII.

Vnica ſuperficies concauo paruo circulo in diſgregandis radiis ferè æquipollet duabus ſuperficiebns concauis ex circulo duplo maiore deſumptis.

XIX.

In lente, quæ æqualibus circulis hinc conuexa eſt, inde caua, omnes radij qui perpendiculari intra corpus paralleli incedunt, æqualibus angulis in vtraque ſuperficie refringuntur, & refracti retinent diuergentiam, aut parallelitatem eandem.

XX.

Radij vnius puncti in lentem ſimul conuexam & cauam eodem circulo incidentes, ſi punctum longinquum fuerit, tranſita lente conuergunt: ſi propinquus diametro circuli, diuergunt ampliùs quàm ab origine.

XXI.

Si cauitas ex maiori circulo fuerit, quàm conuexitas, radij puncti longinqui traiecta lente conuergunt; plus quidem (ſeu poſt breuius interuallum quàm ſi ſolùm conuexum eſſet) ſi cauitatis circulus maior fuerit triplo circuli conuexitatis: minus verò (& poſt maius interuallum) ſi minor triplo fuerit. *Aliter*. Cauitas maioris circuli derogans conuexitati minoris, præſtat effectum conuexitatis circuli valdè magni; dicatur *meniſcus*: æquipollet lenti purè conuexæ: punctum autem meniſci reperietur, ſi tantùm elongetur concurſus, quantum lens attenuatur.

XXII.

Si cauitas ex minori circulo fuerit quàm conuexitas, radij vnius puncti diametro poſt conuexum collocati diuergunt ampliùs tranſita lente. *Aliter*. Conuexitas maioris circuli derogans cauitati minoris,

præstat effectum cauitatis circuli valdè magni.

XXIII.

Si cauitas lentis vnâ superficie conuexæ centrum suum habuerit interius centro conuexi; radij puncti etiam longinqui per lentem efficiuntur diuergentes. Illa verò æquipollet lenti purè cauæ circulo valdè magno.

XXIV.

Diuersi generis lentes puræ, associatæ, inuicémque contiguæ, æquipollent lenti mixti generis, & tandem lenti puræ: Instrumetum autem fieri potest magni circuli conuexo, quod breuius sit vulgaribus, vno videlicet conuexo intus latente: sicut & instrumentum magni circuli cauo, ita vt etiam superet circulum conuexi, quod visibilia maiora solitis instrumentis referat, intus nempe cauo, vt priùs conuexo, geminato.

XXV.

Conuexo parui circuli, etiam minoris circulo concaui apud oculum, parari potest instrumentum longissimum, quod præstet ingentia visibilia.

XXVI.

Manente eadem distantia lentis ab oculo, & linea ex oculo in lentis vmbilicum per centra conuexitatum, vel cauitatum transeunte, refractiones contingunt proximè eędem, vtram velis dissimilium superficierum lentis oculos obuertas: effectus autem sequi potest, tametsi vitrum vtrumque tam quod ad oculum, quàm quod ad visibile vergit, cauum, vel conuexum, vel vitrum ad oculum conuexum, ad visibilia cauum fuerit.

XXVII.

Tota perfectio quartæ istius partis, & totius ferè Dioptricæ sita est in lentibus, & alijs medijs assignandis, & exhibendis, quæ radios à puncto dato recedentes, seu diuergentes ad punctum datum refractione colligant, vel parallelos, aut magis diuergentes reddant: radios etiam data inclinatione, seu conuergentia ad se inuicem accedentes ad punctum datum refringant, vel parallelos, aut quomodocumque diuergentes, vel etiam magis aut minus conuergentes efficiant: parallelos denique in punctum datum constrigant, vel conuergentes, aut diuergentes pro libito reddant.

XXVIII.

Lentibus, & alijs instrumentis dioptricis quodlibet à quolibet repræsentari potest, elephas, aut domus à grono milij, & granum milij à domo, &c. cum pro varia vitrorum, & crystallorum præparatio-

ne & figura, radij, & ſpecies cuiuſlibet obiecti quocumque modo in quemlibet locum mitti, & ſub quolibet angulo visũ ingredi poſſint.

XXIX.

Quemadmodum ſpecula conuexa radios eo magis diſgregant, & calorem, ac imagines obiectorum minuunt, quo conuexiora ſunt: & vt concaua radios congregant, & calorem, ac imagines augent; ita lentes cryſtallinæ, & alia diaphana denſiora magis concaua lumen, calorem, ac ſpecies magis diſgregant, & minuunt; lentes verò conuexæ radios congregant, & calorem, ac imagines amplificant.

XXX.

Si refractiones ſint inclinationibus quibuſcumque proportionales, vt vult Maurolycus, qui maximo inclinationis angulo, quem rectum putat, angulum refractionis tribuit $\frac{1}{2}$ vnius recti continentem, refractiones erunt vniformiter difformes, hoc eſt proportionem Geometricam ſeruabunt. *Deinceps autem paucis de refractionibus aſtronomicis agamus.*

XXXI.

Certum eſt regionem aëris inferiorem ob vapores quibus condenſatur, æthereâ denſiorem eſſe, atque adeò in conuexa ſuperficie iſtius aëris ſingula cœli puncta, vel ſingulos ſyderum radios in eam obliquè incidentes refringi.

XXXII.

Vt parallaxes deprimunt, ita refractiones aſtra eleuant; vtque illis varias à terra planetarum diſtantias, ita his mediorum proportionem ad inuicem, vt aëris ad aquam, quoad eorum denſitatem, & altitudinem, aëris à terra inueſtigare licet. Vnde Keplerus concludit aquam aere 1533 3046 82. denſiorem eſſe; atque adeo cyathum aquæ totidem aëris cyathis æquiponderare: ex eo quod in inclinatione 80. graduum refractio ex aëre in aquam ſit 19. 17. ex æthere verò in aërem 59. & per conſequens ex æthere in aquam 19. 18: proportio itaque eſt eadem quæ 1. ad 1177 $\frac{2}{3}$, ſed aëris altitudini tantummodo leucam tribuit.

XXXIII.

Variæ ſunt aeris refractiones pro varia aeris denſitate, & altitudine in diuerſis locis, vel temporibus: vnde Hollandi 17. diebus ante legitimum tempus ſupremum ſolis marginem ſub 76. gradibus altitudinis poli viderunt, dum per nouam Zemblam quærerent fretum, quo tranſirent in Oceanum Scythicum, & Orientalem: qui cùm Solem vltimò vidiſſent anno 1596. die 3. Nouembris, Sol qui tantùm redire debebat 11. Februarij anni ſequentis, 24. Ianuarij viſus eſt.

XXXIV.

Colores auroræ, ſeu crepuſculorum tam matutinorũ quàm veſper-

tinorum, iridis, & aliorum meteororum tam refractionẽ, quàm reflexione formantur: cùm enim diaphaneitas vaporum opacetur, & exhalationum opacitas perſpicuitati iungatur, catoptrici, atque meſoptici inſtrumenti rationem habent; vt contingit in ſpeculis vitreis tam planis quàm concauis, & conuexis, qui vnam, vel plures imagines reflexione, & vnam vel plures refractione repræſentant. Ex quibus reliqua poteris intelligere, quæ ad opticam aſtronomiam pertinent.

OPTICÆ

LIBER QVARTVS.

DE PARALLAXIBVS.

PRÆFATIO.

PARALLAXIS, ſeu diuerſitas aſpectus, eſt apparentis loci à vero diſtantia, quæ naſcitur ex linea à centro terræ vſque ad phænomenon in ſublimi conſpectum, & ex linea ab oculo, vel ſuperficie terræ ad idem phænomenon producta; has autem lineas inſtrumenta meteoroſcopica exhibent, illam videlicet perpendiculo, hanc verò dioptra: quibus poſitis ſequuntur.

DEFINITIONES.

I. LInea veri loci eſt quæ à centro mundi per phænomenon vſque in firmamentum ducitur.

II. Linea viſi, ſeu apparentis loci eſt quæ ab oculo proſpicientis per phænomenon vſque in ſphæram ſtellatam protenditur.

III. Verus locus phænomeni eſt punctum firmamenti, quod linea viſi loci terminat.

IV. Vera diſtantia phænomeni à vertice eſt arcus verticalis circuli inter verticem ſeu zenith loci, & verum locum phænomeni interceptus. *Aliter*, Eſt angulus in centro mundi contentus à gnomone, & linea veri loci.

V. Visa distantia, seu apparens à vertice est arcus inter zenith, & visum locum phænomeni. *Aliter*, Est angulus contentus à gnomone, & linea visi loci.

VI. Parallaxis verticalis est arcus verticalis circuli inter verum, & visum locum phænomeni. *Aliter*. Est angulus contentus à lineis veri, & visi loci in phænomeno.

VII. Vera declinatio phænomeni est declinatio loci veri: seu arcus à polo mundi per locum verum descendentis portio inter locum verum & æquinoctialem.

VIII. Ascensio recta vera est ascensio recta loci veri cometæ, seu æquinoctialis ab initio ♈, vsque ad arcum veræ declinationis.

IX. Ascensio recta visa est ascensio recta loci visi, seu arcus æquinoctialis ab initio ♈ vsque ad arcum visæ declinationis.

X. Parallaxis declinationis est differentia inter arcus veræ, & visæ declinationis.

XI. Parallaxis ascensionis est differentia veræ, & visæ ascensionis, siue arcus æquinoctialis inter arcus veræ, & visæ declinationis.

XII. Distantia vera phænomeni ab aliquo est arcus circuli maximi inter astrum & locum visum phænomeni.

XIII. Parallaxis distantiæ est differentia inter veram, & visam distantiam.

XIV. Arcus motus veri est quem transit locus cometæ verus.

XV. Arcus motus visi est quem transit locus cometæ visus.

XVI. Parallaxis motus est arcus quo differunt arcus veri, & arcus visi motus.

XVII. Differentia parallaxium verticalium est arcus inter loca visa, siue angulus quem in phænomeno continent duæ lineæ visi loci, & veri.

XVIII. Differentia parallaxium latitudinis est differentia inter duas latitudines visas. *Quibus ex triplici Scipionis ordine adductis, eiusdem propositiones afferamus.*

Propositio prima.

QVando phænomenon est in linea à mundi centro ad verticem prospicientis, linea tum veri, & visi loci, vna & eadem linea sunt.

Prop. II.

Quando phænomenon est in linea à centro mundi ad verticem prospicientis nulla tum est parallaxis, cum vna & eadem sit linea ve-

ri,& visi loci; vnde & est idem visus & verus locus, adeoque nulla inter eos differentia, arcusve intercedit, quæ erat parallaxis. Item lineæ veri & visi loci nullum continent angulum; parallaxis enim est angulus ab illis contentus.

Prop. III.

In parallaxi distantia visa phænomeni à vertice est maior quàm vera.

Prop. IV. Problema I.

Cùm tria in hoc negotio occurrant; distantia visa: distantia vera, & parallaxis, datis duabus quibuscumque eorum tertium indagare. Hinc si ex distantia visa detrahamus parallaxim, habebimus distantiam veram, scilicet phænomeni à vertice. Si ex distantia visa detrahamus distantiam veram, habebimus parallaxim: si distantiam veram, & parallaxim componamus simul, habebimus distantiam visam.

Prop. V.

Parallaxis verticalis, seu locus verus, & visus in verticali circulo in eodem verticali sunt non in alio, & alio verticali.

Prop. VI.

Si duo vel plura phænomena sint in eadem loci linea, quod eorum est propinquius terræ, maiorem habet parallaxim; quod remotius, minorem.

Prop. VII.

Si duo vel plura phænomena fuerint in linea veri loci: quod eorum propinquius est terræ, maiorem habet parallaxim: quod remotius minorem.

Prop. VIII. *Probl.* II.

Data parallaxi phænomeni, dataque in verticali circulo distantia eius à vertice indagare quot milliariis distet à centro terræ. Supponitur verò notum quot quæsitorum milliariũ sit semidiameter terræ.

Prop. IX. *Probl.* III.

Data distantia visa phænomeni à vertice, nec non dato quot milliaribus distet idem phænomenon à centro mundi, inuestigare eius parallaxim.

Data distantia visa phænomeni à vertice nec non dato quot milliaribus distet idem phænomenon, à centro mundi inuestigare eius parallaxim.

Prop. X. Probl. IV.

Data vera distantia phænomeni à vertice, & à centro terræ in milliaribus, indagare eius parallaxim.

Prop. XI.

Si ad lineas loci visi phænomeni alicuius ab eodem terræ puncto ductas lineæ à centro mundi perpendiculares agantur, maxima perpendicularium est, quæ incumbit lineæ contingenti terram in dato puncto, reliquæ eo minores quo lineæ ad quas ducuntur propius ad verticem accedunt.

Prop. XII.

Maxima parallaxis fit ad lineam terram contingentem; cæteræ minores quo propiores sunt vertici, nulla tamen datur parallaxis minima. *Videantur* 19. *modi quibus parallaxis verticalis inuestigatur apud Claramontium; qui deinceps agit de differentia parallaxium verticalium.*

Prop. XIII. *Probl.* V.

Determinare in verticali circulo communi duobus terræ locis triplicem situm, in quorum altero differentia parallaxium, vel duorum locorum visorum aggreget duas parallaxes, in altero sit ea differentia vnicæ parallaxi æqualis, in altero differentia ea ipsa vna cum maiori duarum parallaxium reliquam ac maiorem componet parallaxim.

Prop. XIV.

Differentia parallaxium verticalium, quæ in puncto circuli verticalis intermedio inter vertices duorum terræ locorum sit, est maxima omnium differentiarum aliarum dictis terræ locis accidentium, minima autem est, quæ fit in linea tangente terram in remotiore dictorum duorum terræ locorum, id est, in horizonte puncti remotioris interiecta, inter eas verò differentiæ maiores sunt, quo propiores sunt puncto inter vertices medio, minores quo propiores lineæ contingenti, siue horizonti.

Prop. XV. *Probl.* VI.

Data differentia parallaxium verticalium, & distantia visa phænomeni à vertice alterutrorum duorum terræ locorum, quorum inter se distantia sit data (scilicet quot gradibus, circuli maximi inter se distent) indagare vtriusque loci parallaxim. *Hic autem propositionem* 11. & 12. *repetit: postea verò de parallaxibus ad æquinoctialem agit.*

Prop. XVI.

Verticalis parallaxis ex qua parallaxis ascensionis rectæ nascitur, potest parallaxi ascensionis rectæ ex se nascente esse æqualis; potest esse ea maior, vel minor.

Prop. XVII.

Data sola quantitate parallaxis verticalis non potest cognosci parallaxis rectæ ascensionis.

Prop XVIII. Probl. VII.

Data parallaxi verticali phænomeni vnà cum distantia eiusdem à vertice visa, atque angulo azimuthali, reperire parallaxim ascensionis rectæ; supponitur autem nota eleuatio poli loci obseruationis.

Prop. XIX. Prop. VIII.

Data parallaxi verticali, declinatione visa, ac distantia visa phænomeni à vertice, & eleuatione poli loci vbi fit obseruatio, indagare parallaxim ascensionis rectæ.

Prop. XX. Probl. IX.

Data parallaxi ascensionis rectæ vnà cum distantia visa phænomeni à vertice: necnon eleuatione poli, & angulo azimuthali inuestigare parallaxim verticalem. Eadem inuestigabitur, si pro triangulo azimuthali constituerit declinatio visa phænomeni, proindéque eius complementum.

Prop. XXI.

Parallaxis verticalis semper maior est parallaxi declinationis, quæ ex ipsa nascitur.

Prop. XXII. Probl. X.

Data parallaxi verticali cum reliquis tribus datis prop. 18. vel data eadem parallaxi verticali cum reliquis datis prop. 19. inuestigare rallaxim declinationis.

Prop. XXIII. Prop. XI.

Data parallaxi declinationis vnà cum distantia visa phænomeni à vertice, & angulo azimuthali, necnon eleuatione poli indagare parallaxim verticalem.

Prop. XXIV.

Cùm arcus verticalis in quo est phænomenon, adeóque parallaxis verticalis idem cum meridiano est, nulla tum est parallaxis ascensionis rectæ. *Vnde cùm verticalis in quo phænomenon reperitur, idem fuerit cum meridiano, parallaxis verticalis, & parallaxis declinationis eadem erunt:* deinceps verò de differentia parallaxium ad æquinoctialem.

Prop. XXV

Vt parallaxes ad æquinoctialem nascuntur ex parallaxibus verticalibus, ita differentiæ parallaxium ad æquinoctialem nascuntur ex differentiis parallaxium verticalium.

Prop. XXV. *Probl.* XII.

Datis declinationibus, & ascensionibus rectis ex parallaxi visis, ideóque differentia parallaxium ascensionum phænomeni respectu duorum terræ locorum, quorum notæ sint poli eleuationes, notáque sit longitudinis inter eas differentia, si qua datur, reperire eius

Phæno-

phænomeni parallaxim verticalem quoad vtrumque locum: supponitur verò, præter alia, notum etiam punctum eclipticæ quod in meridiano tum reperitur.

Prop. XXVII.

Cum ex parallaxi locus verus à viso differt, phænomeni declinatio maior videtur australiori terræ loco, minor Septentrionali: seu visa declinatio australiori loco; & maior minùs australi loco: *alioqui si minor videatur, erit refractio.*

Prob. XXVIII. *Prob.* XIII.

Ex datis distantiis visis phænomeni à duorum terræ locorum verticibus eodem tempore obseruatis, & datis Azimuth inuestigare verticales parallaxes amborum locorum sigillatim. Supponuntur notæ locorum terræ longitudines, & latitudines.

Prob. XXIX. *Probl.* XVI.

Ex iisdem datis, quæ in 26. prop. parallaxes alio modo inuestigare. *Iisdem ferme propositionibus ea discutiuntur, quæ de paralliaxibus ad eclipticam docet.*

Prop. XXX.

Verticalis parallaxis ex qua parallaxis ascensionis rectæ nascitur, potest parallaxi ascensionis rectæ ex se nascenti esse æqualis, potest ea maior, & minor esse.

Prop. XXXI.

Data sola quantitate parallaxis verticalis non potest cognosci parallaxis rectæ ascensionis.

Prop. XXXII.

Parallaxis verticalis semper maior est parallaxi latitudinis, quæ ex ipsa nascitur.

Prop. XXXIII. Prob. XV.

Data distantia verticis à polo mundi, & angulo azimuthali quocúnque in eo vertice facta ab arcu verticali ad phænomenon quodcúnque datum · datóque puncto eclipticæ, quod in meridiano tum reperitur, inuestigare arcum inter verticem, & polum eclipticæ, & angulum, quem prior angulus verticalis continet cum arcu à vertice ad eclipticæ polum ducto.

Probl. XXXIV. Prop. XVI.

Data parallaxi verticali phænomeni vnà cum distantia visa eiusdem à vertice, atque angulo azimuthali, nec non distantia poli mundi à vertice, reperire parallaxim longitudinis pariter, & latitudinis: supponitur verò datum punctum, quod est in meridiano.

Prop. XXXV. *Probl.* XVII.

Data parallaxi verticali, & reliquis quæ in præcedẽte, & pro distantia visa, latitudine visa indagare parallaxim longitudinis.

Prop. XXXVI. *Probl.* XVIII.

Data parallaxi longitudinis vnà cum distantia visa phænomeni à vertice, nec non eleuatione poli, & angulo azimuthali, inuestigare parallaxim verticalem. *Idem fiet*, si pro angulo azimuthali constiterit latitudo visa phænomeni : supponitur autem semper notum qui punctus eclipticæ sit in meridiano.

Prop. XXXVII. *Probl.* XIX.

Data parallaxi latitudinis vnà cum distantia visa phænomeni à vertice, & angulo azimuthali, nec non eleuatione poli, & puncto, qui in ecliptica, indagare parallaxim verticalem.

Prop. XXXVIII.

Cum verticalis in quo est phænomenon, atque phænomeni parallaxis verticalis transit per locum eclipticæ, nulla tunc est parallaxis longitudinis: *Imo & parallaxis latitudinis, eadem est cum verticali.*

Prop. XXXIX.

Cum arcus verticalis transit per polos eclipticæ, secat eclipticam in 90 gradu ab horizonte ad punctum vbi secatur à dicta verticali, & gradu 90.

Prop. XL.

Cum phænomenon apparet in 90 gradu eclipticæ ab ascendente, nullam tunc patitur longitudinis parallaxim.

Prop. XLI. *Probl.* XX.

Ex loco viso locum verum secundum longitudinem phænomeni deducere; item secundum ascensionem rectam reperiatur locus visus phænomeni cum fuerit in grad. 90. ab ascendente, idem enim erit locus verus longitudinis ex præcedente. Similiter reperiatur locus visus phænomeni secundùm ascensionem rectam cum fuerit in meridiano, & habebimus locum pariter verum horum secundùm eandem ascensionem rectam.

Prop. XLII. *Probl.* XXI.

Parallaxim phænomeni secundùm longitudinem, & secundùm ascensionem rectam deprehendere, sumptis veris locis, vt in proxima; tum extra grad. 90. eclipticæ ab ascendente pro longitudinis parallaxi, extra meridianum pro parallaxi ascensionis obseruetur phænomenon, habebimusque locum visum inter quem & verum differentia erit parallaxis quæsita.

Prop. XLIII. Probl. XXII.

Visum locum phænomeni tum ad æquinoctialem, tum ad ecliptícam inuestigare, quod armillâ Ptolomæi ad ecliptícam: armilla verò æquatoria Tychonis, vel similibus instrumentis ad æquinoctialem peragitur: ex distantia quoque à duabus stellis fixis vtrumque locum visum deducere licet. *Deinceps verò de differẽtijs parallaxiũ ad ecliptícã.*

Prop. XLIV. Probl. XXIII.

Datis longitudinibus & latitudinibus phænomeni alicuius visis, & sic data differentia parallaxium ad ecliptícam respectu duorum terræ locorum, qui vel secundùm altitudinem poli differant, vel solùm, secundùm accessum ad Orientem recessumve, vel secundùm vtramque rationem, at differentiæ eiusmodi, siue plures, siue vna tantùm datæ sint, reperire parallaxim phænomeni vertiealem ad vtrumque terrę locum, & demum verum eius locum. Præter dicta, dari debet punctum ecliptícæ in meridiano, siue innotescat ex dato tempore, & hora obseruationum, siue ex stella in meridiano tempore obseruationum existente, siue alio quouis modo. *Quo problemate nititur Scipio vt cometas sublunares esse probet.*

LEMMA I.

Ex datis longitudine, & latitudine phænomeni declinationem eius reperire. Datur enim arcus complementi latitudinis phænomeni ex data latitudine, datúrque arcus inter polum ecliptícæ, & polum mundi, & datur angulus quem in polo ecliptícæ duo illi arcus continent: metitur autem eiusmodi angulum arcus inter punctum longitudinis datæ phænomeni & ptincipium 69. ergo datur eiusdem trianguli basis, quæ est complementum declinationis phænomeni arcus, scilicet inter polum mundi, & phænomenon.

LEMMA II.

Dato complemento declinationis phænomeni, & dato arcu distantiæ verticis à polo mundi, nec non angulo, quem duo illi arcus in polo mundi continent, reperire arcum à vertice ad phænomenon, scilicet distantiam phænomeni verticalem, seu complementum altitudinis eiusdem verticalis. Dantur enim duo arcus trianguli, & angulus quem continent, dabitur itaque basis quæ est distantia quæsita phænomeni à vertice.

Prop. XLV.

Iisdem suppositis differentiis longitudinis, & latitudinis visarum, siue iisdem suppositis locis visis phænomeni ad duo terræ loca, quorum altitudo poli diuersa, eo maiores erunt parallaxes, quo minus polorum altitudines inter se distiterint: quousque angulus quem

arcus verticalium parallaxium in loco phænomeni vero, vbi se secant, continens, fuerit acutus. *Sequens propositio litteris indiget. Nunc autem agendum est de parallaxi distantiæ phænomeni ab aliqua stella.*

Prop. XLVI.

Quantacumque sit parallaxis verticalis phænomeni dati, potest illud ab aliqua stella æqui distare secundùm locum visum, atque secundùm locum verum (& ita omni parallaxi distantiæ carere) & magis distare, & minus distare. *Videantur 2. lemmata.*

Prop. XLVII.

Ex sola quantitate parallaxis distantiæ non potest inferri quantitas parallaxis verticalis.

Prop. XLVIII. Probl. XXIV.

Data distantia verticali phænomeni, & distantia data eiusdem verticis à stella, nec non dato angulo, quem in vertice continent duo arcus dictæ distantiæ stellæ, & distantiæ Phænomeni à vertice, & data præterea distantiæ parallaxi, si quæ est, inuestigare parallaxim verticalem.

Prop. XLIX. Probl. XXV.

Data distantia verticali visa phænomeni, data distantia eiusdem visa à stella, dataque eiusdem distantiæ parallaxi, & data distantia stellæ eiusdem à vertice, indagare eandem parallaxim verticalem.

Prop. L. Probl. XXV.

Data parallaxi verticali phænomeni distantiáque eius visa à vertice nec non à stella, cuius itidem stellæ à vertice distantia nota sit, vel cum parallaxi verticali datæ sint distantiæ à vertice obseruatoris tum phænomeni, tum stellæ, sitque datus angulus ab illis arcubus contentus, inuestigare parallaxim distantiæ, distantiámque veram, & visam.

Prop. LI. Probl. XXVI.

Data parallaxi distantiæ visæ, data phænomeni distantiâ à stella aliqua fixa, & dato angulo, quem in loco veri phænomeni continet cum arcu verticali arcus distantiæ veræ phænomeni ab eadem stella, inuestigare parallaxim verticalem.

Prop. LII. Probl. XXVII.

Data parallaxi distantiæ visæ datæ phænomeni à stella aliqua fixa, & dato angulo, quem in loco viso continet cum arcu verticali arcus distantiæ visæ phænomeni ab eadem stella inuestigare parallaxim verticalem. *Nunc vero de differentia parallaxium distantiæ phænomeni ab aliqua stella dicamus, quæ etiam nascitur ex differentia parallaxium verticalium.*

Prop. LIII. *Probl.* XXVIII.

Cum duo terræ loca latitudine solùm, non etiam longitudine discrepauerint, & phænomenon tempore obseruationum fuerit in meridiano: obseruatæ verò sint distantiæ visæ eiusdem phænomeni ab eadem stella fixa, & constet tempus obseruationum, inuestigare parallaxim verticalem phænomeni ad vtrumque locum; notâ tamen altitudine poli vtriusque loci.

Prop. LIX. *Probl.* XXIX.

Iisdem datis cum phænomenon fuerit extra meridianum, quærere easdem parallaxes verticales; at præterea dari debent distantiæ visi phænomeni ab vtroque vertice; siue duo terræ loca differant sola latitudine, siue latitudine & longitudine nempe datis. *Duæ sequentes propositiones litteris indigent. Qui plura volet, Scipionis Antitychonem legat*, quo contendit præteritorum annorum cometas fuisse sublunares. Cùm autem hocce tractatu singula prosequamur quæ ad visum pertinent; notandum est parallaxes non solùm in cœlis, verùm etiam vbique deprehendi, verbi gratia in cubiculo, in quo si ex duobus locis candelam spectaueris, illam duobus locis diuersis respondentem inuenies: idem continget si digitum statim vno, statim altero cernas oculo, deprehendes enim digitum tuum ab oculo siniſtro conspectũ in alio loco videri, quàm ab oculo dextro. Quod etiam experieris duabus candelis, diuersitas enim vmbrarum aspectuum differentiam repræsentabit: nam sicut eo minor est parallaxis, quò astrum à nobis remotius, & puncto verticali propinquius fuerit, ita diuersitas vmbrarum eò minus sensibilis est, quo longiùs corpus opacum distat à candelis: vnde quis parallelismum instituere poterit inter vmbrarum varias proiectiones, & visuum diuersitatem. Quod quia facillimum est, huic libello finem impono, postquam terminos præsenti schemate explicauero, quorum ignorantia nonnullos ab ista parte Opticæ reuocare posset.



Itaque AD semicirculus terram repræsentat, cuius centrum C: ZK circulus cœlum octauum refert, habens idem centrum C. C A Z est semidiameter firmamenti; C A semidiameter terræ, quæ 14000 in semidiametro firmamenti continetur: punctum z est zenith, seu punctum verticale. Iam verò E sit *phænomenon*, C E ducatur vsque in

M, & AE vsque in F. Linea CEM est *linea veri loci*; AEF est *linea visi loci*. M *verus locus*; F *locus visus*. *Distantia vera phænomeni à vertice* est angulus ACE, qui idem est cum angulo ZCM. *Distantia visa* est angulus ZAE.



Cùm autem angulus exterior ZAE æqualis sit duobus interioribus ACE, AEC, erit angulus AEC differentia inter angulum ZAE, visam distantiam, & ACE veram distantiã. Quæ differentia, quive angulus AEC dicitur *parallaxis verticalis*. Arcus ZM est *vera distantia verticalis*: *distãtia visa* est arcus ZF. *Parallaxis* est arcus MF, nẽpe differentia inter verã, & visam distantiam. Vbi semper est supponendũ, semidiametrũ terræ nullam habere sensibilem proportionem ad firmamenti semidiametrum. Quo posito, ducatur CK parallela rectæ AEF, anguli alterni AEC, ECK, seu MCK erunt æquales; at AEC est parallaxis verticalis, igitur & MCK, cui cùm MK sit æqualis, cùm sit vtérque totidem graduum, sequitur arcum Mk esse parallaxim verticalem exactè. Cùm autem AC sit insensibilis ad circulum ZK, FK etiam erit insensibilis: ideóque puncta F, k, quoad sensum pro eodem puncto: & arcus MK pro MF habebuntur: igitur MF est parallaxis, id est differentia inter verum, & visum locum, motum, vel arcum.

Rursus eodem schemate prop. 8. 9. & 10 explicabo, vt hæc meliùs intelligantur: itaque 8. propositio docet qua ratione ex data parrallaxi phænomeni, & eius à vertice distantia scire possimus quot milliaribus distet à centro terræ. Sit igitur phænomenon E, cuius distantia visa à vertice sit angulus ZAE, & data parallaxis angulus AEC: scies quot milliarium sit CE, si producas EA in directum, & ad eam sic productam ducatur à puncto c, perpendicularis cI, quoniam datur angulus ZAE, datur etiam angulus ei ad verticem CAI, cuius cum sinus sit oppositum latus CI in triangulo rectangulo AIC, est CI latus notum in partibus, quarum sinus totus AC est 100000. Quarum ergo partium est CA, earumdem notum erit CI per regulam aureã. Et quoniam datur in triangulo rectangulo CIE, datur angulus acutus IEC, & latus CI, dabuntur quoque reliqua duo latera, adeoque CE; vnde patebit quot milliarium sit distantia phænomeni à centro terræ. Ex visa autem distantia phænomeni à vertice, & distantia phænomeni à centro terræ datis, cognoscemus parallaxim per nonam prop. hac ratione. Sit igitur notum quantus sit angulus ZAE, & quot milliarium sit CE, inuestigandus est angulus AEC: cùm autem detur angulus ZAE, datur angulus ei ad verticem CAI, & latus

CA, igitur & alia latera dãtur, ac proinde latus CI ex 29 Regiomõtani dabitur in iisdem milliaribus, quibus constat CA. Notum est etiam quot sit milliarium CE; cùm igitur in triangulo rectangulo CIE, duo latera CE, CI data sint, anguli acuti cognoscentur, ac proinde angulus parallaxis quæsitus CEI, vel MEF notus erit. Denique ex vera distantia phænomeni à vertice nota & notis milliaribus, quibus distat à centro, ita illius parallaxim indagabimus. Sit datus angulus ZCM, vel ACE vera distantia à vertice; notúmque sit quot milliarium sit CE, indagare oportet angulum CEA; quoniam nota sunt duo latera seorsum CA, CE, constat enim quot milliarium singula sint, & continent angulum ACE datum, erunt quoque noti reliqui duo anguli AE singillatim, ex prop. 49. l. 1. triangul. Regiom. adeóque notus erit angulus IEC, qui est parallaxis quæsita.

Cæterùm alia plurima de parallaxibus apud Kepl. in Optica Astronomica videri poterunt, nec enim omnia hocce breui compendio possunt afferri; cui finem impono, cùm artem Perspectiuæ breuissimè proposuero.

DE ARTE PERSPECTIVÆ

LIBER QVINTVS.

PRAEFATIO.

AMETSI Anaglyptica, Sculptoria, Cælatoria, Statuaria, & Plastica miros effectus edant, his tamen Perspectiua longè nobilior censenda, cùm sit illarum veluti mater: vt enim ectypa fiunt ex protypis, ita hæc ex designationibus, siue proiectionibus: ex quibus consurgunt omnes partes Architecturæ, nempe ordinatio, dispositio, eurythmia, symmetria, decor, & distributio siue œconomia, tresque dispositionis species, ichnographia videlicet,

seu formæ in plano descriptio; orthographia, hoc est erectæ frontis imago operis faciem ostendens: & sciographia, seu scenographia, id est frontium compositio per apparentiam linearum tanquam in vnum concurrentium. Pictura vero maximè pendet ex arte Perspectiuæ, cum illa nihil aliud esse videatur quàm solidorum in planas tabulas proiectio, siue delineationem spectes, siue lumen, vmbram, & colorem.

Perspectiua autem est ars repræsentandi obiecta provt apparent: adeo vt pictor ille sit perfectior, qui magis oculos fallit; hinc figuræ secundùm Geometricas rationes factæ, à figuris Perspectiuæ differunt, vt veræ ab apparentibus.

Repræsentatio obiectorum provt apparent, est germana pictura, & sectio pyramidis, quæ fit à speciebus ab obiectis in oculum deriuatis, & in plano, seu vitro medio sui vestigium relinquentibus: hinc illi modi deducuntur, quibus ignarus cancellis, vel talco, speculis, &c. quidpiam depingere potest.

Delineatio obiecti, seu pictura eodem modo variatur, quo plani sectio: quæ totuplex esse potest, quotuplex erit obiectum, vel situs, & distantia obiecti, & tabulæ pyramidem visualem secantis: sed maximam varietatem afferre videtur verticis pyramidis mutatio, quo manente, visio non mutatur, quacumque facta in basi pyramidis mutatione.

Quemadmodum Astronomi, & Geographi certis punctis & lineis vtuntur, vt explicent quæ contingunt in cælesti, ac terrestri globo, ita Perspectiui quasdam lineas, & puncta statuunt, quibus artem exprimant; præcipuæ vero lineæ sunt linea terræ, quæ ponitur in vltima parte tabellæ, & linea horizontalis quæ ducitur in eadem cum oculi altitudine.

Linea terræ determinat res pingendas, est communis plano perspectiuo, & geometrico, & est terminus inter prædictum planum, & obiectum.

Linea horizontalis tria puncta continet, nempe punctum oculi, hoc est primarium, & alia duo hinc inde opposita, & in æquali à primario puncto distantia. Hîc autem ea solùm afferemus, quæ à Steuino in Sciagraphia demonstrata sunt.

DEFINI.

DEFINITIONES.

I. SCiagraphia est rerum extantium plana imitatio, quæ tamen eminens quoque videatur.

II. Si corpus à plano horizontali ita secetur, vt in eo communes sectiones aut reuera, aut cogitatione dumtaxat exstantium superficierum appareant, apparens forma Ichnographia dicitur.

III. Si corpus plano ad horizontem recto ita secetur, vt in secante communes sectiones ipsius & superficierum aut reuera, aut cogitatione dumtaxat exstantium appareant, apparens forma Ortographia dicitur.

IV. Adumbrandum dicitur id cuius Sciagraphia optatur: & huius expressa sciagraphia, vmbra.

V. Pauimentum est planum in quod adumbrandum insistit.

VI. Oculus est punctum quod oculi visibile respicientis munus obire fingitur.

VII. Opterocathetus est recta ab oculo ad pauimentum perpendicularis, eiusque in pauimento terminus peda dicitur.

VIII. Opterometros est recta opterocatheto æqualis.

IX. Vitruum est planum infinitum quod inter oculum, & adumbrandum constituitur; in quo adumbranda forma vmbram suam exhibere sumitur.

X. Vitri basis est ipsius, & pauimenti communis sectio.

XI. Radius est recta ab oculo procedens.

XII. Concursus est punctum quo vmbræ parallelarum rectarum, quæ adumbrandæ proponuntur, concurrunt.

XIII. Et rectæ, quæ ad idem concursus punctum coëunt, concurrentes dicuntur.

XIV. Recta in pauimento à peda ad vitrei basim dapedogramme dicitur: atque eius in vitruo tactus, dapedogrammaphe.

XV. Si à dato in pauimento adumbrando puncto infinita contra dapedogrammen parallela vitrei basim intersecet, harum intersectio prima vitrei basis sectio dicitur.

XVI. Si recta datum, adumbrandum in pauimento punctum cum pedâ connectens vitrei basim intersecet, hæc secunda vitrei basis sectio dicitur.

Ministerio de Cultura

Definitiones.

I. Adumbrandum physicum punctum, eius vmbram in vitreo physico, & oculum physicum in eadem recta consistere.

II. Datum in vitreo punctum, lineam, planumve vmbræ suæ vice fungi.

PROPOSITIONES.

I.

REcta inter duas vmbras adumbrandorum punctorum interiecta, est vmbra rectæ ad dicta puncta terminata.

II.

Adumbrandæ parallelæ lineæ per vitreum eisdem parallelum conspectæ habent vmbras in vitreo parallelas.

III.

Si adumbrandæ parallelæ rectæ per vitreum ipsis non parallelum conspiciantur, illarum vmbræ continuatæ concurrent in eodem puncto radij adumbrandis rectis paralleli: & si adumbrandæ pauimento parallelæ sint, punctum concursus eadem altitudine supra pauimentum extat quâ oculus.

IV.

Si rectæ parallelæ, omnes quidem ad pauimentum, nulla autem ad vitreum parallelæ, inter se verò ita situ variatæ vt illarum vnus ordo alteri non sit parallelus, adumbrandæ proponuntur, illarum diuersa puncta concursus æqualiter vitrei basim supereminent.

V.

Adumbrando in pauimento puncto, & vitreo eidem perpendiculari, & peda, & opterocatheto datis, eius vmbra inueniri potest: sicut & vmbra adumbrandi in aëre supra pauimentum exstantis puncti.

VI.

Vitreo circa vitrei basim tanquam axem, & opterocatheto circa pedã ita conuersis, vt opterocathetus rectæ in vitreo vitrei-basi perpẽdiculari perpetuò parallela sit vmbra adumbrandi in pauimento puncti eodem loco in vitreo semper existet. *Reliqua de oculo, & alijs punctis inueniendis vide apud Steuinum, Aguilonium, & alios Perspectiuos, præsertim verò apud Guid-Vbaldum, qui sex libris demonstrat quaratione*

20 Ministerio de Cultura

puncta, lineæ, superficies, & corpora in sectione repræsentari debeant: ideoque pauca tantùm hic delibabimus.

VII.

Pluribus modis quodlibet repræsentari potest, quorum 23. Guid-Vbaldus demonstrat: tot autem figurarum describendarum rationes esse possunt, quot sunt modi repræsentandarum duarum imaginum sese in dato puncto intersecantium, nam inuento tali concursu, punctum quæsitum dabitur: inuentis autem pũcti & lineã terminantibus, aut in medio eius existentibus lineæ per inuẽta puncta duci poterunt, quarum extrema superficies, ac proinde corpora repræsentabunt.

VIII.

Omne punctum obiecti repræsentatur in vitro, seu tabula secundùm eam rationem, qua species illius ad oculùm perueniens, & transiens per planum concipitur aliquod sui vestigium relinquere; punctum verò, vel linea recta oculo in directum opposita, solum punctũ; reliquæ verò lineæ, sicut & superficies recta oculo secundùm longitudinem opposita, lineam, omnis autem alia superficies, superficiem in plano relinquit, ac depingit: linea enim transitu suo punctum, superficies lineam, corpus denique superficiem facit.

IX.

Quotiescumque superficies est parallela vitro, in eo depingi concipitur cum omnibus lineis in illa expressis secundùm figuram ei similem, quam habet; ideóque geometrica, seu realis figura à perspectiua, seu apparente non differt: quando verò obliqua est, hæ duæ figuræ differunt inter se.

X.

Cùm res quælibet cò minor, aut maior apparere soleat, quò sub minori, vel maiori cernitur angulo, circulus ab oculi centro descriptus demonstrabit quantò feneſtræ, quæ sunt in vertice turris, feneſtris æquales, quæ sunt in ima turris parte, his minores appareant; & quanto maiores fieri debeant, vt in vertice, vel alia quapiam turris parte semper æquales appareant.

XI.

Rei cuiuslibet vmbra, ac proinde pictura exhibetur, si cognoscatur punctum lucidum lucem emittens in corpus opacum, lineâ enim perpendiculari à puncto opaco, lineis item ductis per punctum lucidum, & opacum, & per extrema duarum priorum linearum perpendicularium, concursus istarum linearum dabit punctum vmbræ à puncto opaco proiectæ; eadémque ratione reliquis punctis exhibitis, si-

gura totius vmbræ dabitur.

XII.

Præter communem pingendi, ac repræsentandi modum in triplici visionis genere fieri possunt imagines, & picturæ ab obiectis maximè diuersæ, quæ tamen perfectissimè repræsentent obiectum ex dato puncto: sic enim in visione directa fiunt perspectiuæ inuersæ, quæ tantummodo referunt obiectum ex puncto dato. Qua ratione omnia quæ continentur in plana superficie horizontali centum leucarum depingi possunt in plano pedali, si nempe super illam superficiem pedali altitudine oculus erectus fuerit. Deinde si imago depicta sumatur pro obiecto depingendo: & ea quæ sunt in plano horizontali pro pictura, fiet imago longitudinis centum leucarum repræsentans obiectum pedale. Hinc si caput depictum sit pedale, quod pro pictura supra planum horizontale statuatur, supra quod prædictum caput depingatur, provt species concurrentes ab obiecto ad oculum, vltra picturam capitis incidunt in illud planum, dabitur pictura longissima referens caput breuissimum: quantumcumque enim imago sit in se difformis, semper oculo perfectè repræsentabit obiectum, quoties idem pyramidis specierum vertex in eo recipietur, quem obiectum faceret.

XIII.

Cylindrus aptissimus est, quo difformes imagines ita videantur, vt obiecta perfectè referãt; colligit enim lineas inter se distantes, quemadmodum vitra polygona res inter se distantes in vnum corpus, & locum colligunt: quamuis & vnum corpus etiam diuidant, & in totidem constituant locis diuersis, quot facies habuerint. Ex quibus colligi potest quomodo triplici visione vna dictio, vel integra sententia Latinè vel Gallicè scripta varijs linguis, & in pluribus locis legi, vel plures in vnicam linguam, vnicumque locum coalescere queant.

XIV.

Obiectum depingendum, vel imago ex eo puncto spectanda est, ex quo immotus oculus vno intuitu totum obiectum, vel totam imaginem commode spectare possit: an verò hæc distantia sit illa, ex qua obiectum facit angulum 60. graduum in oculo terminatum, hoc est triangulum æquilaterum, vt plurimi arbitrantur: an linea diametralis obiecti visi: an angulus 40, 20, 10, aut 5, graduum plus, minus, generaliter determinari nequit, cùm tanta sit oculorum diuersitas, vix vt duo reperiantur, qui ex vna distantia obiectum, aut imaginem spe-

2007 Ministerio de Cultura

ctent æqualiter. Omitto varia instrumenta, quibus vtuntur Perspectiui, vt singula visione directâ, vel per speculum, aut per diuersa media refractionis spectata intueantur, vt summa cum animi voluptate istis omnibus propositionibus ita (mi THEOTIME) vtaris, nihil vt esse possit in singulis Opticæ libris, quod ad Dei præpotentis gloriam non referas, dum ruri vitam degis Angelicam, & iugi feruentium orationum exercitio ad æternitatem properans nihil aliud præter amorem diuinum θεόμητις, ϗ θεόπνευστος, ϗ θεόσοφος amplecteris.

MONITVM PRIMVM.

SI per otium licuisset, præcedenti libro subiunxissem adumbrationis explicationem & praxim; cuius solius propositiones nunc accipies. Est igitur Scenographia locorum inuentio, vbi radij omnes visorij ad quodlibet visibile destinati planum diaphanum inter oculum, & visibile positum penetrant.

PRIMA PROPOSITIO.

VT tota distantiarum linea ad partem eius inter visibile & diaphanum, ita oculi altitudo ad altitudinem imaginis visibilis horizontalis in communi sectione plani oppositi ad illud destinati, & diaphani.

II. PROPOSITIO.

VT tota linea distantiarum ad partem eius inter diaphanum & oculum, ita altitudo puncti sublimis ad altitudinem imaginis eius in communi sectione diaphani, & radij ad illud destinati supra imaginem basis eius.

Quare si fiat vt tota linea distantiarum ad partem eius inter tabulam & visibile horizontale, ita altitudo oculi ad aliud, habebitur locus visibilis horizontalis in communi sectione diaphani, & plani optici ad illud directi.

Deinde si fiat vt tota distantiarum linea ad partem eius inter oculum & diaphanum, ita puncti sublimis vel eminentis altitudo ad aliud, habebitur altitudo imaginis eius in communi sectione diaphani, & optici plani ad illud directi supra imaginem basis eius.

Hæc autem quarta proportionalis vel Geometricè ex lineis, vel ex numeris per auream regulam, vel organo facile reperietur: & in communi sectiones plani optici & diaphani dabitur locus imaginis cuiuslibet visibilis. Et hoc est geminum totius artis fundamentum.

MONITVM II.

DVm illum amici singularis tractatum expectabis, accipe duos alios tractatus eruditissimos Clarissimorum Anglorum, primum nempe Gualteri Vverneri; secundum viri nobilis, subtilissimique Philosophi D. Hobs, qui ex proprijs hypothesibus refractiones prosequitur; erit igitur ille primus tractatus liber sextus: secundus verò septimus liber Opticæ, qui duo libri plurimum iuuabunt, atque perficient quæ libro tertio præcedenti continentur.

2009 Ministerio de Cultura

LIBER SEXTVS.

PROBLEMA AD TABVLAS REFRACTIONVM, EX OBSERVATIS CONSTRVENDAS, sequenti processu apodictico soluendum.

IN visione Refractâ, Angulo Refractionis quocunque, in cuiuscunque generis Mediis, per obseruationem cognito, alium quemlibet requisitum per simplicem Analogismum exhibere. Atque adeo, si opus fuerit, reliquos omnes (solo, rationis communis ex terminis probatis constitutæ adminiculo) cum angulis suis incidentiæ, & refractis, conformatos, in Tabulam ordinatam redigere.

DEFINITIO I.

VIsio, quæ vnius oculi adminiculo fit, *singularis*, quæ vtriusque, *Coniugata*, vocetur.

SVPPOSITIO I.

IN Visione, siue singulari, siue coniugatâ (quod ad præsens Problema attinet) obiectum radians, *Punctuale*, siue minimum Visibile intelligatur, idque in medio densiori, oculis in rariori existentibus, collocatum.

DEFINITIO II.

IN Visione coniugata, recta illa distantia, quæ est inter Oculorum centra (quoniam super punctum illius Medium liberè, & tanquam

circulariter est conuertibilis vt vel parallela, vel perpendicularis, vel alio quocunque situ obliquo, ad Planum contactus, pro videntis arbitrio, applicari possit, ad exemplar diametri Pupillæ in Visione singulari) *Diameter visualis* vocetur. Et punctum eius intermedium (centro Pupillæ Analogum) *centrum visuale.*

Vt sint puncta C,E oculorum centra, & sit circulus B C D E oculus imaginarius per illa centra transiens; sitque recta C E, scilicet distantia inter oculorum centra: & oculi imaginarij diameter, *Diameter visualis*, & oculi imaginarij centrum A, *Centrum visuale.* Hinc fit, vt in visione coniugatâ per binos solummodo radios laterales, qui oculorum pupillas penetrantes ad ipsorum centra C & E, rectâ perueniunt, ac terminantur, omnis fieri intelligatur Visio.



SVPPOSITIO II.

Diameter visualis, ab ipsorum oculorum potiùs quàm pupillarum centro, sumenda erat, quia distantia illa quæ est inter pupillarum centra in obiecti punctualis intuitione, pro obiecti distantiâ alterabilis est, scilicet in obiecti propinquitate contractior, in longinquitate extensior. Quæ variatio distantiæ oculorum, (vtcunque pupillæ, ex oculorum in sedibus suis osseis, & immobilibus obuolutione contorqueantur & distrahantur) oculorum centris immotis non contingit. Quare non tantùm in sequentibus (quæ ad particularem hanc quæstionem spectant) sed generaliter in doctrinâ opticâ, siue directâ, siue reflexâ, siue refractâ, vbi de Visione coniugatâ agitur, tanquam principium per se manifestum, & certum statuendum est, *Diametrum Visualem sibi perpetuò constantem, & æqualem esse.*

DEFINITIO III.

IN Visione coniugatâ, recta linea quæ in Plano contactûs, inter duo puncta, in quibus lineæ radiosæ ab obiecto vtrinque ad oculos procedentes, tum incidunt, tùm refringuntur. Ac proinde inter duo plana refractionis, in quibus lineæ illæ radiosæ refractæ ad oculum deferuntur, comprehenditur (quia diametro visuali perpetuò parallela existit, & similem cum diametro spatij circularis, vel elliptici incidentiæ, in visione singulari conformitatem obtinet) *Diameter incidentiæ*, & punctum eius medium, *Centrum incidentiæ*, vel *centrum Refractionis* appellatur.

DEFI-

DEFINITIO IV.

IN Visione coniugatâ, si Planum per Diametrum visualem Plano contactûs Parallelam, ipsum contactûs Planum ad rectos angulos secans ductum intelligatur, & in recta linea, à centro visuali ad Planum contactus, vel Diametrum perpendiculari, in plano isto productâ, obiectum positum sit. Et in eodem item plano duæ lineæ Radiosæ ab obiecto vtrinque egredientes in planum contactûs incidunt, & à punctis incidentiæ, in quibus refringuntur, Refractæ ad oculos procedant, Planum istud idcirco *Planum refractionis oculare* vocetur.

DEFINITIO V.

ET linea ista Recta, ab obiecto ad centrum visuale, inter lineas radiosas refractas media (ipsa refractionis expers) *Linea interradiosa directa* vocetur.

DEFINITIO VI.

ET quia linea ista interradiosa planum contactûs ab obiecto ad centrum Visuale recta pertransit, visio quæ in Plano Refractionis Oculari, per tres istas lineas fit, *Visio coniugata Recta vocetur.*

PRO DEFINITIONE 2.3.4.5.6.

OBiectum. B. Oculi D & S.
Diameter visualis. D Q S. } ad def. 2.
Centrum visuale. Q. }
Diameter incidentiæ F C G. } ad def. 3.
Centrum incidentiæ C. }
Lineæ Radiosæ refractæ. B F D. & B G S.
Linearum radiosarum partes incidentes. B F. & B G.
Linearum radiosarum partes refractæ. F D, & G S.
Linea interradiosa directa. B C Q }
Lineæ interradiosæ pars incidens. B C. } ad def. 5.
Lineæ interradiosæ pars refracta. C Q. }

Planum per Diametrum Visualem D S, oculos scil. D & S, atque obiectum B transiens, planum contactûs in diametro incidentiæ F G ad rectos angulos secans, *Planum Refractionis oculare*, subintelligendum est. } ad def. 4.

Delineatio quintilatera D F B G S, vnâ cum interradiosâ directâ B C Q. *Visionis coniugatæ rectæ* integra descriptio est. Nam per tres lineas D F B; S G B, Q C B in plano refractionis oculari fit visio coniugata recta vt est in definitione. } ad def. 6.

DEFINITIO VII.

IN visione coniugatâ rectâ (Obiecto in medio densiore, oculo in rariore positis) excessus bipartitus (bina scilicet segmenta) diametri visualis supra basim trianguli per linearum radiosarum partes incidentes, ad ipsum diametrum rectâ productas facti ex linearum in rariore & magis dilatatæ constitutionis medio proueniens, *Radiositatis dilatatio* vocetur.

Linearum radiosarum partes incidentes à diametri incidentiæ terminis. F G. ad diametrum visualem rectâ productæ B F M. B G N. . . . . .

Triangulum per lineas productas factum M B N. huius basis. M N.

Radiositatis dilatatio. D M + N S. } ad def. 7.

DEFINITIO VIII.

IN visione coniugatâ, si diametro visuali plano contactûs parallelâ collocatâ, planum per centrum visuale transiens tum diametrum, tum planum contactûs, ad rectos angulos secet, & in plano illo obiectum ex altera parte, extra centri visualis perpendiculum positum sit, & per diametri visualis terminos (ipsos sc. oculos) atque obiectum ducta sint duo plana, planum contactûs ad rectos angulos secantia, & se mutuò in obiecti perpendiculo intersecantia, & in duobus hisce planis ab obiecto vtrinque ad oculos delatæ sint duæ lineæ radiosæ, in diametri incidentiæ terminis refractæ, duo ista plana, *Refractionis radiosæ Plana* vocentur.

DEFINITIO IX.

CVm autem linea ab obiecto ad centrum visuale, in centro incidentiæ refracta, linea interradiosa refracta sit, in plano intermedio per centrum visuale & obiectum transeunte ducta. Planum illud intermedium, P*lanum refractionis interradiosæ* appelletur.

DEFINITIO X.

ET cum linea interradiosa, pars scil. illius incidens, obliquè in planum contactûs incidat, visio quæ in tribus istis planis per tres prædictas lineas refractas fit, *Visio coniugata obliqua* nominetur.

AD DEFINITIONEM 8. 9. 10.

PLanorum contactûs & Refractionis intermediæ communis sectio L G. Perpendiculum incidentiæ & Refractionis. M C N. Obiectum. F. Perpendiculum obiecti. F G. Diameter visualis D E S. Centrum visuale. E diameter incidentiæ. B C H. Centrum incidentiæ. C. Lineæ radiosæ refractæ F B D & F H S. Linearum radiosarum partes incidentes. F B. & F H. Linearum radiosarum partes refractæ. B D. & H S. Linea interradiosa refracta. F C E. Lineæ interradiosæ partes, incidens. F C. Refracta. C E. Perpendiculum oculorum D Y. & S X. Perpendiculum centri visualis. E L.



Duo plana refractionis radiosæ D Y B G F. & S X H G F, planum contactûs ad rectos angulos secantia in rectis lineis Y B G & X H G. } ad def. 8.

Planum refractionis interradiosæ. E L C G F. planum contactûs ad rectos angulos secans in rectâ lineâ. L C G. } ad def. 9.

Delineatio quintilatera D B F H S, vnâ cum lineâ interradiosâ refractâ E C F, pro visionis coniugatæ obliquæ integrâ descriptione habenda est Nam per tres lineas refractas D B F. S H F. & E C F. in tribus refractionis planis (deff. 8. & 9. descriptis) existentes, fit *visio coniugata obliqua*, vt videre est in definitione. . . . . } ad def. 10.

SVPPOSITIO III.

EX tribus lineis refractis, quæ ab obiecto ad diametrum visualem procedunt, cùm duarum Radiosarum refractio cum refractione transuersâ siue oculari composita atque implicata sit, sola verò interradiosa simplicis refractionis capax sit. Ex lineâ interradiosâ tantùm, ad planum contactûs, siue, quod idem est, ad perpendiculum incidentiæ & refractionis habitudine, Anguli incidentiæ & Refracti constituendi, & eorum differentiæ & æqualitates sumendæ sunt. Quod non in præsenti tantùm quæstione, sed generaliter in visione coniugatâ obliquâ intelligendum, & supponendum est.

LEMMA.

SI duorum triangulorum Isoscelium BPH, & BNH: altitudinum inæqualium CP, & CN. quæ super eadem basi BH constituuntur, latera PB & PH, & NB. NH ad rectam lineam DS, basi BH parallelam producantur, duo triangula PXY, NDS basium inæqualium. XY, DS. constituentia; trianguli producti altitudinis maioris XPY. minor erit basis XY. Eius verò cuius altitudo minor est, DNS. basis maior erit DS.



DEFINITIO XI.

IN visione coniugatâ obliquâ, si planum per diametrum visualem & diametrum incidentiæ ei parallelam ductum intelligatur, & in plano illo lineæ interradiosæ pars refracta directè continuetur donec pars à centro incidentiæ ad terminum continuationis lineæ interradiosæ parti incidenti æqualis sit, & à termino continuationis per diametri incidentiæ terminos in prædicto plano, ductæ sint duæ rectæ lineæ triangulum super diametrum visualem constituentes (cuius basis) per lemma (diametro minor erit) Excessus bipartitus (bina scil. segmenta) diametri visualis, supra Trianguli istius basim, *Radiositatis dilatatio*, in casu isto visionis coniugatæ obliquæ, censendus est.

Visionis coniugatæ obliquæ delineatio D B Q H S.



Planum refractionis oculare. D B P H S.

Lineæ interradiosæ pars refracta F C, à centro incidentiæ C, ad distantiam C P. lineæ interradiosæ, parti incidenti Q C æqualem, certa continuata C P.

Lineæ rectæ P B X & P H Y, à puncto P. per diametri incidentiæ terminos B & H ad diametrum visualem in plano oculari recta productæ triangulum X P Y super basim X Y constituentes.

Excelsus diametri Visualis D S supra basim. X Y (iuxta definitionem) radiositatis dilatatio, bina scilicet segmenta. D X + Y S.

DEFINITIO XII.

IN visione coniugatâ obliquâ, quoniam linearum Radiosarum partes refractæ, quæ ab oculis ad diametri incidentiæ terminos procedunt & à terminis illis rectâ continuatæ in obiecti perpendiculo coincidentes locum imaginis in coincidentiæ puncto constituunt. Lineæ idcirco interradiosæ vnà cum Radiosis rectâ continuatæ, pars illa quæ à centro incidentiæ ad imagidem terminatur, *Linea imaginaria* vocetur.

AD DEFINITIONEM XII.

VIsionis coniugatæ obliquæ delineatio. D B Q H S. Planorum contactûs, & refractionis communis sectio L C G. Obiecti perpendiculum Q G: (vbi debet intelligi recta connectens puncta Q G) linearum radiosarum partes refractæ. D B, & S H, à diametri incidentiæ terminis B, & H, in planis suis rectâ continuatæ in obiecti perpendiculo Q G coincidunt. Coincidentiæ punctum N locus imaginis est.

Lineæ interradiosæ pars refracta F C. à centro incidentiæ C in plano suo recta continuata ad imaginem N. Linea igitur C N, linea imaginaria est.

DEFINITIO XIII.

LIneæ interradiosæ quæ partes suas similes, æquales habent, vt partes incidentes inter se æquales, & partes refractas in visione

obliquâ, vel directas in visione rectâ, inter se item æquales, *similiter æquales* vocentur.

AXIOMA.

IN visione siue singulari, siue coniugatâ, anguli refracti angulis incidentiæ æqualibus respondentes, æquales sunt, & Anguli refracti maiores, maioribus incidentiæ angulis, minores minoribus respondent.

THEOREMA I.

IN visione singulari obliquâ, si perpendicula obiecti, oculi, & interstitij, in diuersis Visionis actibus, æqualia fuerint, anguli incidentiæ æquales erunt.

Sit in actu visionis aliquo, planorum contactûs, & refractionis communis sectio. D H.

Et in plano refractionis, in mediis suis, obliquè posita sint obiectum B & oculus G.



Sitque obiecti perpendiculum B H : Oculi G D.

Ac proinde interstitij perpendiculum D H, siue quod ei æquale est, G Y.

Ductaque sit in plano refractionis ab obiecto B ad oculum G, linea radiosa B T G, in puncto incidentiæ & refractionis T refracta.

Et ad punctum T in eodem plano, ducatur incidentiæ & refractionis perpendiculum P T F.

Erit inde angulus incidentiæ B T P, & refractus ei respondens G T F.

In actu visionis alio quocunque, sit planorum contactûs, & refractionis communis sectio B K.

Et in plano refractionis ducta sint tria perpendicula D K, L B, L P. perpendiculis tribus similibus B H, G D, G Y actus prioris, æqualia.

Et ad punctum D collocetur obiectum, & ad punctum L oculus.

Ductaque sit in plano refractionis ab obiecto D ad oculum L, linea radiosa D C L in puncto incidentiæ & refractionis C, refracta.

Et per punctum illud C in eodem plano, ducatur incidentiæ & refractionis perpendiculum X C Q.



Erit inde angulus incidentiæ D C X, & L C Q angulus refractus ei respondens. His constitutis, probandum est, angulos incidentiæ D R T, & D C X æquales esse.

Si æquales non sunt, erit angulus D C X angulo D R T; vel maior, vel minor. Sit primum si fieri potest maior.

Sumpto igitur puncto incidentiæ R, ductisque perpendiculo T R S, & lineæ radiosæ parte incidente D R, sit angulus incidentiæ D R T, minor angulo incidentiæ D C X.

Ductâque lineæ radiosę parte refractâ R L, fiet angulus L R S, refractus angulo incidentiæ D R T respondens.

Cùm sit igitur angulus incidentię D R T minor angulo incidentię D C X, erit (per Axioma) angulus refractus L R S minor refracto L C Q. Est autem recta L S maior quàm recta L Q.

Æqualibus igitur existentibus rectis R S, & C Q, est angulus L R S. maior angulo L C Q.

Erit ergo Angulus L R S & minor & maior angulo L C Q, quod est impossibile. Non est igitur angulus D C X maior angulo D R T.

In simile absurdum inciditur, supposito angulo D C X, angulo B T P minore, & sumpto angulo aliquo incidentię vt P F N maiore quàm sit angulus D C X. Itaque in visione, &c. Quod erat probandum.

THEOREMA II.

IN Visione coniugatâ rectâ, si lineæ interradiosę in diuersis visionis actibus similiter ęquales fuerint, Radiositatis dilatationes, ęquales erunt.



Sit primò visionis coniugatæ rectę actus aliquis D G B H S, in plano refractionis oculari (secundum def. 6.) constitutus.

Et in plano illo linearum radiosarum partes incidentes B G, & B H. à diametri incidentię terminis G, & H, ad diametrum visualem directè continuentur, triangulum M B N super basim M N constituentes.

Est igitur (per def. 7.) Excessus bipartitus diametri visualis D S supra basim M N. (bina scil. segmenta) D M + N S radiositatis dilatatio in hoc actu.

Secundò, sit actus alius quicunque D K P L S, in plano refractionis oculari (per def. 6.) constitutus, sitque P R æq. B C & R Q æq. C F.

Et in plano illo, linearum radiosarum partes incidentes P K, P L, à diametri incidentiæ terminis K & L ad diametrum visualem directè continuentur Triangulum X P Y super basim X Y constituentes.

Est igitur (per def. 7.) Excessus bipartitus diametri visualis D S, supra basim X Y (bina scil. segmenta) D X + Y S, radiositatis dilatatio in hoc secundo actu.

His constitutis dilatationes istas radiosas D M + N S, actûs primi, & D X + Y S, secundi, æquales esse probandum est.

Angulus G B C, angulo K P R. (per Theor. 1.) æqualis est, & angulus H B C angulo L P R, item æqualis.

Angulus igitur G B H trianguli M B N angulo K P L trianguli X P Y æqualis est.

Perpendiculum item B C F, perpendiculo P R Q ex hypothesi æquale est.

Basis igitur M N, basi X Y æqualis est.

Excessus igitur diametri visualis D S, supra basim M N, scil. D M + N S qui radiositatis dilatatio actus primi est, excessui diametri visualis D S, supra basim X Y scil. D X + Y S qui radiositatis dilatatio actus secundi est æqualis est. Quod probandum erat.

THEOREMA III.

IN duobus visionis coniugatæ, altero rectæ, altero obliquæ actibus si lineæ interradiosæ, directa, in visione rectâ, refracta in obliquâ, similiter æquales fuerint, diameter incidentiæ vnius, diametro incidentiæ alterius æqualis erit.

Sit visionis rectæ actus D R B T S in plano refractionis (secundū def. 6.) constitutus.



In quo, obiectum B, diameter visualis D X S, lineæ refractæ B R D, B T S, linea interradiosa directa. B E X & diameter incidentiæ. R E F.

Et sit visionis obliquæ actus D F E G S, in duobus planis refractionis radiosæ & tertio interradiosæ (ex præscripto def. 10.) constructus.

In quo, planorum contactûs & refractionis interradiosæ sectio cōmunis B C. Incidentiæ & refractionis perpendiculum L R K. obiectum

iectum Q. Diameter visualis D H S, lineæ radiosæ refractæ. Q F D, H G S. linea interradiosa refracta E R Z. & diameter incidentiæ F R G.

His positis probandum est diametros incidentiæ duorum actuum R E T, F R G, æquales esse.

In actu visionis rectæ D R B T S linearum radiosarum partes incidentes B R, B T, à diametri incidentiæ terminis R. T. directe producantur ad diametrum visualem triangulum super diametrum constituentes H B K.

Erit igitur (per def. 7.) excessus diametri D S supra basim trianguli producti H K, bina scil. segmenta D H + K S radiositatis in hoc actu dilatatio.

Deinde in actu visionis obliquæ D F H G S, per diametrum visualem D S, & diametrum incidentiæ illi parallelam. F G, ductum sit planum refractionis oculare, & in plano illo lineæ interradiosæ pars refracta E R, à centro incidentiæ. R, directe continuetur ad distantiam R H; lineæ interradiosæ parti incidenti R H æqualem.

Et à puncto H, per diametri incidentiæ terminos F, G, ducantur rectę lineæ H M, H N, ad Diametrum visualem D S Triangulum super eam constituentes, M H N.

Erit igitur (per def. 11.) excessus diametri visualis D S, supra basim trianguli M N, bina scil. segmenta D M + N S radiositatis dilatatio in hoc visionis obliquæ actu.

Si iam planum contactus per incidentiæ diametrum F G ductum intelligatur secans rectam H Z, in puncto R ad angulos rectos & obiectum concipiatur in puncto H. posita erit (per def. 6.) constructio ista D F H G S, visionis coniugatæ rectæ actus.

Erunt igitur (per theorema 2.) dilationes radiosæ D H + K S in actu proposito & D M + N S, in actu hoc constituto, æquales.

Est igitur M N basis trianguli M H N, æqualis basi H K, trianguli H B K.

Et sunt (ex hypothesi & constructione) triangulorum M H N & H B K, perpendicula Z R H, & X E B similiter æqualia.

Sunt igitur triangula M H N, & H B K, ac proinde triangula F H G & R B T inter se similia & æqualia.

Est igitur diameter incidentiæ F G in actu visionis obliquæ, diametro incidentiæ R T in actu visionis rectæ, æqualis. Quod erat probandum.

THEOREMA IV.

IN duobus vtcunque diuersis visionis coniugatę obliquę actibus si lineę interradiosę similiter ęquales fuerint, diametri incidentiæ ęquales erunt.

In actu visionis obliquę primo DGHTS sit linea interradiosa refracta HEN & angulus incidentiæ HEY. Diameter incidentiæ GT.

In actu visionis obliquæ secundo DFHKS, sit linea interradiosa refracta HRL lineæ interradiosæ prioris HEN, similiter æqualis.



Sit vero angulus incidentiæ HRX, angulo incidentiæ prioris HEY, vtcunque inæqualis, sitque diameter incidentiæ Fk.

Probandum est, diametrum incidentiæ Fk diametro incidentiæ GT æqualem esse.

Theorema hoc superioris tertij immediatè consectarium est.

Descripto enim visionis rectæ actu DNkCS, in quo linea interradiosa directa kIM, lineis interradiosis refractis HEN & HRL similiter æqualis sit, & incidentiæ diameter NC. Erit (per theor. 3.) incidentiæ diameter GT incidentiæ diametro NC æqualis; & incidentiæ diameter Fk eidem NC, æqualis.

Sunt igitur incidentiæ diametri GT, Fk. inter se æquales. Quod probandum erat.

THEOREMA V.

IN duobus vtcunque Visionis coniugatæ obliquæ actibus si lineæ interradiosæ similiter æquales fuerint, lineæ eorum imaginariæ æquales erunt.

Sit actus primus DGBKS, & sit planorum contactûs & refractionis interradiosæ communis sectio ML & obiecti perpendiculũ BL.

Tres igitur rectæ lineæ DG. TE. SK. in planis suis refractionis à tribus terminis diametri incidentiæ G. E. K. directè continuatæ concurrent in puncto aliquo perpendiculi. BL. Sit punctum concursûs C.



Est igitur punctum C, locus imaginis; & lineæ interradiosæ pars continuata EC linea imaginaria (per def. 12.)

2009 Ministerio de Cultura

Sit actus secundus D F P H S. Et sit planorum contactûs & refractionis interradiosæ communis sectio M C, & obiecti perpendiculum P C.

Tres igitur rectæ D F. Y R. S H. in planis suis refractionis à tribus terminis diametri incidentiæ F.R.H. directe continuatæ concurrent in puncto aliquo perpendiculi P C. sit punctum concursûs G.

Est igitur (per def.12.) Punctum G. locus imaginis, & lineæ interradiosæ pars continuata R G. linea imaginaria.

His constitutis, lineas istas imaginarias E C. & R G. inter se æquales esse probandum est.

In triangulo primo D C S, recta linea D T S, minus rectâ G K, ad ipsam G K, est vt recta T E. ad rectam E C.

Et in triangulo secundo D G S, recta D Y S minus rectâ F H, est ad ipsam F H vt recta Y R ad rectam R G.

Sunt autem rectæ D T S & D Y S diametri visuales inter se æquales.

Et rectæ G K & F H. diametri incidentiæ (per theorema 4.) item sunt æquales.

Et rectæ T E, & Y R linearum interradiosarum partes refractæ (ex hyp.) sunt æquales.

In duobus igitur istis analogismis tres primi termini primi analogismi, scil. D T S minùs G K. G K. T E tribus primis terminis secundi scil. D Y S minùs F H. F H. Y R. æquales sunt.

Quartus igitur primi E C. linea imaginaria actûs primi, quarto secundi R G, lineæ imaginariæ actûs secundi æqualis est, quod erat probandum.

THEOREMA VI.

IN duobus vtcunque diuersis visionis coniugatæ obliquæ actibus, linearum interradiosarum partes incidentes, lineis suis imaginariis proportionales sunt.



In actu primo sit planorum contactus & refractionis interradiosæ communis sectio H D, perpendiculum incidentiæ & refractionis K C M.

Et in plano refractionis interradiosæ ab obiecto B, ad centrum visuale F ducta sit linea interradiosa refracta B C F.

Et ducto obiecti perpendiculo B D, pars refracta F C directè con-

tinuetur ad perpendiculi punctum N.

Erit ergo (per def. 12.) recta C N. linea imaginaria.

In actu secundo sit planorum communis sectio G F. & perpendiculum incidentiæ & refractionis H E Z.

Et in plano refractionis interradiosæ, ab obiecto N. ad centrum visuale Y. ducta sit linea interradiosa refracta N E Y, quæ partes suas N E incidentem, & E Y refractam partibus actûs primi B C incidentis, & C F refractæ inæquales habeat, & pars incidens N E cum perpendiculo H E angulum incidentiæ N E H faciat, angulo incidentiæ B C K actûs primi, inæqualem.

Et ducto obiecti perpendiculo N F, pars refracta Y E directè continuata sit ad perpendiculi punctum P.

Erit ergo (per def. 12) recta E P linea imaginaria.

His constitutis probandum est linearum interradiosarum, in duobus actibus, partes incidentes B C & N E lineis suis imaginariis N C & P E proportionales esse.

Fiat actûs cuiuspiam tertij delineatio, in quâ interradiosæ pars incidens H T. interradiosæ parti incidenti B C actus primi æqualis sit. Et angulus incidentiæ H T D angulo incidentiæ B C K primi, item æqualis: Interradiosa vero pars refracta T X interradiosæ parti refractæ E Y secundi æqualis.

Ducto igitur obiecti perpendiculo H R, & lineæ interradiosæ parte refractâ X T directè continuatâ ad perpendiculi punctum K erit recta linea T K huius tertij actûs linea imaginaria.

Cùm sint autem anguli incidentiæ H T D & B C K æquales, sunt (per Axioma) anguli refracti L T X, M C F æquales.

Ergo anguli ad verticem D T K, K C N, æquales sunt.

Ergo anguli H T K, B C N quoque æquales.

Existentibus igitur rectis lineis H T & B C, item angulis H T K & B C N, erunt rectæ T K & C N, lineæ scilicet duorum actuum imaginariæ inter se æquales.

Porrò cùm lineæ interradiosæ, actûs secundi, pars incidens N E interradiosæ parti incidenti B C actûs primi facta sit vtcunque inæqualis. ponatur hæc illâ maior.

Erit igitur interradiosæ parte incidente actûs tertij quoque maior.

Sumatur in rectâ N E punctum Q pro loco obiecti, ad distantiam E Q interradiosæ parti incidenti H T æqualem, quæ pro interradiosæ parte incidente hîc sit.

Et ab obiecto Q. agatur perpendiculum Q T lineam imaginariam priorem E P, secans in puncto R.

2009 Ministerio de Cultura

Erit ergo recta E R linea imaginaria interradiosæ parti incidenti Q E debita.

In constructione ista quæ (per def. 10.) provisionis obliquæ actu habenda est, linea interradiosa refracta Q E Y, lineæ interradiosæ refractæ H T X actus tertij, similiter æqualis est.

Ergo (per theor. 5.) linea imaginaria E R huius, lineæ imaginariæ T K illius æqualis est.

Sunt ergo rectæ lineæ Q E & E R, rectis H T & T K. sigillatim æquales.

Rectas autem H T & T K. rectis B C & C N æquales esse, supra probatum est.

Sunt igitur rectæ Q E & E R rectis B C & C N æquales.

Est autem recta N E ad rectam P E, vt recta Q E, ad rectam E R.

Est igitur recta N E ad rectam P E vt recta B C ad rectam C N.

Sunt igitur in duobus visionis obliquæ actibus propositis linearum interradiosarum partes incidentes X E & B C, lineis suis imaginariis E P & C N proportionales. Quod erat probandum.

THEOREMA VII.

IN visione refractâ secantes complementorum angulorum incidentiæ, secantibus complementorum angulorum refractorum incidentiis respondentium proportionales sunt.

Vt in visione coniugatâ persistamus, sit primò planorum contactûs & refractionis interradiosæ communis sectio H G. perpendiculum incidentiæ & refractionis per incidentiæ centrum C. transiens, K C L.



Et in plano refractionis, sit linea interradiosa refracta B C D. angulus igitur incidentiæ est B C K, & refractus ei respondens, L C D.

Et lineæ interradiosæ pars refracta D C directè continuata secet perpendiculum in puncto F.

Erit inde angulus F C K angulo refracto L C D æqualis.

Erit ergo angulus B C G anguli incidentiæ complementum, & angulus F C G. anguli refracti complementum.

Positâ igitur rectâ C G pro radio, siue sinu toto, erit B C secans complementi anguli incidentiæ, & F C secans complementi anguli refracti.

In actu secundo sit planorum intersectio GE, & perpendiculum incidentiæ & refractionis per incidentiæ centrum R transiens, XRY.

Et in plano refractionis ducta sit linea interradiosa refracta QRS, angulos faciens cum perpendiculis suis XR & YR, incidentiæ quidem QRX. refractum verò YRS. angulis actûs primi vtcunque inæquales.

Differentiâ istâ angulorum inter duos actûs constitutâ, & quod reliquum est huius descriptionis, processu priori omnino simili peracto, erit recta QR secans anguli QRE complementi anguli incidentiæ, & recta TR secans anguli TRE complementi anguli refracti.

Secantes iam istas QR. & CB. complementorum angulorum incidentiæ, secantibus TR, FC. complementorum angulorum refractorum proportionales esse manifestum est.

Sunt enim QR & BC linearum suarum interradiosarum partes incidentes, & TR, FC. lineæ imaginariæ incidentiis istis debitæ.

Sed (per theor. 6.) lineæ incidentes, lineis suis imaginariis proportionales sunt.

Ergo secantes QR & BC complementorum angulorum incidentiæ, secantibus TR, & FC, complementorum angulorum refractorum proportionales sunt. Quod erat probandum.

THOREMA VIII.

IN visione refractâ sinus angulorum incidentiæ, sinibus angulorum refractorum incidentiis respondentium proportionales sunt.

Resumptâ duorum actuum superiore descriptione, in primo, super rectâ CG vt diametro, describatur peripheria CVTG, rectas lineas BC & FC secans in punctis V & T. ducanturque rectæ GV, GT.



Erunt inde anguli CGV & CGT, angulis BCK & FCK, angulis scilicet incidentiæ, & refracto æquales.

Erunt igitur CV & CT angulorum incidentiæ & refracti sinus CV. scilicet anguli incidentiæ CGV sinus, & CT anguli refracti CGT sinus.

In secundo super rectâ RN vt diametro, describatur peripheria

RZEN, rectas QR & TR secans in punctis Z & E, ducanturque rectæ NZ & NE.

Erunt inde anguli RNZ & RNE angulis QRX & TRX; angulis scilicet incidentiæ, & refracto æquales.

Erunt igitur rectæ RZ & RE angulorum incidentiæ & refracti sinus. RZ scilicet anguli incidentiæ RNZ & RE anguli refracti RNE sinus.

His constitutis probandum est sinus angulorum incidentiæ c v, & R z, sinibus angulorum refractorum CT & RE proportionales esse.

In actu primo est	BC ad CG vt GC ad CV.
Et	FC ad CG vt GC ad CT.
Est ergo (per lemma sequens)	BC ad FC vt CT ad CV.
In secundo est . . . . . ,	QR ad RN vt RN ad RZ.
Et	TR ad RN vt RN ad RE.
Ergo (per Lemma)	QR ad TR vt RE ad RZ.
Sed (per Theor. 7.) est . .	BC ad FC vt QR ad TR.
Ergo est	CT ad CV vt RE ad RZ.

LEMMA AD PRÆCEDENTEM.

SI in duobus analogismis trium terminorum medij termini æquales fuerint, termini extremi reciprocè proportionales erunt.

Si sint analogismi.	Primus . . .	vt B ad C. ita C ad D.
	Secundus . .	vt F ad C. ita C ad G.
	Erit	vt B ad F. ita G ad D.

Est enim rectangulum BD æquale rectangulo CC, & rectangulum CC, æquale rectang. FG. quare rectangulum BD æquale est rectangulo FG.

Ergo . . . vt B ad F. ita G ad D. vt est enuntiatum.

COROLLARIVM.

THeorema hoc, problematis, processûs huius initio præfixi, totius scil. præsentis negotij fundamentale est. Si enim angulo cuicunque, siue incidentiæ, siue refracto, ex suppositione dato vel sumpto, angulus respondens per obseruationem dioptricam acquisitus sit. Ratio quam sinus anguli suppositi, ad sinum anguli obseruati ei respondentis habet (per Theorema) eadem est, quæ sinus angulorum omnium de genere suppositi, ad sinus angulorum om-

2009 Ministerio de Cultura

nium de genere obſeruati ſigillatim eis reſpondentium obtinent. Communi igitur iſtâ ratione conſtitutâ, manifeſtum eſt angulos omnes incidentiæ à minimo ad maximum, cum angulis ſuis refractis, atque angulis refractionum vtriſque congruis Calculo Analogiſtico, vel (altero rationis termino ad numerum decuplatum, ſiue ſinum totum reducto) ſolo multiplicationis opere in tabulam ordinatam redigi poſſe. Vnde patet problematis initio propoſiti ſolutio.

2009 Ministerio de Cultura

OPTICÆ
LIBER SEPTIMVS.
HYPOTHESES.

1 MNIS Actio est motus localis in agente, sicut & omnis Passio est motus localis in Patiente. Agentis nomine intelligo Corpus, cuius motu producitur effectus in alio Corpore; Patientis, in quo motus aliquis ab alio Corpore generatur. Exempli gratiâ. dum clauus, vt aiunt, clauum pellit, motus pellentis est actio eius, motus pulsi, est pulsi passio. Item dum Carbo ignitus calefacit hominem, etsi neque Carbo, neque homo suo loco exeat, neque ideo moueatur, est tamen aliquid materiæ siue Corporis subtilis in Carbone, quod mouetur, & motum ciet in medio, vsque ad hominem; & est in homine stante immoto, motus aliquis in partibus internis inde generatus. Motus autem hic in partibus hominis internis est calor; & sic moueri, Calefieri, hoc est pati; & motus ille qui est in partibus Carbonis igniti, est actio eius, siue calefactio; & sic moueri, calefacere.

2. Visio est passio producta in vidente per actionem obiecti lucidi vel illuminati.

3. In visione, neque obiectum, neque pars eius quæcunque transit à loco suo ad oculum. Vt motus possit motum generare ad quamlibet distantiam, non est necessarium, vt corpus illud à quo motus generatur, transeat per totum illud spatium, per quod motus propagatur; sufficit enim vt parùm, imò insensibiliter motum, protrudat id quod proxime adstat; nam id quod adstat, pulsum suo loco, pellit quoque quod est proximum sibi, atque eo modo motus propagabitur quantum libueris.

4. Lucidum omne vndiquaque à quotlibet simul aspicientibus videri potest.

5. Medium rarius voco quod minus contumax est aduersus motum recipiendum. Densius quod magis. Aerem autem rariorem suppono quàm aquam, quàm vitrum, quàm cristallum.

2009 Ministerio de Cultura

PROPOSITIO I.

Omne lucidum dilatat se, tumescitque in molem maiorem, iterumque contrahit se, perpetuam habens systolem & diastolem.

QVoniam enim (per hypothesin quartam) lucidum omne simul vndiquaque videtur, visio autem (per hypothesim secundam) fiat ab actione lucidi, & est (per hypothesim primam) omnis actio motus localis in Agente, sequitur, esse in lucido motum versus omnes partes simul. Quia vero lucida dum videntur non disperguntur vsque ad oculos vndiquaque videntium, (sic enim perderentur) restat vt partes lucidi quas ostensum est moueri versus omnes partes simul, se iterum recipiant. Hoc autem idem est ac si diceremus totum lucidum tumescere, & iterum se contrahere alternis vicibus, siue habere perpetuam systolem & diastolem. Quod erat probandum.

Videtur autem, quam in omni corpore lucido obseruamus & appellamus scintillationem nihil aliud esse quàm hanc systolem & diastolem.

PROPOSITIO II.

Motus à lucido ad oculum propagatur per continuam reiectionem partis medij contiguæ.

SVpposuimus (hypothesi tertia) neque obiectum, neque partem aliquam eius quamcunque in visione transire ad oculum; neque vllus alius modus quo motus ad distantiam propagetur excogitari potest, præter illum quem proposuimus, sequitur ergo illum esse.

PROPOSITIO III.

Considerare quomodo fiat lumen, & quid sit?

SIt propositum lucidum, Corpus solare, cuius centrum A; semidiameter A B, cui circumscribatur orbis Concentricus cuius

2009 Ministerio de Cultura

craſſities BC, (orbem voco ſolidum contentum inter duas ſphæricas



ſuperficies Concentricas) Rurſus orbi BC circumponatur orbis alius Concentricus CD, & huic alter DE, & eodem modo quotcunque alij, quilibet cuilibet æqualis; quoniam ergo exteriores circumferentiæ ſemper maiores ſunt interioribus, erunt reciprocè craſſities interiorum orbium maiores quàm exteriorum, quare maior eſt BC quàm CD, & CD quàm DE. Quoniam iam per primam, ſol dilatat ſe, & tumeſcit in molem maiorem, ſupponamus ſolem in diaſtole, ſiue tumeſcentia æquare totam ſphæram cuius ſemidiameter eſt AC; neceſſe ergo eſt vt medij pars quæ erat in orbe BC exeat in locum ſibi æqualem proximum, nempe in orbem CD, idque eodem tempore; nam quo inſtante incipit motus à B verſus C. neceſſe eſt vt incipiat motus à C verſus D, & à D verſus E, & ab E prorſum, quare ſi ſtatuatur oculus in qualibet diſtantia à ſole puta in E, quo inſtante incipit ſol dilatare ſe in B, eodem ferietur oculus in E. vnde propagabitur motus ad retinam, & inde per connatum retinæ neruum opticum vſque ad cerebrum; & hoc fit eodem inſtante, quo motus incipit in B; Præterea eſt in Cerebro vt in cæteris omnibus quæ patiuntur, reactio ſua, vnde motus à cerebro propagatur retro per neruum opticum in retinam, inde per eaſdem lineas verſus ſolem quibus ante à ſole verſus retinam. Atque omnis hic proceſſus erit factus (vt iam demonſtrauimus fieri à ſole ad oculum) in inſtante. Manifeſtum ergo eſt in omni viſione propagari motum à lucido ad oculum & ad cerebrum, & inde retro ad partes extra oculos in inſtante. Manifeſtum item eſt, motum qui ſic à lucido propagatur debiliorem eſſe longè quam propè; cum enim BC ſit maior quam CD; & CD quam DE, ſit tamen tempus propagationis à B ad C, idem quod à C ad D, vel à D ad E, velocior eſt motus propagatus in BC quàm in CD, & in CD quàm in DE, & ſic deinceps.

Hactenus motum à lucido qualis ſit conſiderauimus, iam quomodo talis motus & quando vocatur lumen conſiderandum eſt.

Primò ſi nulla eſſet viſio, nihil eſſet quod vocaremus lumen: nam cœci nati, loquentem de lumine & coloribus non intelligunt; lumen ergo non dicitur motus ante viſionem, hoc eſt antequam perueniat ad cerebrum. Deinde motum in cerebro quod vocamus lumen, non ſentimus in ipſo cerebro, ſed foris ante oculos. Motum ergo á lucido non vocamus lumen antequam retrò à cerebro per reactionem propagetur per neruum opticum & oculos ad medium inter

oculum & lucidũ. Lumen ergo est apparitio antè oculos motûs illius qui propagatur à lucidi diastole siue tumescentiâ ad cerebrum, & inde retrò per oculos ad medium. Est ergo lumen lucidi phantasma, siue imago concepta in cerebro. Confirmatur autem etiam experientiâ, eo quod in omni concussione cerebri quo fit motus aliquis per neruum opticum extrorsum, vt quando oculus percutitur apparet lumen quoddam ante oculos. Ex his quæ dicta sunt faciemus breue Corollarium.

COROLLARIVM.

Lumen est phantasma à lucido. (*Idem sentiendum de coloribus qui sunt lumen perturbatum.*)

Lumen propagatur ad quamlibet distantiam in instante.

Lumen quo longius eo debilius propagatur.

MONITVM.

DIfficultas maxima in lumine concipiendo tam veterum, quàm Neotericorum Philosophorum ingenia torsit, quibus spero satisfactum iri, si considerent vix ac ne vix quidem à nobis clarè, distinctéque concipi quidpiam nisi motus, aut figurarum ope. Quas si quis diligenter perpendat, & motum compositiones intelligat, nil in tota Philosophia facilius, nil ad demonstrationem accommodatius, & hominum ingenio congruentius esse fatebitur.

DEFINITIO RADII.

RAdium appello viam per quam motus à Lucido per Medium propagatur. Exempli gratiâ. Sit Lucidum A B, à quo moto ad C D, pars Medij quæ interiacet inter A B & C D, protrudatur ad E F: & à parte Medij quæ erat inter C D & E F, promotâ vlteriùs ad G H, propellatur pars illa quæ erat inter E F, & G H, vlteriùs ad I K, & sic deinceps, siue directè, siue non, puta versus L M. Spatium iam quod continetur inter lineas A I O L, & B K M, est id quod voco Radium, siue viam per quam motus à Lucido per Medium propagatur.

2008 Ministerio de Cultura

PROPOSITIO IV.

Radius est spatium solidum.

QVoniam enim Radius est via per quam motus projicitur à Lucido; neque potest esse motus nisi Corporis; sequitur Radium locum esse Corporis; & proinde habere tres dimensiones. Est ergo Radius spatium solidum.

DEFINITIO RADII DIRECTI ET REFRACTI.

RAdius directus est qui sectus plano per axim, exhibet in plano secante figuram parallelogrammam (vt A K.) Radius Refractus est qui componitur ex directis angulum facientibus, vnà cum parte intermediâ; (vt Radius A M, Refractus dicitur, quia componitur ex directis A K, & K L, vnà cum parte I K O.)

DEFINITIO LINEÆ LVCIS.

LIneam vnde Radij latera incipiunt (exempli gratiâ, lineam A B, vnde incipiunt latera A I & B K) appello lineam Lucis simpliciter. Linearũ autem quæ à lineâ Lucis continuâ protrusione deriuantur (quales sunt C D, E F, &c.) vnamquamque appello lineam Lucis eousque propagatam.

CAVSA PHYSICA RADIORVM DIRECTORVM.

QVandoquidem Radius habet tres dimensiones, demus ipsi perspicuitatis gratiâ latitudinem aliquam notabilem A B· perspicuitatis inquam gratiâ; quia Radius à minimo lucido deriuatus, est insensibilis, & tamen Radius.



Iam si A B protudat ante se Medij partem sibi proximam versus C D, omni suo puncto æquè velociter, necesse est vt describatur parallelogrammum, siue Radius directus A D, tanquam si A B esset latus cylindri volutati ab A B, versus C D. Quamdiu autem Medium vniformè est, hoc est, æque vbique permeabile, nulla ratio excogitari potest quare A B non propagaret motũ omni sua parte æqre velocem: ideoque ratio patet quare in eodem medio radius æquemp

est directus. Quod si AB non moueretur omni suâ parte æquè velociter, sed inæqualiter, puta pro ratione rectæ AE ad rectam BF, non propagabitur motus per viam siue spatium parallelogrammum ABCD, neque erit EF linea lucis propagata: sic enim AB quam supponimus esse in materiâ tenuissimâ, distraheretur in quantitatem sese maiorem. Vt sciamus autem per quam viam propagabitur motus hic ab AB inæqualis, putemus ipsam AB esse (non vt ante latus cylindri, sed) latus frusti coni, habentis diametrum maioris basis AE, minoris verò BF. Iam si frustum hoc Coni prouoluatur, circuli basium eius tanquam duæ rotæ inæquales describent duos circulos AK, BR, quorum centrum commune erit vertex Coni, puta punctum G. Reliquæ autem partes intermediæ describent singulæ singulos circulos, quales sunt IK, LM, NO PQ, extremis AH, BR, concentricos. Via ergo quâ motus inæqualis propagatur ab AB, non est directa, vt AD, sed qualis continetur lineis rectis AB, HR, & circularibus AH, BR, nempe portio Sectoris.



His positis, putemus rectam ED disterminare duo media, quorum vtrumuis, puta superius, sit rarum, alterum densum; & ab AB lineâ lucis, venire obliquè Radium directum, siue parallelogrammum AD. Statim atque ventum est ad contactum Densi in D, progressus erit inæqualis (propter medium biforme, cum C sit in raro, D in Denso) nempe tardior à parte D, velocior à parte C, in ratione CE ad DF, vel CG ad DH. Via ergo quâ motus propagatur à CD, est per portionem Sectoris CGDH, & est GH linea lucis propagata omni suâ parte ad medium densum, & æqualis ipsi CD, vel AB. Si igitur ad GH in punctis G & H, ducantur perpendiculares GI, HK, erit progressus directus; & totus Radius erit spatium concluſum intra figuram ACGIKHDB. Patet ergo ratio physica quare Radius refringitur, consistens in eo, quòd medium est biforme.



Notandum est quoque rectas LF, MH, perpendiculares ad ED,

2009 Ministerio de Cultura

esse inter se æquales (quod demonstrare non est difficilè, sed verbosum.) Ex quo sequitur, datis L F (quæ est quantitas demersionis termini D in medio denso,) & A B (quæ sumitur arbitrio nostro pro linea lucis,) statim dari G H pro lineâ lucis propagatâ in medium densum. Ductâ enim rectâ F H parallelâ ad E D, & applicatâ longitudine A B, ita vt alter terminus sit in rectâ E D, alter in F H, fiet G H linea lucis propagata eousque : à quâ ductæ perpendiculares G I, H K, designant Radij partem refractam. Neque refert ad effectum refractionis in quâ parte rectæ E D statuatur punctum G, cum tota E D, sicut & A B vel G H intelligenda sit vt insensibilis. Commodiùs tamen ponetur G in ipso puncto E, & H, in eâ parte rectæ F H, quam longitudo A B determinat, vt A E in medio raro continuetur cum G I parte refractâ in medio denso.

PROPOSITIO V.

Radius incidens perpendiculariter in superficiem planam considerari potest tanquam linea Mathematica, sed incidens in eandem obliquè considerandus est vt habens latitudinem.

SIt radius A B C D habens latitudinem A C cadens perpendiculariter in planum B D, consideratur ergo vt via qua motus propagatur, in qua eadem omnia accidunt lateri A B, quæ lateri C D; nam & vtrumque latus est perpendiculare ad planum B D, & æqualis est operatio ab A ad B, & à C ad D, vel à tota A C ad totam C D. Quare æquè considerare motum possumus in A B, vel in C D, vel in tota linea A B C D. Possumus ergo considerare radium A B C D sine latitudine, hoc est vt linea Mathematica, sed in incidentia obliqua vbi operatio ab F ad planum in H, in maiori est distantiâ quam ab E in G non potest considerari E F G H vt linea Mathematica, quia sic consideraretur E F vt punctum Mathematicum, quod tamen consideratur vno termino operari longius quam altero, hoc est consideratur vt habens terminos, hoc est, non vt punctum. Itaque si consideraremus lineam obliquè incidentem, vt Mathematicam, consideraremus E F vt punctum & non punctum, quod est absurdum.

POSTVLATVM.

POstulamus, latera radij exire à lineâ quæ ipsa coniungit ad angulos rectos, modo sint & latera & linea lucis in eodem medio. Exempli gratia, sit radius luminis A B C D cuius latera sunt A D & B C, linea autem quæ ipsa coniungit A B, quam lineam voco lineam lucis. Postulo hic nihil aliud quam vt lucidum operetur totis viribus, nam si latera radij exirent ab A B lineâ lucis obliquè vt A E, & B F, non ageret lucidum totis viribus, sed diminutis, ea scilicet ratione quam habet A G ad A B.

PROPOSITIO VI.

Radius è medio raro incidens obliquè in medium densius, cuius superficies plana est refringitur versus perpendiculum.

SIt E D recta in superficiè planâ medij densioris, ita vt quod est supra E D sit medium rarius, quod infra, densius. Sit que in medio raro linea lucis (puta solis diametrum) A B, à qua excat radius cuius latera A E, B D, sint ad A B perpendicularia, & ad planum E D obliqua. Propagato igitur altero lucis termino ad planum E D in puncto D, alter terminus non propagabitur simul ad planum in E, sed perueniet tantum ad C, ita vt A C sit æqualis B D. Productâ rectâ B D, fiat D H æqualis rectæ C E. Si igitur medium mutatum non esset, quando terminus lucis A propagatus esset ad E, alter terminus deberet esse in H, immersus scilicet sub plano E D, quanta est distantia minima inter punctum H, vel C, & rectam E D; vel inter eandem rectam E D, & sibi parallelam I H. Quoniam vero supponitur medium sub plano E D densius quam quod supra, & propagari debiliorem motum in denso quam in raro, tunc quando lineæ lucis terminus A, est in E, erit alter terminus B inter H & D puta in L. Ergo ter-

minus

minus lucis B erit immersus in medium densum quanta est distantia minima inter rectam E D, & sibi parallelam G F L, siue quantitate lineæ L M, tunc cum alter terminus est in superficie eiusdem medij densi. Ductâ igitur rectâ à puncto E ad rectam G L, eadem longitudine qua est linea lucis A B, vel C D, quæ sit E F, erit iam E F linea lucis propagata, eo vsque. Quoniam autem latera radij exeunt à lineâ lucis perpendiculariter, ducantur perpendiculares ad ipsam E F, rectæ E N, F O, propagabitur lux inter parallelas E N, F O. quare E F N O erit radius refractus, & cadet necessario latus E N inter E I, & perpendicularem ad planum, quæ est E K, & latus F O inter B D productam, & perpendicularem ad idem planum, sibi conterminam. Iam si pro latitudine A B sumamus latitudinem radij minorem quauis magnitudine data, demonstratio hæc eadem existens applicabitur lineæ E N, vt E N sit ipse radius refractis versus perpendicularem E K. Quare radius & medio raro, &c. Quod erat probandum.

PROPOSITIO VII.

Radius è medio denso incidens obliquè in medium rarius, cuius superficies est plana, refringitur in partes auersas à perpendiculo.

SIt E D in superficie planâ medij rarioris, ita vt quod est supra E D sit medium densius, quod infra rarius. Sitque in medio denso linea lucis (puta solis diametrum) A B à qua exeat radius cuius latera A E, B D sint ad A B perpendicularia, & ad planum E D obliqua. Propagato igitur altero lucis termino ad planum E D in puncto D; alter terminus non propagabitur simul ad planum in puncto E, sed tantum ad C, ita vt A C sit æqualis D B. Productâ rectâ D B, fiat D H æqualis rectæ C E. Si igitur medium



2009 Ministerio de Cultura

mutatum non esset quando terminus lucis A propagatus esset ad E, alter terminus deberet esse in H. immersus scilicet sub plano E D, quanta est distantia minima inter punctum H, vel C, & rectam E D, vel inter eandem rectam E D, & sibi parallelam I H. Quoniã vero supponitur medium sub plano E D rarius quàm quod supra, & propagari motum faciliùs in raro quam in denso; tunc quando lineæ lucis terminus A est in E, erit alter terminus B vltra H, puta in L, immersus in medium rarum quanta est distantia minima inter rectam E D, & sibi parallelam G L, hoc est quantitate lineæ L M. Ductâ igitur rectâ à puncto E ad rectam G L, eâdem longitudine qua est linea lucis A B vel C D, quæ sit E F, erit iam E F linea lucis propagata eo vsque. Ductis igitur E N, & F O perpendicularibus ad E F, erit per postulatum superius, radius propagatus in medio raro secundum parallelas E N, & F O. Cadit autem E N ita vt angulum faciat maiorem cum perpendiculo E K quam facit linea directa E G. Et F O similiter facit maiorem angulum cum sibi contermino perpendiculari si ducerentur, quam facit ea quæ est in directum cum B D, hoc est refringitur radius E F N O in partes auersas à perpendiculo. Iam si pro A B lineâ lucis sumatur magnitudo omni magnitudine proposita minor, quod demonstratur de lineâ latâ A B E F N O, demonstrabitur de ductâ A E N. Quare radius refringitur ab E in N, in partes scilicet auersas à perpendiculo. Et propterea radius è medio denso, &c. Quod erat probandum.



PROPOSITIO VIII.

Si radius incidat in planum medij rarioris, talis naturæ, vt facilius propagetur in ipso, quam in denso vnde venit, ea propor-

tione quam habet diameter quadrat ad latus eiusdem, sitque angulus inclinationis semirectus, non fiet refractio in medio raro, sed linea refracta erit in superficie planâ amborum mediorum Communi.

SIt linea lucis A B in medio densiori, à qua propagetur radius, cuius latera A E, B D perpendicularia sint ad A B, incidat autem latus A E in planum E D ita vt faciat angulũ cum recta E D, semirectum nempe A E L. Sitque medium infra E D rarius quam quod supra, ita vt propagetur lux velocior in ipso quam in medio denso, ea proportione quam habet diameter quadrati ad latus eiusdem. Dico lineam refractam fore E M, nempe iacentem in ipso plano E D.



Quoniam enim angulus A E L est semi-rectus, erit quoque C E D semi-rectus, & quia angulus E C D est rectus, erit C D E semirectus. Quare rectæ C D, C E sunt æquales. Est ergo C D E H quadratum, & vt C H diameter ad C D latus, ita C D, vel A B, vel E H, ad C K, vel K H. Supponitur autem progressum lucis in medio raro habere proportionem ad progressum in denso quam habet diameter ad latus, hoc est, C D, vel E H, vel A B, ad K H. Quando ergo terminus lucis A est in E, terminus B (qui si medium non esset mutatum deberet esse in H, immersus profunditate K H) erit propagatus ad N, ita vt profunditas eius siue distantia inter E D & G N, nempe perpendicularis E F, sit æqualis rectæ C D, vel E H, vel A B, est autem A B linea lucis. Quare etiam E F est linea lucis propagata. Exit ergo radius refractus ab ipsa E F perpendiculariter, quare E M est linea refracta, eadem cum E D. Itaque si radius incidat, &c. Quod erat probandum.

2009 Ministerio de Cultura

Patet hinc ratio, quare Dominus des Cartes, docens nos quomodo vitri refractio experiunda est per triangulum rectangulum pag. 138, iubet angulum acutiorem statuendum in eam partem, vnde auertitur linea refracta vt in hoc exemplo. Quia F I G est perpendicularis ad A B & inclinata ad A C, ita vt linea F I refringatur ad H, necesse est vt angulus A minor sit semirecto, aliter enim I H caderet vel in I C, vel intra triangulum.



Resistentia enim vitri ad resistentiam aëris maior est quam pro ratione diametri ad latus. Plus enim refrangit vitrum quam aqua, aqua vero refrangit secundum rationem diametri ad latus, vel saltem ferè.

PROPOSITIO IX.

Si radius incidat ad planum medij densioris, cuius talis sit natura vt tardius propagetur lux in ipso quam in raro vnde venit, ea proportione quam habet latus quadrati ad diametrum; in omni inclinatione erit angulus refractus minor semirecto.

SIT medium rarius quod est supra E D, & medium densius quale supponitur quod est infra. Cadat autem radius ab A B lineâ lucis in planum E D, in angulo inclinationis A E P semirecto. Quoniã ergo radius A E, refringitur versus perpendicularem, cadet linea



refracta inter E M & E O, quare cum sit angulus O E M semirectus, erit radius refractus in angulo inclinationis semirecto, minor semirecto. Quod si angulus inclinationis minor esset semirecto A E M, recta faceret angulum cum perpendiculo E O minorem semirecto, refractus igitur multo minor esset semirecto. Quare angulus refractus in angulo inclinationis semirecto vel eo minore, minor est semirecto. Sit iam angulus inclinationis maior semirecto quicunque T E P. Dico angulum refractum hic quoque minorem esse semirecto. Supponimus A B, & T R, lineas lucis æquales, vt radij ab ipsis differant sola inclinatione, æquales ergo sunt E F & E I, nempe æqualibus A B, & T R, coniunctæ per parallelas æquales. Quoniam autem angulus A E P est semirectus, erit quoque C E D semirectus, ideoque cum E C D sit rectus, etiam C D E erit semirectus. Quare rectæ E C, C D æquales erunt, & C D E I, quadratum, & vt C I diameter ad C D latus, ita E I ad I S, hoc est E F ad I S. Ducatur F G perpendicularis ad E D, minor erit F G quam E F, minor ergo est ratio G F ad I S quam diametri ad latus. Fiat ergo vt E F ad I S, siue vt diameter ad latus, ita F G ad aliud H K perpendicularem ad planum idem E D. erit ergo H K minor quam I S: quia ergo E F est profunditas quam acquisiuisset terminus lucis R, existente termino T in E si medium non esset mutatum, erit iam ex supposita qualitate medij K H profunditas eius. Si ergo ducatur L H parallela ad E D, erit lineæ lucis alter terminus in E, alter in L H, quoniam autem linea lucis æqualis est rectæ E I, terminus eius in rectâ L H cadet inter punctum H, & punctum in quo E I & L H se mutuo intersecant. Sit ergo linea lucis E Q, ad quam ducta perpendicularis in puncto E, nempe E Y erit linea refracta Quoniam ergo Y E Z est angulus rectus, item M E I angulus rectus, si dematur angulus communis Y E I, erit angulo I E Z æqualis angulus M E Y, qui cum angulo Y E O facit angulum M E O semirectum. Minor est ergo angulus refractus Y E O semirecto. Quapropter etsi inclinationis angulus maior sit semirecto, erit angulus refractus semirecto minor. Itaque siue angulus inclinationis sit maior vel minor, vel æqualis semirecto, (hoc est in omni inclinatione) in ratione mediorum suppositâ, angulus refractus erit semirecto minor. Quod erat probandum.

2009 Ministerio de Cultura

PROPOSITIO X.

Angulus refractionis qui fit à radio intrante in medium densum versus perpendiculum, æqualis est angulo refractionis, quem idem radius refractus facit exiens in idem medium rarum, in partes à perpendiculo auersas.

SIt medium rarum quod est supra rectam C B, quod infra, densum. Sit autem linea lucis A B, à quo exit radius cuius latera A C & B D. Completo rectangulo A B C D, si medium non esset mutatum, esset C D linea lucis propagata; sed quia medium sub C B densius est quam supra, erit lineæ lucis terminus B, minùs in ipsum immersus quàm punctum D. Sit ergo linea lucis propagata C E, ita vt C E æqualis sit ipsi A B vel C D. Ductis ergo perpendicularibus ad C E, rectis C G E H, erit C G linea refracta, & I C G angulus refractionis versus perpendiculum C K. Rursus sit medium densum quod est infra L D, rarum quod supra, & sit G H linea lucis propaganda à denso in rarum, quando iam terminus lucis H est in D, si medium non esset mutatum, deberet alter terminus lucis G esse in F, sed propter raritatem medij in quo iam est ille terminus vlterius ad C, pro ratione mediorum suppositâ, hoc est pro ratione distantiæ inter L D & C B ad distantiam inter M E & eandem C B, est igitur iam C D linea lucis propagata ad densi & rari confinia, quoniam ergo A C & B D sunt perpendiculares ad ipsam C D lineam lucis, erit C A linea refracta, & A C Q angulus refractionis auersus à perpendiculo C P. Restat probandum angulum A C Q æqualem esse angulo I C G, quod facile est, sunt enim verticales. Quare angulus refractionis, &c. Quod erat demonstrandum.



Facile quoque demonstratu est radium transeuntem à medio raro per medij densioris plana opposita, in medium rarum simile priori, habere partes ante ingressum & post exitum sibi inuicem parallelas.

PROPOSITIO XI.

Si sint duæ quælibet inclinationes radiorum ab eodem medio raro ad idem medium densum vel contra, superficies autem mediorum communis sit plana, progressus lucis in primo medio, ad progressum lucis simul factum in secundo habebit eandem rationem, in vnâ inclinatione quàm in alterâ.





SIntduæ quælibet inclinationes radiorum A C, & *a c*, in angulis diuersis, A C B & *a c b*, ad planum *c b*, C B, à punctis autem *b*, B, ducantur *b f*, B F, rectæ radiis *a c*, A C, parallelæ, sumptisque in *b f*, B F, rectis *b d*, B D, iisdem radiis, *a c*, A C, æqualibus, compleantur parallelogramma *a b c d*, A B C D. Sitque medium quod est infra, *c b*, C B, (quod voco medium secundum) non eiusdem naturæ cum medio quod est supra (quod voco medium primum) sed vel densius, hoc est in quo tardior sit propagatio motûs, vel rarius, hoc est in quo velocior sit propagatio motûs. Sit iam progressus lucis in medio primo, in alterâ quidem inclinatione, recta, *a c*, in altera verò recta A C, vel si progressum hunc lucis velimus mensurare in perpendiculari ad planum *c b*, C B, sit in altera inclinatione *a k* in alterâ A K. Sit autem progressus lucis in medio secundo eodem tempore, maior vel minor quam in primo, in altera quidem inclinatione *b e* (scilicet si densius sit secundum medium quam primum, vel *b f* si rarius.) Aut

2009 Ministerio de Cultura

si velimus progressum hunc mensurare in perpendiculari ad planum *c b*, C B, sit *i e*, progressus ille in densiori medio, *g f* in rariori: in alterâ autem, sit progressus lucis B E in densiori, B F in rariori, vel mensurando perpendiculariter I E in densiori medio, G F in rariori. Dico esse vt inclinata *a c*, ad inclinatam *b e*, vel *b f*; hoc est, vt perpendicularis K, ad perpendicularem *i e*, vel *g f*, in inclinatione vnâ ita esse inclinatam A C, ad inclinatam B E, vel B F, hoc est, perpendicularem A K ad perpendicularem I E, vel G F, in alterâ.





Quoniam enim idem est medium in quo *a c*, & in quo A C, æquè velox est motus ab *a* ad *c* motus ab A ad C. tempus ergo quo fit motus ad *a* ad *c*, est ad tempus quo fit motus ab A ad C, vt recta *a c*, ad rectam A C. Similiter quoniam idem est medium in quo *b e*, & in quo B E, æquè velox est motus à *b* ad *e*, & à B ad E, tempus ergo quo fit motus à *b* ad *e*, est ad tempus quo fit motus à B ad E, vt recta *b e* ad rectam B E, sed tempus quo fit motus à *b* ad *e*, æquale est tempori quo fit motus ab *a* ad *c*. item tempus quo fit motus à B ad E, æquale est tempori quo fit motus ab A ad C. tempus ergo quo fit motus ab *a* ad *c*, est ad tempus quo fit motus ab A ad C, vt recta *b e* ad rectam B E. Est autem supra ostensum, tempus motûs ab *a* ad *c*, esse ad tempus motûs ab A ad C, vt recta *a c* ad rectam A C, in eadem ergo sunt ratione *a c* ad A C, & *b e* ad B E. Eâdem methodo demonstrari potest esse vt *a c* ad A C, ita *b f* ad B F. Porro quoniam est vt *a c*, hoc est *b d*, ad *b e*, ita A C, hoc est B D ad B E, & vt *b d* ad *d h* vel *a k* (propter similitudinem triangulorum *b d h*, & *b e i*) ita *b e* ad *i e*, atque etiam vt B D ad D H vel A K, ita B E ad I E, erit vt *a k* ad *i e*,

ad *ie*, ita AK ad IE. eadem quoque viâ oſtendi poteſt eſſe vt *ak* ad *gf*, ita AK ad GF. Quare vt eſt inclinata *ac*, ad inclinatam *be* vel *bf*, & vt perpendicularis *ak* ad perpendicularem *ie* vel *gf*, in vna inclinatione, ita eſt inclinata AC, ad inclinatam BE vel BF, & perpendicularis AK ad perpendicularem IE, vel GF in altera inclinatione. Itaque ſi ſint duæ quælibet inclinationes, &c. Quod erat probandum.

PROPOSITIO XII.

Si ſint duæ quælibet inclinationes radiorum ab eodem medio raro ad idem medium denſum, vel contra, ſitque ſuperficies mediorum communis plana, erit vt ſinus anguli inclinationis ad ſinum anguli refracti in vnâ inclinatione, ita ſinus anguli inclinationis ad ſinum anguli refracti in alterâ inclinatione.



SIt planum *cb* CB commune duorum mediorum, quorum primum ſiue id quod eſt ſupra *cb* CB ſit rarum, alterum ſiue medium ſecundum infra *cb* CB denſum. Sint autem *ac* & AC radij inclinati ad planum *cb* CB in angulis inæqualibus *acO* & ACO. Sit autem radius refractus ab *ac*, recta *ck*, & angulus refractus *kcl*, & radius refractus ab AC, recta CK, & angulus refractus KCL. Dico vt ſinus anguli inclinationis, *acO* ad ſinum anguli refracti *kcl*,

2009 Ministerio de Cultura



ita esse sinum anguli inclinationis A C O ad sinum anguli refracti, K C L ducatur *a b* recta perpendicularis ad *a c*, quæ secet planum in puncto *b*, (secabit autem quia angulus *a c b* est minor recto) huic æqualis fiat A B, & ita applicetur vt sit altera eius extremitas in plano C B, & sit perpendicularis ad A C in puncto A, & compleantur parallelogramma *a b c d* & A B C D. Ducatur *c e* perpendiculariter ad radium refractum *c k* in puncto *c*, & C E perpendiculariter ad radium refractum C K in puncto C. Sit autem *c e* æqualis *c d* vel *a b*, sicut & C E æqualis C D, vel A B. Itaque ductus circulus centro *c*, interuallo *e e* transibit per *d*, & ductus circulus centro C interuallo C E transibit per D. Iam quoniam *c e*, & C E sunt perpendiculares ad radios refractos *c k* & C K, & æquales lineis lucis *a b* & A B, ductæ *a p* & A P perpendiculares ad planum *c b* C B, erunt progressus lucis in medio raro, in propositis inclinationibus, & *e r* E R progressus lucis in medio denso. Sed est per præcedentem, vt *a p* ad *e r* in vnâ inclinatione, ita A P ad E R in altera inclinatione. Secundo, sit medium primum, nempe quod est supra planum *c b* C B densum, quod infra, rarum. Vbi radij refracti ad partes auersas à perpendiculo, sint *c q* & C Q, & ad ipsos perpendiculares sint *c f* & C F æquales lineis lucis *a b* vel A B, & ad planum *c b* C B sint perpendiculares *f f* & F S. Similiter probabitur esse, vt *a p* ad *f f*, ita A P ad F S, Sed *a p* & A P sunt sinus angulorum propositarum inclinationum, & *e r* E R sunt sinus angulorum refractorum in medio densо, sicut *f f* & F S sunt sinus angulorum refractorum in medio raro. Quod sic probatur. Anguli *o c a*, & *a c b* simul sumpti sunt æquales recto, item *a b c* & *a c b* simul sumpti faciunt rectum. Ergo dempto communi angulo *a c b* re-

© Ministerio de Cultura

manet *abc* æqualis angulo inclinationis *oca*; ducto igitur circulo, cuius semidiameter sit *ba* erit *ap* sinus anguli inclinationis. Eodem modo probatur AP esse sinum anguli inclinationis; sunt enim *ab* & AB æquales per constructionem. Rursus quoniam angulus *kce*, & *lcb* est vterque rectus, dempto communi angulo *lce* remanet *ecb* æqualis angulo *kcl* refracto, quoniam ergo *ce* est æqualis *ab* erit *er* sinus anguli refracti. Eâdem methodo ostenditur ER esse sinum anguli refracti in alterâ inclinatione. Porro vbi medium secundum rarius est primo, angulus *qcf* & *lcb* est vterque rectus, dempto ergo communi angulo *lcf* remanet angulus *fcb* æqualis angulo refracto *qcl*. Est ergo *ff* sinus anguli refracti; & per eandem rationem FS est sinus anguli refracti in inclinatione altera. Quoniam ergo est vt *ap* ad *cr*, vel *ff* in vnâ inclinatione, ita AP ad ER vel FS in alterâ inclinatione, erit vt sinus anguli inclinationis ad sinum anguli refracti in vna inclinatione, ita sinus anguli inclinationis ad sinum anguli refracti in alterâ inclinatione, siue refractio fiat versus perpendiculum, siue ad partes à perpendiculo auersas. Igitur si sint duæ quælibet inclinationes, &c. Quod erat probandum.

COROLLARIVM.

IN maiore angulo inclinationis maior est angulus refractus, in minore minor. Maioris enim anguli maior semper est sinus. Et est iam ostensum, esse vt sinus anguli inclinationis ad sinum anguli refracti, ita sinum alterius anguli inclinationis, ad sinum anguli in illa inclinatione refracti.

PROPOSITIO XIII.

Si duo radij æqualiter inclinati procedant ad planum diuersi medij, alter a medio raro in densum, alter à medio denso eodem, in medium rarum, sinus anguli refracti in raro, sinus anguli inclinationis, & sinus anguli refracti in denso erunt continuè proportionales.

SIt CB planum diuidens duo media, quorum primum sit rarum, secundum densius, & sit AC radius inclinatus ad planum CB

2009 Ministerio de Cultura

in quocunque angulo A C B, ducatur A B perpendicularis ad A C secans planum in B, & compleatur parallelogrammum A B C D. Quo tempore igitur pũctum A venit ad planum in C, eodem, si media essent eiusdem naturæ, immergeretur punctum B subter planum, profunditate perpendiculari D H, sed quoniam densius statuitur mediũ



infra planum quàm supra, sit immersum punctum B profunditate tantum E I. Est igitur linea lucis iam C E facta æqualis rectæ A B, & ductâ K C perpendiculari ad C E, & L C ad C B erit angulus refractus K C L, cui ostensus est in præcedente, æqualis E C I. est ergo anguli refracti in denso sinus E I. Et quia angulus A B C æqualis est angulo inclinationis, vt ostensum est in præcedente, & huic æqualis est B C D erit recta D H ducta perpendicularis ad C B sinus anguli inclinationis. Et habet D H ad E I rationem eam quam requirit semper eandem, eorundem mediorum diuersitas. Supponamus iam medium primum esse densius secundo, sitque inclinatio radij A C eadem quæ ante: quo tempore ergo punctum A est in superficie medij rari ad C erit punctum B immersum in raro, profunditate G F maiore quàm est D H. Scilicet pro ratione mediorum, quam supposuimus esse vt D H ad E I. Est igitur F G ad D H, vt D H ad E I. Sunt itaque continuè proportionales F G, D H, E I; sed ostensum est in præcedente angulum B C F esse angulo refracto in raro L C M æqualem, quare F G est sinus anguli refracti in raro, sicut D H est sinus anguli inclinationis, & E I sinus anguli refracti in denso. Itaque sinus anguli refracti in raro, sinus anguli inclinationis, & sinus anguli refracti in denso, sunt continuè proportionales. Ideoque si duo radij æqualiter inclinati, &c. Quod erat probandum.

ALIA DEMONSTRATIO EIVSDEM PROPOSITIONIS.

SIt planum media separans G B F, & super rectâ G B F diametro constituatur circulus G H F E, cuius centrum B. Sit autem quod

2009 Ministerio de Cultura

est supra diametrum, medium rarum, quod est infra densum; ducatur A C per centrum in angulo quocunque inclinationis dato A B H in medio raro, cui æqualis est angulus C B E in medio denso, & sinus anguli inclinationis est M A vel O C. Iam supponamus radium A B venientem è raro in densum, refringi in radium B D, hoc est, versus perpendicularem, vtcunque. Sinus ergo anguli refracti in denso est D R ducta à circumferentia in D perpendiculariter ad B E, & huic æqualis est L I. Rursus supponamus radium, venientem à medio denso in rarum secundum inclinationem quam habet D B, erit ille radius refractus in medio raro, ad B A, vt ostensum est Propositione 10. Et manifestum satis est per se: eadem enim est via à D per B ad A, quæ erat ante ab A per B ad D, (sicut Thebis Athenas, & Athenis Thebas) & angulus refractus in raro A B H cuius sinus est M A, idem cum sinu anguli inclinationis radij, qui veniebat è medio raro in densum. Si deinde fiat, vt D R sinus anguli inclinationis venientis radij à D ad B in denso, ad M A sinum anguli eius refracti in raro, ita C O vel M A sinus anguli inclinationis datæ ad aliud, puta N K erit N K sinus anguli refracti in raro, radij inclinati in denso secundum angulum datum C B E, hoc est A B H. Nam (per duodecimam) vt sinus anguli inclinationis vnius, ad sinum anguli in illa inclinatione refracti, ita est sinus anguli inclinationis alterius ad sinum anguli in illa inclinatione refracti. Sunt itaque continuè proportionales N K sinus anguli refracti in raro, M A sinus anguli inclinationis communis, & L E sinus anguli refracti in denso: quare si duo radij æqualiter inclinati, &c. Quod erat probandum.



COROLLARIVM.

Manifestum hinc est, dato sinu anguli refracti in vno medio ex altero, & inclinatione, dari sinum anguli refracti in altero medio, vel datis angulis refractis vtriusque medij in eadem inclinatione, dari ipsam inclinationem, vel data inclinatione, vna cum ratio-

2009 Ministerio de Cultura

ne quam habent inter se obsequia mediorum, dari cætera.

PROPOSITIO XIV.

Radij incidentis obliquè in medium diuersum, cuius superficies est curua, refractio eadem est ac si incidisset in contactum planæ superficiei, ipsam curuam contingentis.

SIt medium quod est infra rectam F B G diuersum ab eo quod est supra, ducatúrque O P secans F B G in B ad angulos rectos, ducantúrque duæ curuæ A B C, & L B M se inuicem & rectam F G contingentes in puncto B: incidat autem ad planum F G in puncto B in inclinatione quacunque radius D B qui refringatur à directa D B I, vel versus perpendiculum B P, vel contra, vt B K. in mediâ autem latitudine radij D B K (nam ostensum est omnem radium habere latitudinem) consideretur linea Mathematica D B K, ita vt B consideretur quoque, vt punctum contactus. Iam si abscindatur à medio, quod est infra F G, pars illa quæ continetur inter planum F G, & superficiem conuexam A B C, manifestum est, non ideo mutari situm rectæ B K, nam punctum B non tollitur, cum sit commune vtrisque A B C curuæ & F B G rectæ, erit tamen medium quod est infra A B C diuersum ab eo quod est supra; quare radij incidentis obliquè in medium diuersum cuius superficies est conuexa, refractio eadem est ac si incidisset in contactum planæ superficiei ipsam conuexam contingentis. Rursus si ad medium quod est infra F B G adiecceris medij, eiusdem generis, quantum impleat spatium quod continetur inter F G planum, & L B M concauam superficiem. Manifestum est, non ideò mutari situm rectæ B K, quia punctum B est in ipso plano F B G non minus quam in concauo L B M, erit tamen medium quod est infra L B M diuersum ab eo quod est supra. Quare radij incidentis obliquè in medium diuersum cuius superficies est concaua, refractio eadem est ac si incidisset in contactum planæ superficiei ipsam



099 Ministerio de Cultura

concauam contingentis. Itaque radij incidentis obliquè in medium diuersum cuius superficies est curua,&c. Quod est demonstrandum.

Habes iam sententiam meam de natura lucis, & refractionibus, in qua continentur elementa prima Anaclasticæ, ad perfectam cuius cognitionem in re Physicâ contemplandæ sunt Diaphanorum omnium naturæ, & figuræ, maxime autem figuræ.

Ex iis quæ de natura refractionis dicta sunt, facile est colligere, in omni refractione lineam lucis à quo radius exit quanquam sit minima quæ dari possit; concipere dum radius refringitur vertiginem quandam, & quo sæpius refringitur eâdem via, eo maiorem esse vertiginem, ex quo sequitur alterum latus radij scilicet exterius incidere in oculum motu recto, qui augetur à motu vertiginis, alterum autem motu recto qui vertigine minuitur. Atque in hoc fortasse consistit, quod in prismate contento duobus planis oppositis triangularibus & tribus parallelogrammis termini obiectorum ex ea parte qua refractio facit cubitos, sunt rubri primùm, & deinde flaui, ex altera vero parte qua refractio facit angulos, sunt primùm virides vel cærulei, & deinde violacei. Exempli causâ, sit prismatis triangulum C D E ad cuius latus C E cadant obliquè radij a f, b g, à terminis obiecti a b, inde refringantur ad H I, & inde iterum ad K L videbitur obiectum in A B, rubrum ex parte A, quod desinit in flauo versus B, at à parte B viride desinens in violaceo versus exteriora. Quod ideo accidere conijcio quod radius a f H K acquirat vertiginem in cubitis f & H, quæ vertigo motum eius rectum secundat, sed turbat, vnde color ille ruber, & flauus ad interiora. Sed in angulis g & I illa vertigo adimit de motu radij recto, & turbat quoque; vnde nascitur color viridis & violaceus ad exteriora, minus fortes quàm ruber & flauus. Confirmat coniecturam hanc quòd color ruber incipiens ab A tendit versus B, & viridis à B tendit versus exteriora.



FINIS

BIBLIOTECA DEL ORDENANDO

2009 Ministerio de Cultura

2019 Ministerio de Cultura

BIBLIOTECA
DEL
MONASTERIO DE S. LORENZO

2009 Ministerio de Cultura

BIBLIOTECA
DEL
OBSERVATORIO DE S. FERNANDO

2019 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

573

MERSENNI

MATHEMATICÆ

Observatorio de Marina
BIBLIOTECA
Núm. 96

TOMO II

Real Observatorio de la Armada
BIBLIOTECA
00096

2009 Ministerio de Cultura